BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
40/A
40

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

V. 4. 5
C. 1.

Digitized by Google

FASCICULUS QUINTUS

OPUSCULORUM

Quæ ad

HISTORIAM

Ac

PHILOLOGIAM SACRAM

Spectant.

IN QUO CONTINENTUR

XX. *Joh. Vorſtii Miſcellaneorum Academicorum Syntagma.*
XXI. *Joh. Chriſtophori Wagenſeilii de Loco Claſſico Geneſ. XLIX. v. 10. Diſſertatio.*
XXII. *Th. Bartholini Paralytici N. Teſtamenti Medico & Philologico Commentario illuſtrati.*
XXIII. *Ejuſdem de Morbis Biblicis libellus.*

Omnia doctorum virorum judiciis recenſita, & concinnis indicibus aucta.

ROTTERODAMI,
Apud PETRUM vander SLAART,
MDCXCV.

Digitized by Google

D. HERMANNO LUFNEU,

M. D.

Et apud Rotterodamenſes

P O L I A T R O

S. P. D.

PETRUS vander SLAART.

QUoi dono lepidum novum libellum?

Tibi, Lufnæe, namque tu ſolebas artem medicam cum ſtudiis politiorum literarum, atque omnis antiquitatis conjungere. Ita ſit, ut non ſolum quod medicorum eſt medicus cures, verum id operam des, ut pectus tuum magis magiſque earum artium cognitione impleatur, quæ

Et prodeſſe volunt, & delectare.---

DEDICATIO.

Quoniam ego vero quintum hunc elegantiſſimorum opuſculorum faſciculum, recens typis meis adornatum, Tibi deſtinavi; accipe, ſi vis, munuſculum, mole quidem exiguum, ſed quod viri clariſſimi, & in hoc ſcriptionis genere exercitatiſſimi dignum cenſent, ut omnium philologiæ, ſacræ præſertim, amantium manibus verſetur. Nihil eſt quod addam, niſi ut mihi porro favere velis (quod jam pridem negotiis mihi compertum eſt te facere) & plurimum valeas.

Rotterodami pridie id. Novembr. MDCXCIV.

INDEX

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,
quæ paſſim citantur & illuſtrantur.

GENESIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
2.	21, 22.	425
19.	26.	428
22.	14.	42
30.	22.	427
49.	10.	207

EXODI.

Cap.	Verſ.	Pag.
3.	16.	14
4.	16.	431
6.	2.	35
11.	8.	230
12.	43.	113
17.	15.	48
21.	15.	219
34.	29.	432

NUMEROR.

Cap.	Verſ.	Pag.
24.	17.	217
25.	8.	244

JUDICUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	8.	47

I. SAMUEL.

Cap.	Verſ.	Pag.
5.	7.	10
8.	11.	220

INDEX LOCORUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
	II. SAMUEL.	
2.	19.	229
7.	15.	239
	I. REGUM.	
1.	2.	466
	II. REGUM.	
1.	4.	58
3	4.	231
20.	7.	468
	II. CHRON.	
21.	15.	479
	EZRÆ.	
10.	8.	228
	NEHEMIÆ.	
5.	15.	236
	ESTHER.	
4.	11.	216
	JOB.	
15.	30.	224
	PSALM.	
2.	9.	217
34.	21.	126
104.	4.	397
143.	2.	114
	PROVERB.	
30.	8.	229

Cap.

INDEX LOCORUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
	ECCLES.	
1.	9.	115
	JESAIÆ.	
6.	6.	445
7.	17.	53
14.	17.	88
	29.	446
36.	12.	22
59.	19.	50
	JEREMIÆ.	
33.	16.	54
	EZECH.	
48.	35.	53
	DANIEL.	
4.	33.	472
	AMOS.	
5.	5.	218
	JON.	
1.	17.	476
	ZACHARIÆ.	
10.	11.	226
	MATTH.	
4.	20.	480
4.	24.	484
8.	5.	333
9.	1-8.	357
23.	35.	59
26.	15.	254

Cap.

Cap.	Verſ.	Pag.
	54.	253
	66.	253
27.	1.	254
	20.	279
	51.	263
	MARCI.	
14.	14.	254
	LUCÆ.	
23.	12.	253
	JOANNIS.	
5.	1-10.	315. 390
8.	39.	219
18.	31.	241
19.	7.	257
	41.	241
	ACTOR.	
7.	58.	242
23.	2.	210
	27.	251
24.	4.	250
	I. CORINT.	
8.	4.	14
	II. CORINT.	
3.	13.	437
	HEBRÆOR.	
13.	16.	96
	APOCAL.	
1.	4.	15. 20

XX. JOH.

XX.

JOH. VORSTII MISCELLANEORUM ACADEMICORUM SYNTAGMA,

IN QUO VARIA QUÆ AD PHILOLOGIAM AC HISTORIAM PERTINENT, EXPONUNTUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. AUGUSTO,

DUCI BRUNSUICENSI ET LUNEBURGENSI,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,
SALUTEM ET PERPETUAM
FELICITATEM PRECOR,

JOHANNES VORSTIUS PHIL. M.

OMni memoria reperimus exſtitiſſe Viros Principes qui bonarum literarum ſtudioſos amarint, atque adeò ipſas bonas literas: qui item cum ex aliis rebus, quibuſcunque liberet, voluptatem capere poſſent, ex literis tamen præcipuam ceperint: imò nec ex regno & dominatione modò, ſed & ex illis ipſis literis laudem & famam quæſiverint. Philippum Macedoniæ regem, cum is filio auctus eſſet, gaviſum accepimus eo potiſſimùm nomine, quòd Ariſtotelis ætate editus eſſet ſuus filius, utpote à quo omnis generis eruditione imbui poſſet. Ex quo ſatis intelligi poteſt, quanti Philippus eruditionem fecc-

fecerit. Ipſe vero Alexander cum adoleviſſet, ſpem patris minimè deſtituit, Ariſtotelem fecit maximi, & oblatâ ſibi doctrinis ac artibus ſe imbuendi oportunitate plurimùm uſus fuit. Nec aliis modò rebus, ſed & eruditione is antecellere cupiebat cæteris, ut ex ejus epiſtolâ ad Ariſtotelem intelligimus, quam Gellius lib. XX. Noct. Att, c. IV. & Plutarchus in Parallelis nobis aſſervarunt. Ea, ut verſa, ſic habet: Parum rectè feciſti, quòd diſciplinas acroaticas vulgaveris. Ubi enim cæteris præſtabimus, ſi hæ, in quibus inſtituti ſumus, omnibus promiſcuæ? Ego verò optimarum rerum ſcientiâ mallem me, quàm potentiâ præcellere. Proditum item eſt, Alexandrum, Iliada quam correctam acceperat ab Ariſtotele, ſemper cum pugione repoſitam habuiſſe ſub pulvino. Julius Cæſar, vir magni itidem animi, quique Alexandro jungendus in Parallelis ſuis viſus eſt Plutarcho, cum in expeditione contra Gallos eſſet, non aliis modò egregiis facinoribus, ſed & rerum à ſe geſtarum commentariis ſcribendis ad famam graſſandum putavit. Et quod mirére, inter denſiſſimos labores bellicos, in tranſitu Alpium, cum ex citeriore Galliâ, conventibus peractis ad exercitum rediret, duos de Analogiâ libros (fuit id opus Grammaticum de Latinâ linguâ) ſcripſit, ut Suetonius autor eſt. Quàm

Augu-

Auguſtus, qui Julium Cæſarem excepit, Virgilios & Horatios amarit, ex veterum monumentis ſatis conſtat. Idem verò & ipſe variâ doctrinâ imbutus fuit. De Marco Antonino Herodianus prodidit, ipſum fuiſſe λόγων τε καὶ ἀρχαιότητος ἐραστὴν, ὡς μηδενὸς μήτε Ρωμαίων μήτε Ἑλλήνων ἀπολείπεσθαι, literarum antiquitatis ſtudioſum, ut nemini in eo genere ſive Romanorum, ſive Græcorum, ſecundus fuerit. *Julius Capitolinus virum in omni vitâ philoſophantem vocat. Unde etiam factum, ut nomen Philoſophi Princeps iſte ſortitus fuerit. Illi item qui Antoninum anteceſſerunt, Hadrianus & Antoninus Pius, eruditionis nomine claruerunt. Hunc ſingularis eloquentiæ & nitidæ doctrinæ Virum Julius Capitolinus: illum poëmatum & literarum omnium ſtudioſiſſimum, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritiſſimum, Ælius Spartianus prodidit. Quàm Leo & Mauritius, & ipſi Imperatores Romani, literis eruditi fuerint, ipſorum Tactica, quæ immortalitati conſecrarunt, ſatis demonſtrant. Quis neſcit Alphonſum Arragoniæ, Jacobum Britanniæ doctiſſimos Reges? Quis Johannem Picum neſcit, eruditiſſimum juxta & acutiſſimum Principem?*

Atque his talibus, SERENISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE

CLEMENTISSIME, *magno tuo merito annumerandus & ipſe es. Scilicet nunquam ſatis habuiſti curam populi ſuſcepiſſe, eumque gubernare, ſed & bonis literis ac optimis quibuſque artibus ab ætate tenerâ uſque ad venerandos iſtos canos, quibus inter Germaniæ noſtræ Principes conſpicuus es, plurimam operam navaſti, atque ex iiſdem ingenuam cepiſti voluptatem: Ad quem noſtrum aſſidui tui ſacrarum literarum ſtudii non pervenit fama? Cui non auditum illud tuum omnis elegantioris literaturæ & antiquitatis ſtudium? Cujus hinc animum non ſtupor quidam, admiratio item ac veneratio tui, ſaltem tacita, inceſſit? Quis noſtrum, quocunque honore afficere poſſit talem tantumque* PRINCIPEM, *non lubens afficeret? quem, ut Magnum iſtum Alexandrum, non aliis modò rebus, ſed &* ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, *ut Plutarchi verbis utar, excellere juvat. Quemadmodum igitur* OCTAVIO AUGUSTO, *doctiſſimo Principi, certatim ſua opera obtulerunt, quibuſcunque divulgare quippiam animus eſſet, nullo fine in honorem ejus multa condentes: ita & tibi*, SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS AUGUSTE, *libros qui divulgantur, certatim offerri atque nuncupari par eſt. Nimirum ut plurima alia vulgò recepta ſunt* τῆς εὐεργετικῆς δόξης σημεῖα,

μεῖα, (*ſic Ariſtoteles alicubi honores deſcribit*) *ita & jam olim librorum nuncupatio in illis haberi cœpit, & noſtrâ item memoriâ publico populi ſuffragio habetur. Et ſanè nec ipſe culpam habuero*, SERENISSIME PRINCEPS, *quòd iſtam tuæ Celſitudinis venerationem, quæ pluribus abhinc annis hunc animum inceſſit, cum in tuis terris, atque adeò in tuâ Academiâ Juliâ agerem, nuncupatione libri teſtari cupio: & ſi alia modò non deficerent, facti hujus ratio non malè mihi conſtaret. Sed enimvero dolendum mihi eſt, quòd ſterilis noſter agellus nihil adhuc producere valuit, tali tantoque* PRINCIPE *ſatis dignum, aut quod voluptate quadam perfundere legentem poſſit, quemadmodum fortaſſe poſſunt alia, quæ tuæ Celſitudini certatim offeruntur. Quamobrem ut culpam quam habere adhuc poſſim, à me depellam, optimum factu videtur, ut ad exempla confugiam eorum, qui rerum vilium oblatione, venerationem iſtam, quâ Principes Viros proſequerentur, ſatis ſe teſtari poſſe crediderunt, iiſque exemplis ſolis, quaſi umbone, me protegam. Ad extremum Deum Ter Opt. Max. veneror ex animo, ut tuam Celſitudinem, omnemque adeò Illuſtriſſimam tuam Domum, longùm ſalvam & incolumem ſervet,*

tuumque populum ſub tutelâ ac moderamine tuo amplius feliciter agere jubeat.

Nomina eorum, qui de his reſponderunt.

MARTINUS NORDANUS, Huſenſis Holſatus.

JOH. FRIDERICUS SCHEPLERUS, Holſatus.

LAURENTIUS LUDENIUS, Heidâ Dithmarſus.

JOH. ERICUS DASSELIUS, Neo Stetino Pomeranus.

JOACHIMUS GISÆUS, Huſenſis Holſatus.

NICOLAUS WILMANNUS, Sleſvic. Holſatus.

JOH.

JOH. VORSTII MISCELLANEORUM ACADEMICORUM SYNTAGMA.

CAP. I.

Omnes gentes habuiſſe nomina quibus exprimerent ſubſtantiam talem, quæ rerum humanarum curam habeat, & præcipuè ſit veneranda. Sic & Hebræos. Nomina iſta eſſe duplicia, propria, & appellativa. Horum poſteriora verum Deum facilè paſſum eſſe, ut ſibi tribuerentur: priora non item. Poſuiſſe ſibi Deum peculiare nomen יְהֺוָה*, idque ejus proprium eſſe. Etymon nominis. Punctorum ejus quæ vis ſit. Druſii conjectura De nomine Jave rejecta. Puncta nominis propria eſſe, non aliunde adſcita, probatur. Samaritanam pronunciationem minùs rectè haberi pro verâ. Sixtini Amamæ conjectura rejecta. Græcos interpretes puncta nominis habuiſſé pro ejus propriis.*

CUm omnibus gentibus innatum, & in animo quaſi inſculptum ſit, exſiſtere Numen, quod mundum adminiſtret, & rebus humanis conſulat, omnes item vocabula habent, quibus Numen illud appellant. Sic & his qui He-

Hebræâ aut huic cognatâ Linguâ olim uſi fuerunt, tum quoque, cum verum Deum nondum cognoviſſent, vocabula minimè defuerunt, quo ſummum Numen appellarent. Ipſe Pater credentium, cum verum Deum nondum cognoviſſet, (fuiſſe tempus, quo non cognoverit, ex libri Joſuæ cap. XXIV. v. 3. colligimus) & alienis Diis ſerviret, certis vocabulis hos inſignire utique ſolitus fuit. Nomina verò, quibus gentiles Numen quod colerent, appellarunt, diverſorum apparet fuiſſe generum. Nonnulla quidem appellativa ſunt, ut Grammatici loquuntur, & generalia: alia verò ſunt propria. Philiſtæi Numen quod colebant, Dagon appellarunt. Iidem verò generale quoque nomen habuerunt, quo Numen appellarent, non ſuum modò, ſed & ea, quæ aliis gentibus colerentur. Veroſimile eſt hoc nomen eſſe ipſum יי׳ אלהים, quod in ſacris quoque literis eſt frequentatum, aut certè tale quod ſono non multùm ab hoc diverſum eſſet. Certè I. Sam. quinto cap. v. VII. Philiſtæi de ſuo, atque item Hebræorum Deo ita loquentes inducuntur: *Non manebit arca* אלהי ישראל *Dei Iſraëlitarum apud nos: quoniam dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon* אלהינו *Deum noſtrum.* Hanc non modò ſententiam eorum Verborum quibus Philiſtæi uſi ſunt, fuiſſe credimus, ſed ipſa Philiſtæorum verba, aut certè verba à Philiſtæorum verbis admodum parum diſcrepantia. Quippe Philiſtæos, & Hebræos eadem aut cognatâ linguâ uſos fuiſſe,

fuiſſe, non uno argumento conſtare poteſt. Appellarunt igitur Philiſtæi & ſuum, & Hebræorum Numen uno eodemque nomine אלהים. Ex quo apparet, iſto nomine ſignificatum apud ipſos fuiſſe Numen, quod rebus humanis præcipuè conſulere crederetur; ſive jam rectè de eo in iſtum modum crederetur, ſive minùs. Sic & Græci Deorum varia nomina propria habuerunt: unum verò habuerunt nomen generale, quo exprimerent talem quandam ſubſtantiam, quam res humanas curare, atque igitur præcipuè venerandam exiſtimarent vel ipſi, vel aliæ nationes. Nec aliter apud Romanos, & alias gentes obtinuit.

Ex iſtis nominibus quod generale eſt, nec individuum quoddam ſignificat, id ſummum ac verum Numen facilè paſſum eſt ſibi quoque tribui. Dicitur in ſacris literis אלהים: quo nomine paganos quoque uſos fuiſſe diximus. In ſacris item N. T. codicibus dicitur ΘΕΟΣ: quo vocabula ficta ſua numina antea appellaverant gentiles. Sic & nos nihil veremur vocabulo Latino DEUS inſignire verum Numen; quamvis antea idem tributum fuerit fictis numinibus. Vocabulo quo ficta numina appellarunt Veteres, hodie nihil veremur Germani appellare verum Deum. Sclavicam gentem, nihil vetat, uti vetere vocabulo BOGE, quo olim uſi fuerunt pagani. Nimirum talium vocabulorum vix alia notio eſt, quam ut ſubſtantiam ſignificent, quæ rerum humanarum præcipuam curam gerat, & præ-

cipuè

cipuè quoque iccirco ſit veneranda. Si igitur iſto ſive Hebræo, ſive Græco, ſive cæterorum quodam appelletur verum Numen, rectiſſimè vis nominis huic competet, atque igitur ipſum quoque nomen tribui poteſt. Sic & paſſus eſt Deus, ut res ſacræ appellarentur iſtis nominibus, quibus gentiles appellaverant ſua temere conficta, aut certè profana. In ſacris literis videmus frequentari iſtæc vocabula, μυστήριον, ἐκκλησία, ἐπίσκοπος. Similiter nec veriti fuerunt veteres Chriſtiani vocabulis τελετὴ, μυσταγωγία, μύστης, aliiſque uti; quamvis antea à gentilibus eſſent uſurpata. Cæterum quæ apud gentiles Deorum nomina propria fuerunt, quorumque adeò non eadem notio fuit, quæ ſuperiorum, ea tantum abeſt, ut verum Numen ſibi tribui paſſum ſit, ut ſeveriſſimè vetuerit, eorum mentionem fieri.

Poſuit ſibi ſummum ac verum Numen aliud quoddam nomen, quo inſigniri & à fictis numinibus diſcerni voluit, nomen puta יְהֹוָה JEHOVA. Deinde etiam ubi à fictis numinibus diſcernendus fuit, vocabulis generabilibus ſæpe addita ſunt διακριτικὰ quædam, qualia ſunt אלהי אברהם יצחק ויעקב *Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi*, אלהי אמן *Deus verus* Eſ. LXV, 16. ἀληθινὸς θεὸς, Joh. XVII. & 1 Joh.

V. Nobis in præſentiâ nomen veri Dei proprium, JEHOVA puta, paucis conſiderare libet. Principio, verum Deum id nominis ſibi voluiſſe proprium eſſe, nec ulli alteri ſecum commune, ex clariſſimis Scripturæ locis

cis intelligi licet. Exodi c. VI. 3. Deus ad Moyſem his verbis utitur : ושמי יהוה לא נודעתי להם *& nomine meo Jehova non innotui ipſis.* Vides Deum nomen iſtuc vocare ſuum nomen. Vide & cumprimis cap. III. Exodi v. 15. Geminum eſt, quod in Pſ. LXXXIII. v. ult. legitur : *Et cognoſcant*, כי אתה שמך יהוה לבדך *quòd tuum ſolius nomen ſit Jehova.* Aliud geminum eſt Eſ. XLII. 8. אני יהוה הוא שמי *Ego Jehova, hoc nomen meum.* Præterea obſervare licet, hoc nomen multùm differre à nomine אֱלֹהִים appellativo; nec ita ut illud in regimine poni, nec ה emphaticum ſibi præfixum habere, nec poſteriore ſui parte affixa recipere, nec denique pluralem numerum habere, prorſus ut nomina propria ſe habere ſolent. Non, inquam, legimus יְהוַת יִשְׂרָאֵל quemadmodum אלהי ישראל : nec הַיְהוָה, quemadmodum הָאֱלֹהִים : nec יְהוָתִי, יְהוָתְךָ, quemadmodum אֱלֹהַי, אֱלֹהֶיךָ ; nec denique יְהוֹוֹת ut אֱלֹהִים.

Etymon nominis quod attinet, nihil dubitandum eſt, quin arceſſendum illud ſit à radice הָיָה *fuit*, *exſtitit*, cujus & participium הֹוֶה, & imperativus הֱוֵה ſive הֱוֵא, & anomalum futurum יְהוּא pro יִהְיֶה ſive יִהְיֶא in ſacris codicibus reperiuntur. Loca ubi ſunt iſta, præterquam quod in concordantiis, luſtrare etiam licet in Buxtorfii Lexico. Ita apparet ſignificatio-

cationem vocis eximiam eſſe, & quæ vero Deo omnium optimè competat. De idolis S. Paulus 1 Cor. VIII. dicit, ea eſſe ἐδὲν ἐν τῷ κόσμῳ, & λεγομένες θεές. Verus Deus autem revera eſt, ſive exſiſtit. Ipſe eſt ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ut S. Apoſtolus loquitur Apoc. c. primo. Nec exſiſtit modò, ut cætera τὰ ὄντα, ſed facit quoque, ut cætera exſiſtant, eſtque cæterorum ἀρχή, uti idem Apoſtolus loquitur c. XXI, 6.

Non commoda modò ſignificatio eſt nominis, ſi id pro etymo habeatur quod nos poſuimus; ſed planiſſimè, nec aliud etymon quæri debet. Quod facilè intelligitur ex c. tertio Exodi v. 15. ubi cum Moyſes ſollicitus eſſet, quid reſpondendum eſſet ſuæ genti, de nomine Dei à quo miſſus eſſet, quærenti, Deus ita reſpondit: אהיה אשר אהיה *ſum qui ſum.* Et ampliùs: *Sic dices filiis Iſraël*, אהיה שלחני אליכם *SUM miſit me ad vos.* Apparet Deum exſiſtentiam ſuam conſiderandam proponere, & ab eâ ſibi ponere nomen. Cum primò iſtum in modum locutus eſſet Deus, mox addidit gemina, ut ex prædicti cap. v. 16. conſtat. Verba ita habent: ***Dixit iterum*** (ampliùs) ***Deus ad Moſen: Hæc dices filiis Iſraël*** יְהוָה ***JEHOVA Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob miſit me ad vos. Hoc NOMEN mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum.*** Ut in prioribus Deus nomen ſibi poſuit ab exſiſtentiâ ſuâ: ita & in poſterioribus. Tantùm hoc intereſt, quòd prius nomen verbum primæ perſonæ eſt; poſterius

ſterius tertiæ perſonæ verbum. Poſterius verò multùm frequentatum eſt à ſacris Scriptoribus; prius non item. Porrò prius iſtorum nominum ſine dubio verbum eſt quod formam habet futurum tempus plerumque ſignificantem. Cum verò conſtet, eam formam non rarò etiam tempus præſens ſignificare; & verò apud Deum non eſſe differentias temporis, quales apud nos ſunt, ſed omnia ei eſſe præſentia: credamus, iſtud Dei nomen potiùs præſens tempus ſignificare, & vertendum eſſe, ſi quidam vertere quis velit, Latinâ voce SUM. Quoniam autem nomen proprium eſt factum, rectius fortaſſe fieret, ſi Latinâ voce non verteretur: quemadmodum & nomen JEHOVA frequentare ſolemus, non verſum.

De Nomine יְהֹוָה elegans conjectura eſt, eaque ſatis certa, eſſe in eo tres temporis differentias expreſſas: futurum quidem literâ י & ſuppoſito puncto: præſens puncto medio: præteritum puncto tertio. Ut ita æquipolleat unum vocabulum hiſce tribus, יִהְיֶה *erit*, הֹוֶה *eſt ſive exiſtit*, הָיָה *fuit*. Habet autem litera י in ipſo nomine *Scheva* loco τοῦ Chirek p. quia aliud Scheva non ſequitur, ſed alia puncta, quæ cæteras temporis differentias ſignificare poſſint. Quin imò exſtat ipſum futurum anomalum יְהוּא Eccl. XI. 3. quod planiſſimè Scheva habet. Si verum id eſt, quod de vi trium punctorum quæ nomen JEHOVA habet, diximus, pulchrè ei nomini congruunt quædam S. Apoſtoli verba in Apoc. c. primo, quibus Salvator noſter inſignitur: ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Falſum autem illud fuerit, quod Joh.

Joh. Druſius contendit, veram pronunciationem nominis eam eſſe quæ apud Samaritanos fuit, Jave nimirum ſive Jahave. Is quidem in Comment. ad diff. loca Pentateuchi p. 162 ita diſſerit: יהוה *nomen Dei ſacroſanctum, quod olim Samaritani legebant Jave. Id contractum ex Jahave, ſicut Jacob dicimus pro Jaacob. Hoc primum. Deinde ἀρχαϊκῶς lectum Jahave pro Jehevè, ſicut hodie* יַהֲרֹג *legimus pro* יַהֲרֹג*, vel* יהוה *Jave, ut* ימנה *jamne. Utut ſit, conjicio, germanam eſſe lectionem nominis* Tetragrammati*, de quo hodie tantopere controvertitur. Natio ſimplex, & rituum ſuorum tenaciſſima eam retinuit, cur ſpernimus?* Vide & cætera.

Sed noſtra de vi trium punctorum ſententia arguta magis quam vera cenſeri poſſit, niſi antè probatum fuerit, illa ipſa puncta omnino hæc eſſe, per quæ quatuor literæ יהוה pronunciatæ fuerint olim, & hodie nobis quoque pronunciandæ. Quapropter id nobis nunc agendum eſt, ut appareat, ea puncta nominis eſſe propria; non aliunde aſcita. Joh. Druſius, quòd in Theodoreti quæſt. in Exod. deprehendiſſet, Samaritanos, Hebræis vicinos, pronunciaſſe Ἰαβὲ, credidit hanc pronunciationem veriſſimam eſſe, ut ex ejus verbis intelleximus. Cogitavit quoque idem Druſius, quæ nominis ita pronunciati ratio ac vis ſit; nimirum Ἰαβὲ eſſe contractum ex יַהֲוֶה; hoc verò ἀρχαϊκῶς eſſe pro יֶהֱוֶה. Quod de ἀρχαϊσμῷ dicit, id nihili eſt. Quis credet, archaiſmum eſſe, ſi verba, quæ primam radicalem ה habent, in futuro habeant, ſub iſtâ primâ radicali? Quis nos docuit, quid archaiſmus ſit in

codi-

codicibus V. T. quemadmodum ἀρχαϊσμοὺς in Græcis ac Latinis ſcripturis nobis oſtenderunt Latini ac Græci Grammatici ? Porrò quid cauſæ eſt, quamobrem credamus, Samaritanos diligentiùs ſervaſſe veram pronunciationem nominis, quam Hebræos ? Dicent, ea puncta, quæ hodie apparent in ſacris Hebræis codicibus, eſſe aliunde aſcita. Quod quia pro certo habeatur, nec alia pronunciatio apud ipſos Hebræos appareat, licuiſſe conjecturam facere, eam pronunciationem, quam Samaritanis tribuit Theodoretus, genuinam eſſe. Primò ex iſtis hominibus quærere libet, cur Samaritanam pronunciationem potiùs credant genuinam eſſe, quam eam, quæ ab eodem Theodoreto Judæis ſive Hebræis tribuitur. Deinde negamus planè, puncta, quæ nomen יהוה in vulgaribus Hebræis codicibus habet, aliunde aſcita eſſe, & contendimus ea nomini ſemper fuiſſe propria. Cui probando id unum ſufficit, quòd in ſacris literis legimus nomina propria, quæ nominis יְהוָֹה partem habent, & eadem quoque puncta. Talia ſunt nomina יְהוֹשָׁפָט, יְהוֹיָכִין, יְהוֹיָקִים, יְהוֹאָחָז, יְהוֹרָם, יְהוֹצָדָק, יְהוֹיָדָע, יְהוֹנָתָן.

Non diffitetur qui Druſium contra Fullerum defendere conatus eſt, Sixtinus Amama, talia ex nomine יהוה eſſe compoſita. Vide diſſertationem de nomine יהוה, quæ ipſius Antibarbaro inſerta eſt: & libri quidem p. 543. Quid autem cauſæ dici poteſt, quin puncta quæ in iſtis nominibus ſunt expreſſa, genuina eſſe credantur, nec aliunde aſcita ? An puta-

bimus perperam ea eſſe poſita in iſtis nominibus pro illis punctis, quæ Druſius ex Samaritanorum pronunciatione Ιαβὶ conjecit nomini competere? An verò, ea puncta eſſe ſignum alterius cujuſdam nominis, אֲדֹנָי puta; quod unà cum ſuis conſonis exprimi ſolitum fuerit; cum homines quibus dicta nomina indita fuerunt, compellarentur? atque igitur hæc nomina aliis conſonis ſcripta, aliis pronunciata fuiſſe? ſcripta quidem his, יהונתן; pronunciata autem iſtis אדונתן. Abſurda eſſe iſtæc omnia, nemo temere iverit inficias. Si enim iſta proba forent, per tot ſecula nullum ex iſtis nominibus rectè fuiſſet pronunciatum.

In his quæ Fullero regeſſit Amama, cum ſe haud negare dixiſſet, prædicta nomina compoſita eſſe ex nomine יהוה, ſubdit deinde: *Hoc, hoc, quæſo adverte Lector, rara eſſe illa, Jonathan, Jehoſchapath, Jehoram &c. frequentiſſima contrà Jonathan, Joſaphat, Joram. Sed quid hæc omnia lectioni magis* Jehova *quam alteri illi* Jao, *cujus Græci Theologi in horum nominum etymologia meminerunt, patrocinantur? Ex* Jao *enim non inuſitatâ craſi fit* Jo. *Sed urgebis illud* Jeho, *indeque dices per craſin exiſtere* Jo. *Ego contrà pertendo, veriſimilius eſſe, ut ex* Jao *factum ſit* Jo, *ac ex hoc rurſus per epentheſin literæ* ה *natum ſit* יהו. Nos in iſtis nihil animadvertimus ſolidi. Quid ad rem facit illud, quod Græci ac Latini ſcribunt Ἰωνάθαν, *Jonathan*, non Jehonathan? Eam craſin dicit potius ex *Jao* videri factam, quæ vox apud Græcos Patres (adde & apud gentiles Scriptores, Diod.

Sicu-

Siculum & Macrobium) viſatur. Ergone *Jao* rectiùs ſe habet, quàm τὸ יָהוֹ quod eſt in nominibus ſuprà recenſitis? Certè hoc ſupponendum videtur, ſi altera collectio fieri debeat. Incredibile verò illud eſt, τὸ Ἰάω rectiùs referre nomen יהוה, quam τὸ יהו, & ex illo feciſſe Græcos craſin τȣ̃ Ἰὼ, in nominibus quibuſdam. Conſtat inter omnes, puncta, quæ vocibus Hebræis competunt, à Græcis & Latinis Patribus, itemque à gentilibus ſcriptoribus variè mutari, indeque mirè transformari ipſas voces. Sic ex חַוָּה fecerunt Εὔα: ex חִזְקִיָּה fecerunt Ἐζεκίας. Quis igitur credet, unam vocem Ἰάω rectius ſe habere in Græcorum Patrum, atque in gentilium ſcriptis, quam in Hebræis codicibus? Deinde diſſentit ita planiſſimè Sixtinus Amama, ab eo, quem defendendum ſuſceperat, utpote qui putavit veram pronunciationem nominis non eſſe Ἰάω, ſed *Jave*. Quam verò ineptum illud eſt, quòd dicit, cum craſis facta eſſet in Ιωναθὰν ac ſimilibus, per epentheſin deinde inſertam eſſe literam ה Ergone cum Græci Patres ex Ἰάω jam contraxiſſent Ἰω, Hebræis codicibus demum acceſſit iſta litera? Et hæc ſervilis eſt, nec ad radicem pertinet? Præterquam quòd inepta hæc ſunt, manifeſtè etiam adverſantur his, quæ autor de etymo vocis יהוה antea tradiderat, eſſe nimirum vocem derivatam à radice הוה. Vide prædicti ipſius libri p. 476. Si enim hoc poſterius eſt verum, litera ה planiſſimè radicalis eſt. Nam ex voce יהוה prædicta nomina compoſita eſſe, ipſe Amama non negavit.

Græcos Interpretes partem priorem nominum, quæ paulo ante recenſuimus, credidiſſe ex nomine יהוה eſſe reciſam, patet ex eo, quòd nomen Salvatoris noſtri, quod Jer. XXIII. legitur יְהוָה צִדְקֵנוּ, ita expreſſerunt, Ἰωσεδέκ. Nimirum in hoc nomine integram vocem יהוה eadem craſi expreſſerunt, quâ exprimere ſolent partem ejus priorem יְהוֹ. Quemadmodum expreſſerunt Ἰωνάθαν ex יְהוֹנָתָן: ita ex יְהוָה צִדְקֵנוּ expreſſerunt Ἰωσεδέκ; planè ac ſi Hebræa ita haberent יְהוֹצֶדֶק. Videntur autem Interpretes iſti ex duabus vocibus eò feciſſe unam, quòd nomen יְהוֹה in compoſitis exprimere fas eſſet, quemadmodum in Ἰωνάθαν, Ἰωσαφάτ; nomen verò ſeorſim exprimere non item. Non verò hi modò, qui Hebræa nomina literis Græcis expreſſerunt, ex יְהוֹ fecerunt Ἰω; ſed inter ipſa Hebræa quoque iſtiuſmodi craſis reperitur. Nomen יְהוֹיָדָע in Nehemiæ capite XII, ſcriptum quoque reperitur hoc modo, יוֹיָדָע. Sic & יוֹחָנָן in eodem capite, atque item alibi eſt pro יְהוֹחָנָן.

Quoniam igitur certum eſt, puncta nominis Jehova genuina eſſe, nec aliunde adſcita, minimè abſurdum eſt ita ſentire de trium iſtorum punctorum vi, quemadmodum nos paulò antè dicebamus. Quæ autem occaſio ſit conjecturæ iſtius, facilè intelligitur. Primò à rad. הוה vocem derivatam eſſe, res certa eſt. Rectiſſimè verò colligitur id ex cap. III. Exodi, ubi cum nomen אֶהְיֶה præceſſiſſet, mox ſequitur alterum nomen יְהוָה. Porrò ſi eſt à rad. הוה, Jod illud quod nomen in fronte gerit, ſervilis eſt litera; & quidem iſta, quæ tertiam per-

ſonam

ſonam futuri deſignare ſolet. Sed ita forma vocis foret יְהֶוֶה aut יְהֻוֶה: quemadmodum & ייי אֶהְיֶה ſimilem formam habet. Apparet tria puncta mutata eſſe, ac pro illis poſita eſſe Scheva, Cholem, Kamez, ut hæc tres temporis differentias deſignarent, ut ſuprà dicebamus. Hinc igitur etiam porrò credibile ſit, S. Apoſtolum ad hoc nomen reſpexiſſe, ejuſque voluiſſe vim exprimere, cum in c. primo Apoc. Chriſto tribuit hæc verba, ὁ ὢν, ϗ ὁ ἦν, ϗ ὁ ἐρχόμενος, uti id ſuprà diximus.

C A P. II.

Vocabula quæ aliena puncta habent in textu Hebræo. Recenſentur argumenta eorum, qui negant puncta nominis Jehova propria eſſe. His tantum probari poſſe, veteres per iſta puncta legiſſe vocem ארני*; non verò, ab hac voce puncta eſſe adſcita. Nomen* יהוה *ἄφραστον, ἀνεκφώνητον. Habet quandoque aliena puncta, & quidem ẽ* אלהים*. Denuo probatur, aliàs habere propria, cum nimirum ſcribitur* יְהוִֹה*. Denuo & de vi punctorum. Formæ, quibus id nomen apparet in Scriptoribus prophanis ac in Patribus, conſiderantur. Quomodo egerint veteres Hebræi, ut vel Adonai, vel Elohim legendum eſſe commonefacerent, diſtinctè exponitur.*

SUperiore capite expoſuimus, quid de nomine JEHOVA veriſſimum videatur, & datâ occaſione quædam adverſæ partis etiam

ROMA

refellimus. Libet nunc alia quædam conſiderare, quæ ſuperioribus incommodare videri poſſint. Dicunt igitur, nomen יְהֹוָה habere puncta nominis אֲדֹנָי; non propria ſua quæ ab initio habuerit: eaque puncta indicio eſſe, per ea moveri ſive legi debere non has quatuor conſonas יהוה, ſed verò iſtas, אדני. Hoc deinde variis argumentis demonſtrare ſtudent, quæ nobis in præſens expendenda ſumere conſtituimus. Ut autem res eò rectiùs intelligatur, de nonnullis videtur antè monendum. Primò id conſtat, eſſe quaſdam voces, quæ puncta habent aliarum vocum: per quæ item non legi debeant iſtæ conſonæ, quibus ſuppoſita viſuntur, ſed aliæ quædam. Exempli gratiâ Eſ. XXXVI, 12. viſitur vox שֵׁינֵיהֶם: ubi ſanè per iſta puncta moveri debent non iſtæ conſonæ, quibus ſuppoſita ſunt, ſed aliæ quædam, hæ puta מימי רגליהם. Imò nec alteræ illæ conſonæ per iſta puncta moveri ſive legi poſſunt. Apparet enim, unum ex iſtis otioſum prorſus futurum, ſi vox legi debeat. In prædicto Eſaiæ capite viſitur item vox חֲרָאוֹתָם. Puncta verò iſtis conſonis addita, aliunde ſunt adſcita, puta à voce צֹאָתָם, quæ & ipſa in margine viſitur appoſita.

Sed qui noſtram ſententiam defendere ſolent, eos obſerves id regerere, vocem יְהֹוָה non poſſe componi cum prædictis illis, propterea quòd in eâ non apparent puncta prorſus eadem, quæ in nomine אֲדֹנָי. Eam enim vocem, à quâ puncta adſcita eſſe dicantur, priore ſui parte habere *Chatephpathach*; non *Scheva* ſimplex,

ut altera vox. Producere igitur licet aliam quandam vocem, quæ & ipſa puncta habeat, per quæ aliæ quædam literæ legendæ ſint, nec melius tamen congruant, quam priora iſta. Deuteronomii XXVIII, 27. viſitur vox עֳפָלִים, quæ & ipſa habere creditur aliena puncta, vocis puta טְחֹרִים, quam in margine à Maſorethis appoſitam obſervare licet. Ejuſdem verò vocis puncta alicubi nonnihil etiam diſcrepant à punctis alterius vocis, quæ tamen tum quoque per ea eſt legenda. Nimirum in I. Sam. capite V, ubi aliquoties legitur עֳפָלִים, legitur item עֳפָלִם in verſ. IX. Atque ita quædam ſanè apparet diſcrepantia inter hujus vocis puncta, & alterius vocis טְחֹרִים. Debere autem tum quoque legi per puncta רֵּפ טחרים, Maſorethæ in margine itidem annotarunt. Quemadmodum igitur in iſto loco Scheva compoſitum viſitur pro ſimplici: ita in nomine יְהֹוָה dicere fortaſſe licet, Scheva ſimplex pro compoſito apparere, idque nihil obſtare, quò minùs per ea puncta, אֲדֹנָי legatur. Sed nunc rationes conſideremus adverſæ partis.

Primò allegant illud, quòd hæ quatuor literæ יהוה quandoque habent puncta vocis אֱלֹהִים, cum puta ſcribitur ſic, יֱהֹוִה. Et quidem ſolummodò tum ita ſcribi, cum אֲדֹנָי 'פ proximè vel præcedit, vel ſequitur. Hoc nimirum conjicere licet propterea fieri, ne bis legatur *Adonai*. Exempli gratia in II. Sam. VII. v. 19. legitur אֲדֹנָי יֱהֹוִה. In I. Par. XVII. autem, v. 17. ubi eadem ſententia reperitur, permutantur cum iſtis vocibus hæ duæ, יְהֹוָה אֱלֹהִים. Apparet utique יְהֹוָה 'פ punctis affectum

 eſſe

eſſe τῷ אֱלֹהִים & per ea quoque legendum eſſe; & quidem ne bis legatur *Adonai*. Ex quo porrò conjicere licet, ubi alia puncta habet, omnino *Adonai* legi debere, & fortaſſe ampliùs, *ab iſtâ voce tum quoque puncta mutuò eſſe ſumpta*. Ubi tamen interſtinguenda eſt oratio, viſere licet ipſum τὸ יְהוִה, ſi maximè τὸ אֲדֹנָי proximè vel præcedat, vel ſequatur. Exempli cauſâ in Pſalmo XVI. 2. ita legimus: אָמַרְתְּ לַיהוָה אֲדֹנָי אָתָּה. Deinde cum epizeuxis eſt, obſerves item יְהוָה bis poſitum, atque igitur *Adonai* bis legendum eſſe. Exemplum eſt Exod. XXXIV. 6. יְהוָה יְהוָה אֵל רַחוּם.

Altera ratio quam allegant, hæc eſt, quòd voci יְהוָה ubi præfixa ejus fronti adhærent, hæc non ita adhærent, ut vulgò iſtis vocibus, quarum prior pars conſimili puncto eſt affecta; ſed ita planè, ut voci אֲדֹנָי adhærere ſolent. Exempli cauſâ, quòd legimus בַּיהוָה, מֵיְהוָה; לַיהוָה, non aliter, quàm ſe habent iſta, מֵאֲדֹנָי, בַּאדֹנָי, לַאדֹנָי. In prioribus quidem fit craſis duorum φωνηέντων in unum. In poſteriori ponitur Zere loco Chirek p. & Dages. Ex vulgari autem modo ſcribendum foret מִיהוָה, לִיהוָה, quemadmodum בִּיהוּדָה, מִיהוּדָה. Id verò non parvi eſt momenti, quod vocis לַיהוָה omnes conſonæ ne quidem per iſta puncta exprimi poſſunt. Sané τὸ י *Jod* nec cum primâ literâ unam ſyllabam conſtituere poteſt, nec cum eâ, quæ ſequitur. Neque enim coaleſcere poteſt cum præcedente ל patachato, niſi ſuppoſitum habeat ſcheva, hoc modo, לְיְלָה. Sed illud quoque ad iſta ampliùs firmanda præ-

præclarè facit, quòd in Pſ. LXVIII, legitur לֵיהוִֹה אֲדֹנָי. Quid, quæſo, ex his colligere aliud eſt, quam priorem vocem ita legendam eſſe, לֵאלֹהִים? Cum quinque literæ ליהוה alibi habeant ab initio *pathach*, hîc pro eo *Zere* viſitur: ex craſi ſcilicet duorum punctorum ֵ ֱ, quæ fit in ipſo לֵאלֹהִים. Ita apparet, cum יהוה proximè antecedit τ' *Adonai*, non ipſum tantùm recipere puncta τȣ̃ *Elohim*, ſed adhærens quoque præfixum tale punctum recipere, quali tum ſolet affici, cum ipſi voci *Elohim* adhæret.

Aliud quod allegant illud eſt, quòd literæ בגדכפת ſi ipſæ primæ vocum ſint, & proximæ ſuperioris vocis ultima ſit litera quieſcens, non ſoleant impreſſum ſibi habere Dages; ſi verò יְהוִֹה præcedat, quod & ipſum ultimam literam quieſcentem habet, tamen prædictæ literæ Dages habeant. Ex quo conjicere licet, pro יהוה legendam eſſe aliam quandam vocem, cujus ultima litera non quieſcat, ſed moveatur, & quidem vocem אֲדֹנָי quæ *Jod* mobile habet.

Denique allegant id quoque, quod conſtare poteſt, veteres Græcos, Latinos, alioſque Interpretes ac Patres, ubi eſt in Hebræo יְהוִֹה, legiſſe *Adonai*. Græcos Interpretes ita legiſſe, apparet ex eo, quòd pro iſtâ voce ponunt Græcam κύριος, quæ ſignificatione reſpondet voci *Adonai*. Quæ conjectura rectiùs ſe habet, quàm quòd Buxtorfius in Lexico ſcribit, Græcos ante Chriſtum ſemper illud expreſſiſſe per Κύριος, quòd ſuâ linguâ neque ſcribere, ne-

que enunciare poſſent. Latinus item Interpres ponit vocem DOMINUS. Ubi verò ipſum nomen יהוה allegatur, & digito quaſi monſtratur, ponit ipſam vocem *Adonai*, cui alibi æquipollentem Latinam ſubſtituere ſolet. Exempli cauſâ Exod. VI. 2. legimus: *Et nomen meum Adonai non indicavi eis.* Græci hîc quoque vocem Græcam æquipollentem Κύριος, ponunt, non ipſum *Adonai*.

Non ſanè nos negabimus, omnia iſta quæ allegant Viri docti, facilè id probare, antiquiſſimos homines tam Græcos, Latinos, alioſve, quam Hebræos, ubi in ſacris codicibus eſt nomen JEHOVA, legiſſe *Adonai*. Quod & ampliùs intelligitur ex eo, quòd cum nomen JEHOVA demonſtrare voluerunt, vocarunt id ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον, ἀπόῤῥητον, ἄφραστον. Neque enim cum Fullero ſentire libet, nomen ita appellari, quòd à Græcis vix ac ne vix quidem exprimi poſſit. Aliud oſtendit ipſe Fullerus, cum ita exprimi poſſe oſtendit, Ιαβά. Theodoretus in quæſt. XV. in Exod. ſcripſit, ἄφραστον παρ' Ἑβραίοις ὀνομάζεται. ἀπείρηται γὰρ αὐτοῖς διὰ τῆς γλώττης προφέρειν. In quam ſententiam & Philo in lib. III. de vitâ Moyſis nomen ita deſcribit: ὃ μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτταν κεκαθαρμένοις θέμις ἀκούειν, καὶ ἐν ἁγίοις λέγειν. Ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ παράπαν οὐδαμοῦ. Joſephus item, lib. II. Antiq. c. 5. ſcribit, Deum Moyſi revelaſſe προσηγορίαν αὐτοῦ, περὶ ἧς οὐ θέμις εἰπεῖν. Ex Talmude quoque ſatis apparet, Hebræos à pronunciatione iſtius nominis abſtinuiſſe. Codice Sanh. c. XI: ההוגה את השם באותיותיו אין לו חלק לעולם. *Qui nomen pronunciat ſuis literis, illi non eſt pars in*

futuro

futuro ſeculo. Vide plurima alia in iſtam ſententiam in Lex. Buxtorfii, & in Amamæ diſſertatione de noſtro argumento. Hinc factum, ut cum nomen JEHOVA deſignare voluerunt, variis appellationibus fuerint uſi, quas itidem in prædictis locis congeſta reperies. Quoniam igitur iſtius nominis pronunciatione abſtinuerunt, facere non potuerunt iidem, quin, cum ſacros codices legerunt, aliud pro eo ſubſtituerent. Si enim non feciſſent, ſenſus verborum mancus & interruptus fuiſſet.

Libentes igitur nos concedimus, Veteres Hebræos à pronunciatione nominis abſtinuiſſe; & pro eo in ipſis ſacris codicibus legiſſe, vel *Adonai*, vel *Elohim.* Ex eo autem non continuò id putamus effici, nomen יהוה nuſquam habere puncta propria, ſed perpetuò habere aliunde adſcita. Dicimus igitur, quandoque propria, quandoque puncta habere alterius vocis: aliena quidem, cum ita ſcribitur, יֱהֹוִה; propria autem, cum hunc in modum, יְהֹוָה. Priora iſta aliena eſſe, per ſe ferè liquet: ſi quidem nec ֱ ſub י uſquam apparet in aliis, neque vox ulla eſt, quæ in ה deſinat præcedente Chirek. Eſſe verò à voce אֱלֹהִים mutuò ſumpta, veriſimile fit ex eo, quòd & hac voce Deus appellari ſolet, nec aliud nomen Dei eſt, quod talia puncta habeat. Præcipuè deinde oſtenditur eo, quòd nos ſuprà allegavimus, voces אֲדֹנָי יֱהֹוִה quæ ſunt II. Sam. VII, in Paralipomenis permutari hiſce, יְהוָה אֱלֹהִים: & altero quoque, quod itidem allegavimus, has literas ליהוה, cum aliàs ſoleant punctis ita affici

affici לַיהוָה , in Pſ. LXVIII. eadem puncta habere quæ habet vox לֵאלֹהִים , & ſcribi לֵיהוִֹה.

Porrò altera puncta vocis propria eſſe, nec aliunde adſcita, omnium optimè demonſtratur eo, quòd eadem puncta apparent in nominibus propriis virorum, quæ nominis יהוה partem habent, ut in יְהוֹנָתָן , יְהוֹיָדָע. Sanè hæc nomina, cum iſtis appellati quidam fuerunt, audiri neceſſe fuit. Minimè autem veroſimile eſt, priores literas unà cum ſuis punctis tum non fuiſſe expreſſas, ſed pro illis alias quaſdam. Contra verò liquidò doceri poteſt, non fuiſſe expreſſas alias. Antiquiſſimi Interpretes cum aliarum linguarum literis id expreſſerunt, ſcripſerunt & ipſi Ἰωνάθαν, non Ἀδωνάθαν; *Jonathan*, non *Adonathan*. Quemadmodum verò יְהוֹ י' ſic expreſſerunt, ut *Scheva* non exprimatur, nec item ה י', utpote cui in medio nihil æquipollens ponere poſſunt: ita & ipſi Hebræi ex יְהוֹ in nominibus propriis quandoque יוֹ fecerunt. Nimirum nomen יְהוֹיָדָע exprimitur item hoc modo, יוֹיָדָע: & יוֹחָנָן dicitur pro יְהוֹחָנָן. Porrò notum eſt, vocem אֲדֹנָי, haud juxta vulgarem modum habere *Kametz* pro *Pathach*: & eâ formâ apparere vocem, ubi de vero Deo agitur; in aliis verò viſi eandem vocem hâc formâ, eaque regulari, אֲדֹנַי. Unde autem dicemus fieri, ut *Kamez* ponatur pro *Pathach*? an propter accentum diſtinctivum; ut aliàs fieri amat? Reddi hîc ea cauſa non poteſt, quæ ſolet alibi. Forma enim vocis tum quoque talis eſt, cum accentus diſtinctivus prope non adeſt. Sanè quàm veriſimile

eſt,

eſt, *Kamez* iſtud, quod differentiæ cauſâ nomini *Adonai* tum ſupponitur, cum eo verus Deus ſignificatur, iccirco pro *Pathach* eſſe poſitum, quod nomen veri Dei proprium idem illud haberet. Quod ſi ita ſe habet, ipſum quoque *Kamez* ad nomen יְהֹוָה pertinere neceſſe utique fuerit. De vi atque ſignificatione trium punctorum diximus in ſuperioribus: ac inter alia, ad eam ipſam reſpexiſſe ſanctum Apoſtolum, cum Chriſtum inſignivit hiſce verbis, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Apoc. I. 5. 8. Nunc monemus ampliùs, licere à poſteriori quoque conjecturam facere, iſtis verbis ad nomen *Jehova* alluſum eſſe. Primò de articulo: animadvertendum eſt, eum, cum participiis additur, vim demonſtrativam habere, atque hæc, ὁ ὢν vertenda eſſe hoc modo, *ille qui eſt.* Gemina vide Rom. IX. 5. Matth. XI. 3. Eandem vim hîc quoque retinet, cum additur imperfecto ἦν, diciturque ὁ ἦν. Alludi verò iſtis ad quoddam nomen Dei proprium, ſuſpicari licet ex eo, quòd Apoc. I. 5. talis verborum ſtructura apparet: ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Nimirum cum articulo τοῦ cætera non conveniunt caſu: atque igitur materialiter primò accipienda ſunt pro ipſo quodam nomine, quo Deus appelletur; deinde ubi materialiter intellecta ſunt, reſpiciendum item ampliùs eſt ad vim ac ſignificationem iſtorum. Porrò, ſi certum eſt, Græcis iſtis verbis ad quoddam Dei nomen reſpici, non ad aliud reſpici potuit, quam ad nomen יהוה; quod ipſum Deus ſibi indidit ab exſiſtentiâ ſuâ. Si verò ad nomen יהוה reſpexit ſacer Scriptor, am-

ampliùs conjicere licet, quòd tres exſiſtentiæ differentias poſuit, eo exprimere voluiſſe vim trium punctorum, quæ nomen יְהוָה habet, & unius conſonæ *Jod.* Iſta nimirum puncta, & iſta item conſonans ad tres temporis differentias ſignificandas ſatis apta ſunt.

Ceterum prædicta puncta nomini propria eſſe, ac per ea hoc debere legi, non ineptè item colligere licet ex quibuſdam formis, quibus id apparet in Græcorum Patrum ac gentilium ſcriptis. Una forma eſt Ἰευώ. Quæ apparet in Euſeb. lib. I. προπαρασκ. c. V, deprompta quidem ex Porphyrii libris contra Chriſtianos: à Porphyrio autem ex Philone Byblio. Scripſerat Porphyrius, fuiſſe antiquiſſimis temporibus rerum Phœniciarum Scriptorem Sanchuniathonem, cujus ſcripta à Philone Byblio Græcè eſſent verſa. Prodidiſſe Sanchuniathonem de rebus Judaicis veriſſima, εἰληφότα τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως θεοῦ τοῦ Ἰευώ. *Cum accepiſſet rerum ſummas ab Jerombalo Sacerdote Dei JEUO.* Facilè intelligitur, digitum his intendi ad Deum Hebræorum, JEHOVAM. Forma verò vocis Ἰευώ ſimilis ferè eſt genuinæ formæ. Sunt quippe in eâ duo φωνήεντα, quæ & in יְהוָה apparent. Altera forma eſt Ἰάω, Ἰαῶ, *Jao.* Quæ apparet in Diodoro Siculo, Macrobio, & quibuſdam Græcis ac Latinis Patribus. Diodorus Siculus quidem in libro I. Bibliothecæ: ubi narrat de legumlatoribus, qui ſe à Deo leges accepiſſe finxerunt, ſcribit item, παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαῶ ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι, *apud Judæos Moſen ſimu-*

ſimulaſſe, leges ab ipſo Deo, Iao dicto, ſibi datas eſſe. Satis apparet, Diodorum exprimere voluiſſe nomen יהוה; quo verus Deus apud Judæos utique appellatus fuit. Et deformavit quidem nomen iſtud: non ita tamen, ut nihil appareat ſimilitudinis. Certè primarium punctum, τ' Cholem puta, rectè eſt expreſſum. Quod apud Macrobium eſt, ita habet: Apollinem Clarium, conſultum, quis Deorum habendus ſit, qui vocetur Ἰάω, ita effatum fuiſſe:

> Φράζεο τ̃ πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω.
> Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
> Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.

Dic omnium ſummum Deum eſſe Iao; hieme quidem Plutonem, ineunte autem vere Jovem, æſtate Solem; autumno mollem Iao. Ita Diabolus vera falſis miſcuit. Τὸν Ἰάω dicit ſupremum Deum eſſe: hunc verò variis nominibus diverſis anni temporibus inſigniri: autumno demum nomen Ἰάω habere; quo ipſo Liberum ſive Bacchum videtur ſignificaſſe. Ipſe Macrobius ita judicavit, iſtius oraculi vi, numinis nominiſque interpretatione, Liberum patrem & Solem, Ἰάω ſignificari. Vide ejus lib. I. Saturn. c. XVIII. Eadem formâ, quâ in iſtis gentilibus ſcriptoribus nomen apparet, viſitur item in Græcis Patribus, ab hæreticis uſurpatum. Irenæus lib. I. adv. hær. c. XXXIV, de Gnoſticis, antiquis hæreticis, prodidit, eos ſeptem filios ab unâ matre, quam Spiritum S.

dixe-

dixerint, credidiſſe ortos, & hæc habuiſſe nomina; primum quidem Jaldaboth, alterum Jao, tertium Zabaoth magnum, quartum Adoneum, quintum Eloeum, ſextum Oræum, ſeptimum Aſtaphæum. Apparet hîc quoque, hæreticos eo nomine, quod ſecundo filio tribuerunt, exprimere voluiſſe, nomen veri Dei proprium. Uſurparunt & Valentiniani idem nomen eâdem formâ, ut ex Tertulliani libro de præſcript. adv. hær. c. XLIX. conſtat.

Utrumque iſtorum, quæ paulo antè diximus, veriſſimum eſt: nomen, inquam, ita ſcriptum, יְהֹוָה, habere aliena puncta; ſcriptum verò hoc modo, יְהֹוִה, habere propria. An verò hoc poſterius everti putabimus eo, quòd Veteres legerunt *Adonai*, quodque inſolita puncta ſubjiciuntur præfixis, cum hæc nomini יהוה adhærent? Sanè tam clarum eſt alterum illud, quam quod clariſſimum: neque igitur hoc quod objicitur, incommodare ei quicquam debet aut poteſt. Cogitandum potiùs, quomodo utrumque queat pro vero haberi, nec alterum evertat alterum. Dicimus igitur, Veteres non legiſſe יְהֹוִה; illas, inquam, literas cum iſtis punctis. Quæ verò vox legenda ſit ac ſubſtituenda, monere voluiſſe, ubi potuit, ſignis quibuſdam, atque his ἀναγνώσταις dirigere. *Primò*, ubi יְהֹוִה punctis ſuis propriis apparet, ipſa illa puncta putarunt vicem ſigni præſtare poſſe, quippe quæ cum punctis τοῦ אֲדֹנָי admodum parùm diſcrepant. *Ubi verò* ea puncta talis ſigni vicem præſtare haud commodè potuerunt, quòd ipſum אֲדֹנָי, non

non intercedente alio, vel præcedat vel ſequatur, nec per epizeuxin bis legi poſſit *Adonai*, nec interſtinctio intercedat, ſed prorſus ταυτολογία foret: ibi tum ſuppoſuerunt alia puncta, quæ ſignificarent, ne ipſum quidem nomen *Adonai* legendum eſſe, ſed aliud Dei nomen, *Elohim* puta. Fullerus exiſtimaſſe videtur, Veteres legiſſe etiam *Jehovih*, idque colligere voluiſſe ex nomine quo gentiles uſi fuerunt, *Jovis*. Nam in lib. II. Miſc. c. 6. ita differit: *Cur non æquè reliquos gentiles multò etiam antiquiores advocemus ad aſſerendam pronunciationem Jehova ſive Jehovi? Quid enim aliud eſt Jovis, vetuſtus Latinorum nominativus, quàm nomen Jehovi contractum?* Nos eâ in re ipſi conſentire non ſuſtinemus. *Porrò* ſi nomen יְהוִה præfixum haberet, ipſi præfixo ſuppoſuerunt punctum quòd alterius vocis legendæ unà cum cæteris punctis ſignum eſſet. Scripſerunt igitur מֵיְהוָה, לַיהוָה, בַּיהוָה, ubi juxta analogiam ſcribi debuiſſet מִיְהוָה, בִּיהוָה. Sic præfixa habent eadem puncta, quæ illis competunt, cum ipſi voci אֲדֹנָי præfiguntur. Scripſerunt item לֵיהוִה in Pſ. LXVIII, ut punctum ſub præfixo, & ipſum unà cum cæteris punctis ſignum eſſet vocis ibi legendæ לֵאלֹהִים. *Denique* ſi literæ בגדכפת proximarum vocum ſequentium primæ eſſent, in illis quoque leve ſignum lectionis exprimere voluerunt, dum Dages indiderunt, quod iſtis literis non imprimitur, niſi præcedentis vel vocis vel literæ ultima ſit mo-

bilis. Si igitur appareret יְהֹוָה, Dages in conſequentibus literis בגדכפת, unà cum punctis, quæ ipſa vox יְהֹוָה habet, voluerunt ſignum eſſe legendæ vocis *Adonai*: ſin appareret יֱהֹוִה, idem Dages in literis בגדכפת, unà cum punctis quæ ipſa vox יֱהֹוִה habet, juſſerunt ſignum eſſe legendæ vocis אֱלֹהִים. Atque ita expoſuimus mentem noſtram de punctis nominis יהוה, quam fieri potuit, clariſſimè. Quam item veriſſimam eſſe oportet, ſi quidem ſuperiora, quæ nimis manifeſta ac certa ſunt, pro certis ſingula haberi debeant. Iſtis verò, quæ noviſſimè diſſeruimus, reſponſum etiam eſto ad ea, quæ Sixtinus Amama in tmemate LXXXII diſſertationis de nomine Jehova diſſeruit: itemque ad nonnulla eorum quæ Fullero diluenda propoſuit. Quæ poſteriora qualia ſint, hîc quoque ad extremum legi non præter rem fuerit. *Si Scheva*, inquit, *Cholem & Kamez propria ſunt* τοῦ τετραγραμμάτου ὀνόματος *puncta, cur ergo ea mutat in Hatephſægol, Holem & Hirek, ſequente vel antecedente ipſo Adonai, & quidem ſolo hoc caſu, & ſine ullâ ullius loci exceptione? An hæc quoque puncta communia habet cum* אדני, *vel potiùs cùm nomine* אלהים? *Cur ergo in conſtructione, cum literis* מוכלב *per omnia punctationem* τοῦ אדני *imitatur, dum illæ non ſolùm ejuſmodi afficiuntur vocalibus, quas Grammatica ante nomen à literâ gutturali & patach incipiens requirit, ſed & litera Jod ſuum Scheva vel retinet, vel abjicit, planè ut* א *vocis Adonai ſuum Hatephpatach.*

CAP.

C A P. III.

An nomen יהוה *Moyſis demum tempore innotuerit. Oſiandri & aliorum id affirmantium ſententia rejecta. Non poſſe id colligi ex Exod. III. 3. Quis illorum verborum intellectus: affirmativus, an negativus. Præfertur poſterior, Deum ante Moyſem nomine Jehova non fuiſſe cognitum. Quomodo id commodè intelligendum, ne nobis adverſetur, ex analogiâ aliorum oſtenditur. Quod veteres non pronunciarunt nomen* יהוה, *id eorum non ſuperſtitioni, ſed pietati eſſe aſſignandum.*

DE nomine veri Dei proprio libet ampliùs conſiderare, an certum tempus determinari poſſit, quo Deus id poſuerit ſibi. Sunt equidem, qui credunt, tempore Moyſis demum id eſſe factum: idque colligi poſſe ex tertii capitis Exodi verſ. III. Verba ſuprà jam producta ſunt; nunc tamen etiam repeti ea, non præter rem fuerit: וָאֵרָא אֶל־אַבְרָהָם אֶל־יִצְחָק וְאֶל־יַעֲקֹב בְּאֵל שַׁדָּי וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם׃ *Apparui Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis* (nomine meo JEHOVA non indicatus, ſive cognitus ſum illis.) Super his verbis Oſiander in notis ad cap. III. Exodi ita diſſerit: *Infrà VI capite dicitur, hoc nomen Patriarchis ante Moſen non fuiſſe revelatum. Non igitur refert, quòd hoc nomen Jehova etiam in Geneſi legitur. Moſes enim iis vocabulis eſt uſus,*

quæ tum, cum ipſe ſcriberet, erant in uſu. Nobis ea ſententia minùs commoda videtur: contrà verò prædicta verba Exodi ita eſſe intelligenda, ut ante Moyſis quoque ætatem nomen Dei JEHOVA frequentatum fuiſſe credamus. Quòd Oſiander exiſtimat, S. Moyſem, cum hiſtoriam compoſuit, nomen JEHOVA ſuppoſuiſſe pro alio nomine, id parùm eſt credibile. Qùid verò dicendum de orationibus iſtis, quas S. Moyſes hiſtoriæ ſuæ inſeruit? An & in his putabimus non ipſum nomen JEHOVA fuiſſe expreſſum? & hoc à Moyſe modò ſubſtitutum pro iſto nomine, quod ab his expreſſum fuerit, qui orationibus fuerunt uſi? Exempli gratiâ: Gen. XVIII. exponitur colloquium Dei cum Abrahamo, & inter alia narratur, cum Sarah de futuro partu ſuo non ſatis accredidiſſet, reſponſum fuiſſe Abrahamo hiſce verbis, היפלא מיהוה דבר, *Nunquid Deo (JEHOVÆ) quicquam eſt difficile.* In hac, inquam, oratione, quâ Deus ad Abrahamum uſus eſt, parum veriſimile eſt, ſuppoſitum eſſe nomen JEHOVA pro alio quodam; non ipſum fuiſſe expreſſum. Quis item credet, in oratione Abrahami ad Deum, quæ eſt Gen. XV. 2. id nomen pro alio fuiſſe ſuppoſitum, & Abrahamum non uſum fuiſſe hiſce vocibus אדני יהוה? & orationis Dei, quæ eſt in eod. capite v. 5. non fuiſſe hoc exordium, אני יהוה. Apparet non hunc poſſe eſſe iſtorum verborum, quæ ex Exodo produximus, intellectum, quem Oſiander & alii eſſe crediderunt: atque igitur de alio ſuſpicandum eſſe.

Vir Clariſſimus prædictis verbis non negativam, ſed affirmativam vim ineſſe ſuſpicatus eſt: eſſe nimirum verba interrogativa primùm, hoc modo, *Et nomine meo Jehova annon cognitus ſum ipſis?* porrò verò affirmativa, hoc modo, *Atque etiam nomine meo Jehova cognitus ſum ipſis.* Non ſanè deſunt exempla ejus, לא poſitum eſſe pro הֲלֹא *annon, nonne*: & vocula לא non obſtiterit, quo minùs ita intelligantur verba, ut Vir clariſſimus ſuſpicatus eſt. Et ſanè nos quoque affirmativum iſtum intellectum citiùs receperimus, quàm ut ſtatuamus, Abrahamum & cæteros Patriarchas ante Moyſem de nomine JEHOVA nihil ſciviſſe. Quia tamen commodum aliquem negativum intellectum aſſequi licet, hunc præferendum putamus prædicto affirmativo; præſertim cum & cæteris verbis negativus iſte melius videatur congruere. Sint igitur harum duarum propoſitionum, *Apparui Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in Deo omnipotente: & nomine meo JEHOVA non cognitus ſum ipſis*, prior quidem affirmativa: altera verò negativa. Quid autem ſibi volunt duæ iſtæ propoſitiones? Hoc nimirum, Deum ter O. M. ſe quidem ut omnipotentem Patribus declaraſſe, ſibique abunde eſſe divitiarum, ut illos divites redderet: at nomine ſuo JEHOVA non fuiſſe cognitum illis, hoc eſt, *id quod ipſis pollicitus eſſet, nondum præſtitiſſe.*

Ea interpretatio jam olim Viris doctis probata fuit: inter alios quoque doctiſſimo Scripturarum Interpreti Paulo Fagio, qui in an-

Digitized by Google

notationibus ad Targum Chaldaicum profitetur, eam interpretationem ſibi ſimpliciſſimam videri. Eandem interpretationem ex Eraſmo Marbachio acceperat Oſiander, & ad cap. VI. Exodi eam expreſſit. Neque igitur opus habuit eam tenere ſententiam, quam paulò antè ipſius verbis expoſuimus. Vidit & R. Salomo Jarchi. Is enim in ſuo פירוש ita habet: הבטחתים הבטחות ובכלן אמרתי להם אני אל שדי : ושמי יי׳ לא נודעתי להם לא הודעתי אין כתוב כאן אלא לא נודעתי לא נכרתי להם במדת אמיתות שלי שעליה נקרא שמי יי׳ נאמן לאמת דברי שהרי הבטחתים ולא קיימתי : *Promiſi ipſis promiſſiones, & in omnibus illis dixi, Ego Deus omnipotens. Et nomine meo Jehova non ſum cognitus ipſis: Non ſcriptum eſt ſic, non notum feci, ſed, non cognitus ſum, hoc eſt, non ſum manifeſtatus ipſis in proprietate verificationum mearum, ob quas vocatum eſt nomen meum Jehova, fidele & conſtans propter veritatem verborum meorum, quia ecce promiſi ipſis & non præſtiti.*

Annon verò duriuſcula eſt iſta interpretatio? Sanè niſi ſimile quid deprehenſum fuiſſet in ſacris literis, vix in mentem veniſſet ita interpretari. Geminus autem & qui noſtrum præclarè illuſtrat modus loquendi, eſt in Eſaiæ capite LII, 5. 6. quem huc quoque tranſcribi operæ pretium eſt: *Jugiter totâ die nomen meum blaſphematur:* לכן ידע עמו שמי *Propter hoc ſciet*

ſciet populus meus nomen meum (Jehova) *in die illâ, quia ego ipſe qui loquor, ecce adſum.* In his τ' *ſcire nomen Dei*, non hoc ſignificat, *ſcire quodnam nomen Dei proprium ſit; ſed verò videre atque experiri, id quod Deus promiſit, ab eodem revera atque abunde præſtari.* Porrò ſi hujus phraſeos *ſcire nomen Dei*, talis vis eſt; alterius quoque phraſeos, quæ in Exodo eſt, eique gemina eſt, eadem poteſt vis eſſe atque ſignificatio. Igitur *Deum cognoſci nomine ſuo* nihil aliud ſignificat, quàm *Deum facere, ut videant homines, atque experiantur, præſtari id à Deo, quod promiſſum fuerat* ſive, quod idem eſt, *Deum idem illud quod promiſit præſtare.* Quinimo apparebit, verba ſic intellecta cum cæteris verbis optimè conſentire, & cætera verba id ferè poſtulare etiam, ut iſtiuſmodi intellectus, qualem dixi, ſit in iſtis verbis, quæ nunc verſamus. Nimirum verſiculus quartus & quintus prædicti cap. VI. Exodi ita habet: *Pepigi fœdus cum eis, ut darem eis terram Canaan, terram peregrinationis eorum, in quâ fuerunt advenæ. Ego audivi gemitum filiorum Iſraël, quo Ægyptii oppreſſerunt eos, & recordatus ſum pacti mei. Ego Dominus, qui educam vos &c.* In his Deus primò promiſſum à ſe factum recolit: deinde verò ſubdit, ſe ſervaturum promiſſa, moxque facturum ut illa appareant. Quo ipſo ſubinnuit, ſe hactenus non feciſſe, ut promiſſa apparerent. Hæc igitur poſteriora verba, quæ verſiculum quartum & quintum conſtituunt, uberior explicatio ſunt & ἐξήγησις verſiculi tertii, quem conſiderandum ſumpſimus, horum puta verborum: *Apparui Abra-*

Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, ut Deus omnipotens: ſed nomine meo JEHOVA non cognitus ſum eis.

Atque ita, ut dixi, iſta verba non obſtant, quo minùs credere liceat, nomen JEHOVA jam antè Moyſis tempora fuiſſe frequentatum. Allegavimus nos ſuprà orationes quaſdam, in quibus id expreſſum fuit. Fuit autem jam tum antiquiſſimis temporibus uſu receptum, ut nomen JEHOVA non pronunciaretur, ne quidem in librorum ſacrorum lectione; ſed pro eo inter legendum exprimeretur aliud Dei nomen. Quod conſtat ex antiquis verſionibus, ex ſcriptis Talmudicis, nec non & ex eo, quòd nomini quandoque aliena puncta, vocis puta *Elohim*, in ipſis ſacris codicibus appoſita viſuntur, itemque quòd ſi præfixa adhæreant, in his quoque ſigna ponuntur alterius vocis legendæ. Non autem putandum eſt, omnes Veteres tam ineptos fuiſſe, ut Talmudicos fuiſſe apparet, cum vitâ æternâ hi putarunt hominem excidere, qui nomen JEHOVA pronunciaret. Aſſignandum hoc potiùs eſt ipſorum τῇ ἐυλαβείᾳ ac pietati; quodque tantùm abeſſe ſtuduerint à profanatione nominis vero Deo proprii, ut ne tum quidem, ubi pronunciationem licitam eſſe non neſciverunt, pronunciarint. Sic nimirum aliam quaſi ſepem conſultum ipſis viſum fuit præſtruere iſti legi, quâ nomen divinum temere uſurpare vetamur.

CAP.

C A P. IV.

Nomina propria ex nomine יהוה *compoſita, vel rebus, vel perſonis fuiſſe impoſita. Singula eſſe integras enunciationes. Nomen,* Jehova jireh, *ab Abrahamo monti impoſitum. Nomina propria in verſionibus non unà cum cæteris vertenda. Nominis Morija etymon. Varia mutatio in nominibus propriis fabricandis, ut vel unica modò radicalis remaneat. Nominis Jeruſalem etymon. An à Davide demum urbs ſic dicta fuerit. Cœpiſſe ita appellari, ſub ingreſſum Iſraëlitarum in Palæſtinam. Vis nominis* Jehova niſſi *Exod. XVII. Examinantur & rejiciuntur Tremellii ac aliorum Interpretationes. Vis nominis,* Jehova ſchalom *Jud. VI. Tremellius iterum reprehenſus. Vulgatus item, & qui hunc corrigere voluit, Oſiander. Rejecta & Ledebubrii conjectura de vi accentus in eo nomine. Nomen* Jehova ſchammah, *Ezech. ult. Nomina ſæpe poni pro re. Vis Nominis,* Jehova Zidkenu *Jer. XXXIII. Vulgatæ verſionis mendum. Huntlæus reprehenſus. Idiotiſmus Hebræus, vocabit, pro vocabunt.*

LIbet nunc ampliùs ea nomina propria conſiderare, quæ ex nomine JEHOVA ſunt compoſita. Eorum igitur alia rebus quibuſdam inanimatis, alia hominibus tributa deprehendimus. Quæ prioris generis ſunt, ea non coaluerunt in unam vocem, ſed nomen יהוה ſeparatim in iis ponitur. Quæ autem homini-

bus tributa ſunt, ea in unam vocem coaluerunt. Singula autem tam inanimatorum, quam hominum nomina integras propoſitiones ſive enunciationes continent. Nimirum habent hoc Hebræi, ut integras quoque enunciationes nomina propria conſtituant. Exemplum nominis, quod rei inanimatæ tributum eſt, reperimus Gen. XXII. ubi cum narratum eſſet de Abrahamo, filium ſuum immolare inſtituente, & ab Angelo prohibito, ſubditur deinde, Abrahamum vocaſſe locum iſtum, in quo Iſaacum immolare inſtituerit, hoc nomine יְהוָֹה יִרְאֶה. Iſtud nomen, quod Abrahamus loco indidit, integra utique eſt enunciatio, ſi vim ejus ſpectes. Sanè in verſionibus ea quæ nominum propriorum vicem ſuſtinent, unà cum cæteris haud temere ſunt vertenda. Neque enim concinnè fecit Latinus Interpres, quòd nomina propria quandoque ſic ut cætera vertit. Exempli gratiâ, quòd Exod. XVII, 7. ita reddidit: *Vocavit nomen loci, Tentatio.* Neque concinniùs in aliis quibuſdam fecit idem Interpres: tum quoque Interpretes Græci. Veruntamen nihil vetat, quò minùs ad ipſorum quoque nominum propriorum vim, ſignificationem, rationemque impoſitionis attendamus. Iſtud igitur nomen, quod Abrahamus loco indidit, ſic utique eſt vertendum, *Jehova videt*: eſtque ut dixi, integra enunciatio, ſubjecto & prædicato conſtans. Juſſus fuerat Abrahamus proficiſci אֶל אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה *in regionem Morijah*: inque hac certus locus ei demonſtratus fuit. Dicitur quippe in v. VIII. præ-

dicti

dicti capitis, veniſſe Abrahamum ad locum iſtum, de quo dixiſſet Jehova, ibique altare exſtruxiſſe. Locus verò ſine dubio fuit mons quidam. Cum enim memoraſſet ſacer ſcriptor, quodnam nomen Abrahamus indiderit loco iſti, mox ſubdit de parœmiâ quadam, quæ ex iſtâ occaſione frequentata poſt illa fuerit. Verba ita habent: *Hinc dicitur* (dici ſolet) *hodie* (*noſtrâ ætate*), בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה *In monte* cui nomen eſt, *JEHOVA JERAEH* (Jehova videtur ſive apparet: videri ſive apparere ſolet.) Levis omnino diſcrepantia eſt inter יְהוָה יִרְאֶה. יְהוָה יֵרָאֶה Et utriuſque nominis commoda eſt ſignificatio. Nam & vidit Deus, quid Abrahamus inſtitueret facere, ejuſque obedientiam ac fidem ob oculos ipſi ponere ſatis habuit. Viſus item eſt Jehova ſive apparuit, quemadmodum alias Abrahamo apparere ſolitus fuerat. In quodam igitur monte Abrahamus immolare juſſus fuerat filium ſuum: eique monti inditum fuit nomen יְהוָה יִרְאֶה & יְהוָה יֵרָאֶה.

Ex his porrò nominibus fabricatum eſt nomen montis מוֹרִיָּה *Morijah*, in quo à Salomone templum fuiſſe ædificatum proditum eſt in II. Par. III, 2: in quo item antea David juſſus fuerat immolare, iſtâ quidem parte, quæ *area Araſnæ* fuit, ut apparet ex eodem loco, & ex I. Par. XXII, 18. & c. XXIII, 1. Sed de iſto montis Morijæ etymo parùm liquida res videri poſſit, niſi antè conjicere liceat, montem iſtum in quo templum ædificatum fuit, non alium ab eo eſſe, in quo Abrahamus filium ſuum immolare juſſus fuit. Colligere igitur hoc licet

ex

ex eo, quòd Abrahamus proficiſci juſſus fuit אֶל אֶרֶץ הַמּוֹרִיָּה *in regionem Morijah*, in eaque locum occupare, in quo imperata faceret, ut ex prædicti cap. XXII. Geneſeos, verſiculo I. apparet. Regio, in qua deſtinatus locus fuit, dicta eſt *regio Morijah*. Ipſe item deſtinatus locus mons fuit, ut paulò antè colligebamus. Monti autem in quo templum poſtea exſtructum, & ipſi Morijah nomen fuit, ut itidem eſt oſtenſum. Ex quo ſanè ſatis veriſimile fit, regionem Morijah ita dictam fuiſſe ab illo ipſo monte Morijah.

Quomodo autem ex hoc nomine montis יְהוָה יִרְאֶה, fabricatum ſit alterum ejuſdem nomen מוֹרִיָּה, id nunc videamus. Scitè conjecturam fecit Nicolaus Fullerus, nomen מוֹרִיָּה proximè fabricatum eſſe ex his, מַרְאֶה יָהּ *apparet Deus*. Notum eſt, יָהּ eſſe alterum veri Dei nomen, quod cum nomine יְהוָה in nominibus propriis fabricandis ſæpe permutatur. In exemplum capiatur modò nomen יְהוֹיָכִין *Jehojachin*: quod item ſic exprimitur יְכָנְיָה & כָּנְיָהוּ per aphæreſin τοῦ *Jod*. Nec illud turbare nos debet, quod יָהּ in nomine מוריה non habet Mappik לֵית ה impreſſum. Id enim in nominibus ex eo compoſitis omitti ſolet, ut vel ex nomine יְכָנְיָה apparet. Ex voce מַרְאֶה remanſit unica modò radicalis litera, *Reſch* nimirum. Litera ſervilis autem pro brevi puncto *Kamez chat.* accepit longum *Cholem*. Neque mirum id eſſe debet, unicam modò radicalem remanſiſſe. Varia nimirum mutatio fit in nominibus propriis fabricandis. In nomine שְׁמוּאֵל itidem

dem remanſit unica modò radicalis litera vocis שָׁאַל *petiit*. Nam שְׁמוּאֵל factum eſt ex his, שָׁאוּל מֵאֵל *petitus à Domino*. Talem enim rationem nominis reddidit ipſa Hanna, כִּי מֵיְהוָֹה שְׁאִלְתִּיו *quia à Domino petii ipſum*. Vide I. Sam. I. 20. Hæ porrò voces מֵרָאֶה יָהּ, ex quibus proximè fabricatum eſſe diximus nomen מֹרִיָּה, ſenſu planè congruunt cum iſtis vocibus, quibus ut nomine proprio Abrahamus montem appellavit, cum his puta, יְהוָֹה יֵרָאֶה. Priora enim iſta ita vertenda ſunt, *Apparens* eſt, ſive *apparet Jehova*: poſteriora verò ſic, *Jehova apparet*, ſive *videtur*. Agnovit & Latinus Interpres, nomen מוֹרִיָּה formatum eſſe à radice רָאָה *vidit*. Nam is Gen. XXII, 2. ita vertit: *Abi in terram viſionis*. Sed alteram vocem, ex quâ compoſitum eſt nomen, יָהּ nimirum, neglexit idem Interpres.

Dicat quiſpiam: quî nominis *Morijah* etymon peti poteſt ex iſto nomine, quo Abrahamus montem appellavit, cum nomen *Morijah* jam tum obtinuerit, antequam nomen fabricaretur Abrahamus? Moyſem enim nomen *Morijah* jam expreſſiſſe in cap. XXII. Geneſeos, antequam de impoſitione nominis, quam Abrahamus fecit, narraret. Sciendum igitur, multa in S. literis per prolepſin ſive anticipationem eſſe poſita: etiam nomina propria expreſſa eſſe in tali hiſtoriâ, quæ diu ante eorum nominum impoſitionem uſu venit. Exempli cauſâ: Gen. XII. 5. exprimitur nomen *Bethel* in hiſtoriâ Abrahami; cum tamen conſtet, iſtuc

iſtuc nomen à Jacobo demum, nepote Abrahami, loco fuiſſe inditum.

Ex nomine iſto, quod Abrahamus monti indidit, Viri docti conjectarunt, habere item partem aliquam nomen urbis יְרוּשָׁלַםִ. Priorem nimirum hujus nominis partem יְרוּ eſſe formatam ex poſteriore parte alterius nominis, יִרְאֶה יִרְאֶה vel יֵרָאֶה. Quod quidem nobis quoque non abſimile vero videtur. Primò enim conſtat, collem iſtum, qui ab Abrahamo his nominibus יְהוָה יִרְאֶה & יְהוָה יֵרָאֶה, poſtea item nomine ejuſdem ſignificationis מוֹרִיָּה appellatus fuit, fuiſſe poſterioribus temporibus intra Hieroſolymorum mœnia, & una cum aliis quibuſdam collibus illud ipſum ſpatium fuiſſe, cui urbs Hieroſolyma innitebatur. Deinde conſtat etiam, eam urbem quæ יְרוּשָׁלַםִ dicta poſterioribus temporibus, initio dictam fuiſſe nomine ſimplici שָׁלֵם: quod reperitur in Gen. XIV. 18. ubi Melchiſedek Rex Salem dicitur, atque igitur tempore Melchiſedeki & Abrahami frequentatum fuit. Idem quoque vetus nomen uſurpatum reperitur à S. Davide tum, cum vulgò jam *Jeruſchalaim* diceretur. Nimirum in Pſ. LXXVI. ita differit Vir ſanctus: *Notus in Judæâ* (Judâ) *Deus: in Iſraël magnum nomen ejus.* וַיְהִי בְשָׁלֵם סוכו *In Salem eſt tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Zion.* Fuit item, cum יְבוּס eadem urbs diceretur. Nam in Jud. c. XIX, 20. ita legitur: *Venit in Jebus, quæ altero nomine vocatur Jeruſalem.* Et in I. Par. XI, 4. *Abiit quoque David & omnis Iſraël in Jeruſalem: hæc eſt Jebus,*

Digitized by Google

Jebus, ubi erant Jebuſæi habitatores terræ. Nomen *Jeruſchalaim* quod inter tria ejuſdem urbis nomina eſt, Cl. Vir Salomon Glaſſius exiſtimat à Davide demum fuiſſe urbi impoſitum, cum is Jebuſæis eam extorſiſſet: quodque idem nomen in antiquiore etiam hiſtoriâ reperitur, verbi gratiâ Jud. I, 8. id κατὰ πρόληψιν, ut alia quædam, eſſe intelligendum. Quâ in re nos ipſi aſſentire non ſuſtinemus: propterea quòd ſtatuendum ſic ſimul foret, librum Judicum temporibus Davidis demum perſcriptum eſſe, qüippe in quo nomen *Jeruſchalaim* non ſemel reperitur.

Malimus autem ſic ſentire, urbem, cum ab Abrahami ætate uſque ad ingreſſum Iſraëlitarum in Palæſtinam *Salem* dicta eſſet, ab Iſraëlitis, qui ſub ingreſſum ſuum in Palæſtinam eam occuparunt, *Jeruſchalaim* dictam fuiſſe. Occupaſſe Iſraëlitas eam urbem, conſtat ex Jud. I, 8. Non verò planè tum expulſi fuerunt Jebuſæi veteres habitatores, ſed unà cum victoribus Benjeminitis antiquas ſedes tenuerunt, uti id ex ejuſdem cap. v. XXIII conſtat. Poſtea caſu neſcio quo, Benjaminitæ rurſus amiſerunt eam urbem, & ſoli tenuerunt Jebuſæi. Nec ita diu poſt expugnatam urbem id uſu veniſſe apparet. Nam ſacer Scriptor in eodem libro Judicum, in quo de expugnatione urbis prodiderat, capite quidem XIX. v. 10. ita ſcribit: *Venit in Jebus, quæ altero nomine Jeruſchalaim dicitur:* quaſi diceret, Iſraëlitas quidem *Jeruſchalaim* dixiſſe; ſed quòd Jebuſæi poſtea prævalerent, ut plurimùm dictam fuiſſe *Jebus*, vetere ut videtur nomine, quodque
jam

jam tum ante ingreſſum Iſraëlitarum in Palæſtinam unà cum altero priſco nomine *Salem* frequentatum fuerit. Quoniam igitur conſtat de his duobus, urbem *Jeruſchalaim* initio *Salem* fuiſſe dictam, eandemque comprehendiſſe collem iſtum, quem Abrahamus nomine יהוה יראה appellaverat: perquam veriſimile eſt, Iſraëlitas cum urbem expugnaſſent, paululùm mutaſſe nomen; addendo partem nominis iſtius, quo collis iſte jam olim dictus fuerat, ipſi veteri nomini urbis *Salem*, ſicque *Jeruſchalaim* dixiſſe. Sed qui ex יִרְאֶה fecerint יְרוּ, nondum fortaſſe ſatis liquet. Monemus iterum, quod jam ſuprà dictum eſt, in nominibus propriis fabricandis mirè ſibi quandoque indulſiſſe Hebræos; adeò ut vel una modò radicalis litera remanſerit. Sic igitur & in hoc noſtro factum eſt. Remanſit radicalis litera *Reſch*. Deinde ſervilis *Jod* etiam retenta eſt, mutatumque eſt *Chirek p.* in *Scheva*, quòd Scheva ſub *Reſch* jam periret. *Aleph* denique & *He* radicales non apparent: pro illis autem apparet *Vau Schurek*. Nimirum *Aleph* & *He* alias quoque cum *Vau* permutantur. Sed de nomine Hieroſolymorum fuſiùs à nobis dictum eſt, quam initio inſtitueramus. Conſideremus nunc alia nomina rerum inanimatarum quæ ex nomine יהוה ſunt compoſita.

In capite XVII Exodi proditum eſt, cum Iſraëlitæ Amalekitas fudiſſent, Moyſem exſtruxiſſe altare, huicque nomen indidiſſe, יְהוָה נִסִּי. Quod nomen nobis interpretari libet hoc pacto, *Jehova* eſt *vexillum meum*. Plerique omnes vocem נסי vel non rectè interpretan-

tantur, vel cum præcedentibus non rectè connectunt. Tremellius ita: *Tunc exſtruxit Moſche altare; cujus vocavit nomen, Jehovæ vexilli mei.* Poſuit is ea verba quæ nos caſibus rectis expreſſimus, obliquis caſibus. Sed valde inconcinnè. Cum quo enim præcedentium cohærebunt duo iſti Genitivi? Sanè ſic fuerint ordinanda iſta verba, *cujus* (altaris) *nomen vocavit.* Et habet igitur vox *nomen* Genitivum *cujus:* nec pertinere ad eam poſſunt duo alteri Genitivi. Aben Eſra ad voces iſtas *Jehova niſſi* ſubaudit vocem מִזְבֵּחַ *altare:* ut ſic ſit vertendum, *Vocavit nomen ejus, Altare Jehovæ vexilli mei.* Sed nihil opus eſt, iſtam vocem ſubaudiri. Non novum eſt, iſtiuſmodi nomina, quæ integram propoſitionem continent, rebus imponi. Vidimus jam exemplum quoddam; montem puta, in quo Abrahamus filium ſuum immolare juſſus fuerat, dictum eſſe יהוה יראה *Jehova videt.* Quidni igitur & altaris nomen proprium potuiſſet ſic habere, יהוה נסי *Jehova* eſt *vexillum meum.* Græci vocem נסי verterunt καταφυγή μου; quaſi vox oriunda eſſet à radice נוס *fugere.* Latinus Interpres vertit, *exaltatio mea.* Quod propius ſanè eſt vero quàm illud Græcorum. Vexillum nimirum exaltari ſolet. Chaldæus putavit, vocem hîc *miraculum* ſignificare, ut ex ejus paraphraſi intelligi licet, quæ ſic habet, ופלח עלוהי קדם יי דעביד ליה ניסין.

Nobis commodiſſima videtur interpretatio iſta quam dedimus: iſto, inquam, ſignificatu

 vocis

vocis נסי, & iſtâ quoque vocum cohærentiâ. Quid verò id ſignificabit *Jehova* eſt *vexillum meum*? An hunc credemus verborum eſſe intellectum, *Jehova vexillum erigit*? ut *vexillum* poſitum ſit pro *vexillum erigente*. Sanè ſic ſentit Tremellius. Ita enim commentatur: *Qui per me populo ſuo in conflictu iſto vexillum erexit, & in perpetuum erigit.* Cl. Glaſſius in Rhet. S. p. 161. ita explicat: *Dominus adjutor meus eſt, nunc & in poſterum, contra Amalekitas & omnes alios adverſarios.* Nobis præcipuè placet hic intellectus: *Jehova me dirigit, quemadmodum milites vexillum ſuum: dum ad Jehovam ipſe ſemper reſpicio, quemadmodum ad vexillum milites, & ipſius juſſa capeſſere ſum paratus.* Tale igitur nomen S. Moyſes indidit altari, in memoriam inſignis iſtius victoriæ contra Amalekitas, quam præeunte ac moderante divino Numine obtinuerant Iſraëlitæ. Qualis verò metaphora in iſto nomine altaris apparet, talis eſt & in aliis Scripturæ locis. Pertinet huc locus Eſ. LIX, 19. רוּחַ יְהוָה נֹסְסָה בוֹ *Spiritus Domini vexillum erigit in ipſo* (Chriſto). Quem locum Cl. Glaſſius in Rhet. S. concinnè ſic παραφράζει: *efficiens, ut Chriſtus ſit illud vexillum populorum; ſeu ut in Chriſto ejuſque agnitione, ceu fundamento, Eccleſia colligatur; ſicut ad erectum vexillum milites conſcribuntur & congregantur.* Vide & Cl. Bootium in eam ſententiam differentem lib. I. Animadverſ. ſacr. c. III.

Aliud quoddam nomen, quod ex nomine JEHOVA compoſitum eſt, reperimus in Jud. c. VI. v. 24. in his verbis: *Et exſtruxit ibi*

ibi Gideon altare Domino, יְהוָה שָׁלוֹם וַיִּקְרָא לוֹ *& vocavit illud*, *JEHOVA SCHALOM*. Occaſio ejus nominis altari indendi apparet ex præcedente verſiculo, qui ita habet: *Et dixit ipſi Dominus*; שָׁלוֹם לְךָ *pax tibi*, *ne timeas*, *non morieris*. Dixerat Deus, שָׁלוֹם לְךָ. Gideon igitur altari nomen indidit יהוה שלום. Quod nomen primò κατὰ πόδα ſic interpretamur, *Jehova* eſt *pax*: ac integram ſtatuimus id eſſe enunciationem; quemadmodum & ſuperiora nomina ſunt integræ enunciationes. Deinde verò dicimus, in voce שלום tropum eſſe, eamque vocem hîc ſignificare *pacis ſive felicitatis autorem*. Atque ita intellectus iſtius nominis percommodus eſt. Iſtiuſmodi verò tropo, qualem ſignificamus, metonymiâ puta effecti pro cauſâ, nihil frequentius eſt in ſcripturis ſacris. Capiamus exempla: *Ego ſum merces ſua*, Gen. XV. 1. *Jehova eſt vita tua*, *& longitudo dierum tuorum* Deut. XXX. 26. Jehova dicitur יְשׁוּעָתֵנוּ *Salus noſtra*, Pſ. LXVIII. 20. Chriſtus item יְשׁוּעָה *Salus Dei* dicitur Eſ. XLIX. 6. & in N. T. σωτήριον Θεοῦ, Luc. II. 30.

Quamvis verò data à nobis explicatio tam clara & commoda ſit, quam quæ maximè: interpretes tamen mirè ab iſtâ abluſerunt. Tremellius ne nomen quidem proprium agnoſcit in prædictis verbis. Vertit enim ſic: *Exſtruxit ibi Gidhon altare Jehovæ*, *quum proclamaviſſet ipſi Jehovæ pacem*. Vulgatus Interpres agnoſcit quidem nomen proprium; verùm non

rectè id exprimit. Vertit quidem hunc in modum: *Ædificavit ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax.* Quô, amabo, demonſtrabitur, vocem יְהוָה in nomine iſto altaris vim Genitivi caſus habere? Sanè ſic in Hebræo ponendum fuiſſet לַיהוה. Oſiander corrigere conatus eſt vulgatum Interpretem, vertitque *Dominus pacis.* Sed nec illud rectè ſe habet, ſi enim ita vertas, ipſum altare יְהוָה dicitur, nomine iſto quod Deus ſibi voluit eſſe proprium. Caſpar Ledebuhrius qui paucos abhinc annos de ratione accentuum nova, nec antè obſervata prodidit, exiſtimat nomen יהוה non eſſe in eodem commate ponendum cum nomine שלים, neque nomen altaris fuiſſe יְהוָה שָׁלוֹם, ſed modò שָׁלוֹם. Vertit igitur hunc in modum: *Ædificavit ibi Gideon altare, & vocavit illud Jehova,* שָׁלוֹם *pax.* Vult, ut apparet, idem Ledebuhrius, ipſum Deum indidiſſe nomen altari; non Gideonem, ut vulgò creditur. Quod nobis equidem parùm veriſimile videtur. Quis credat, non ipſum illum qui altare ædificavit, indidiſſe nomen? Deinde reſpicere etiam jubemus ad ſuperiora, in quibus quippe expoſuimus duo exempla Virorum, quorum unus monti, alter altari eodem modo nomen indidit, conſtans quidem illud duabus enunciationis partibus, ſubjecto & prædicato. Quod verò ex accentuum poſitu diverſum probare conatus eſt Ledebuhrius, id non videtur nobis ſatis firmum eſſe. Fieri enim poteſt, ut regula ipſa exceptionem patiatur,

ac

ac ἀνωμάλως accentus iſtîc ſit poſitus. Sanè in ſuperioribus atque in ſecuturis exemplis, ante ipſum nomen quod memoratur, poſitus eſt accentus *Tiphcha*, qui leviter orationem diſtinguere ſolet, ac in prædictis utique etiam diſtinguit. In his autem quæ nunc verſamus, *Tiphcha* eſt ſub ipſâ voce יְהוָה, quæ nominis proprii quod altari inditum fuit, pars eſt, atque igitur orationem, non ſic ut ſolet, diſtinguit.

Aliud nomen quod ſuperioribus ſimile eſt, reperimus in extremo libro Ezechielis. Verba ita habent: וְשֵׁם הָעִיר מִיּוֹם יְהוָה שָׁמָּה *& nomen urbis ex illâ die, JEHOVA SCHAMMAH.* Agitur in iſto loco de ſpiritualibus Hieroſolymis, hiſque novum nomen inditur, quod ipſum ſuperioribus nominibus perquam ſimile eſt. Nam & hoc nomen integra enunciatio eſt, ſubjecto & prædicato conſtans, verbo ſubſtantivo ut alias ſit ſubaudito, hoc modo: *JEHOVA eſt ibidem.* Hîc verò obſervandum eſt, ſæpe alicui rei aut perſonæ nomen inditum dici, cum tamen res ipſa modò, quam nomen ſignificare poteſt, demonſtretur. Sic Eſ. VII, 17. *Vocabis nomen ejus Immanuel:* non quòd hoc nomine appellandus eſſet Chriſtus, ſed ut res ipſa modò indicaretur; quòd puta dum Chriſtus eſt nobiſcum, ipſe Deus nobiſcum ſit. Talia multa ſunt in Eſ. capite IX, 6. *Vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius &c.* Tale etiam eſt Eſ. LXII, 4. *Non vocaberis ultra derelicta, ſed vocaberis* חֶפְצִי בָהּ *Voluptas mea in eâ.* Non aliter urbs ſpiritualis vocatur *JE-*

HOVA SCHAMMAH: eoque nominè indicatur modò res ipſa, Jehovam nimirum in ſpiritualibus Hieroſolymis, hoc eſt, in Eccleſiâ verſaturum, eamque gubernaturum.

Conſimile nomen Eccleſiæ inditum quoque eſt in Jer. XXXIII, 15. Verba ita habent: *In illis diebus* (quo Davidi excitabitur germen juſtum) *ſalvabitur Juda, & Jeruſalem habitabit confidenter*: וְזֶה אֲשֶׁר־יִקְרָא־לָהּ יְהוָה צִדְקֵנוּ *& hoc* (eſt nomen) *quo vocabit* (vocabunt) *eam*, *JEHOVA ZIDKENU*. Nomen iſtud inditur utique ipſis Hieroſolymis, hoc eſt, Eccleſiæ. Quod tum ex συνεχείᾳ proximorum ſuperiorum verborum ſatis apparet, tum quoque ex voculâ לָהּ, quæ ſuffixum fœmininum genus habet. Sic & in proximis ſupp. verbum fœm. gen. junctum eſt nomini urbis hoc modo, יְרוּשָׁלַםִ תִּשְׁכּוֹן *Jeruſalem habitabit.* Parùm concinnè igitur habet Vulgata Latina verſio: *& hoc eſt nomen quod vocabunt EUM.* Multa tamen MSS. ejuſdem verſionis rectiùs habent *EAM*. Quam lectionem Lovanienſes in margine curarunt apponendam. Huntlæus Jeſuita ex voce *EUM* colligere voluit in Hebræo textu olim fuiſſe לוֹ: atque igitur in eodem ſphalma apparere. Sed ineptus eſt iſte, quòd corruptiones textuum temere fingit, nec ad facilem iſtum ac perſpicuum intellectum, quem proxima ſupp. ſuppeditant, attendit. Nomen ipſum in Latinâ Verſione itidem non ſatis rectè eſt expreſſum. Habet quidem ita; *Dominus juſtus noſter.* Eſt autem omnino ſic ver-

vertendum: *Jehova* eſt *juſtitia noſtra.* Hoc igitur nomen apprimè congruit Hieroſolymis, hoc eſt Eccleſiæ N. T. Verè enim Jehova, hoc eſt, Chriſtus ejus juſtitia eſt. Quod & Scriptores N. T. repetierunt. Paulus I. Cor. I. 30. ita: Χριστὸς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη, τε ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις. In voce יִקְרָא *vocabit* idiotiſmus linguæ eſt. Ita nimirum Hebræi abſolutè ponunt verbum tertiæ perſonæ & quidem ſingularis numeri: quod in aliis linguis verbo pluralis numeri eſt vertendum, ſubaudito convenienti quodam nomine, vel etiam verbo paſſivæ vocis. Noſtra igitur vox Latinè ſic vertenda fuerit, *vocabunt* vel *vocabitur.* Germani commodè talia exprimunt: *Man wird ſie nennen.* Vide talia plurima à Cl. Glaſſio collecta, Gramm. S. tract. III. de Verbo, cap. XXIII. Eorum nonnulla huc quoque adſcribemus. Geneſeos cap. XVI, 14. *Idcirco* קָרָא *vocavit puteum iſtum*, hoc eſt, vocarunt, ſive puteus vocatus eſt. Michæ II, 4. *Tempore illo* יִשָּׂא *proferet de vobis parabolam, & lamentabitur lamentum*, hoc eſt, proferent, *lamentabuntur.* Germanicè: *Man wird einen Spruch von euch machen und klagen.*

Digitized by Google

C A P. V.

Nomina propria perſonarum ex nomine יהוה *compoſita, eſſe itidem integras enunciationes. Subjectum & prædicatum hîc non ſeorſim ponuntur, ſed in unam vocem coaleſcunt. Plurima ejus rei exempla: ut Jehonathan, Jehojada, Jehochanan. Horum priorem partem ampliùs contrahi ſolere in* Joh. *Jochanan eſſe nomen tum virorum, tum mulierum. Quomodo Græci id immutent, & quales* πλωσεις *addant. Jojada in Matth.* XXIII. *dici Barachiam. Hujus nominis vis. Partem ejus poſteriorem eſſe* יה*, nomen Dei. De nomine Jojachin. Ejus duplex alia forma. Nomen Jojakim. Nomen* יהוה *etiam gentilibus notum. Joachaz & Achazia nomina idem ſignificantia, & ejuſdem perſonæ. Sallum I. Par. X. quis ſit. Non eſſe Jochananum, Joſiæ primogenitum, ſed Joachazum. Plurima alia nomina, ex* יהוה *compoſita. Videri ex eodem etiam compoſita, Joël, Joab. Nomen Jehoſeph compoſitum ex eo non eſſe. De vi nominis Jehoſchua. Vox* שוע *in quibus nominibus: & quid ſignificet.*

NOmina rerum aut locorum, quæ ex nomine *Jehova* ſunt compoſita, ſingula, ut apparet, integræ ſunt enunciationes, habentque ſubjectum & prædicatum: copula, quæ alibi diſertè additur, in his ſubaudienda eſt, aut verbo eſt incluſa. Subjectum verò & prædicatum ſeparatim ſunt poſita, nec in unam vocem

vocem coaluerunt. Nomina propria perſonarum, quæ ex nomine *Jehova* compoſita ſunt, cum ſuperioribus in eo conveniunt, quòd integræ item ſunt enunciationes, & ſubjectum ac prædicatum habent: in eo verò diſcrepant, quod ſubjectum & prædicatum coaleſcunt in unam vocem. Quo etiam porrò factum, ut ex nomine *Jehova*, quod in talibus ſubjectum eſt, aliqua particula ſit reciſa, ultima nimirum litera ה cum præcedente vocali *Kamez*. Poſterior verò pars iſtiuſmodi nominum vel nomen eſt vel verbum. Copula item vel ſubaudienda eſt vel verbo eſt incluſa. Exempli gratiâ: יוֹנָתָן nomen, quo filius Sauli dictus fuit, compoſitum eſt ex nomine veri Dei proprio יהוה & verbo נָתַן *dedit*. Ut ita iſtud nomen integra ſit enunciatio, hoc modo: *Jehova dedit*. Qui vulgò nomina iſtiuſmodi interpretantur, ita id faciunt, ut non appareat id quod dixi, integram puta enunciationem in talibus eſſe. Vertunt enim: *Domini donum*. Ex nomine יהוה poſterior pars reciſa eſt. Pars autem poſterior, cum extra iſtiuſmodi compoſitionem *Kamez* & *Pathach* habeat, nunc in ipſo hoc nomine compoſito duplex *Kamez* habet.

Conſideremus & cætera nomina, quæ ad eundem modum ſe habent. Inter ea eſt etiam יְהוֹיָדָע. Cujus nominis hic intellectus eſt, *Jehovâ novit*: atque igitur illud ipſum nomen integra itidem eſt enunciatio. Poſterior nominis pars, cum ipſa radix ſit, atque aliàs præter unum Kamez habere ſoleat *Pathach*, hic in compoſito nomine duplex Kamez habet.

 Fuit

Fuit id nomen ſummi Sacerdotis, cujus operâ Joaſus Rex in ſolium reſtitutus fuit, uti proditum eſt II. Reg. XI. Talia nomina cum Græci ſuis literis exprimere voluerunt, expreſſerunt Ἰωιαδὲ: ut ה quoque, nominis *Jehova* prima radicalis litera, negligatur. Sic verò non hi tantùm expreſſerunt qui Græcis literis fuerunt uſi, ſed in ipſâ Hebræâ quoque oratione tale quid apparet. Nehemiæ c. XII. v. 11. nomen ſic exprimitur יֹדָע. Sic & proximum ſuperius nomen in eodem capite ſic expeſſum reperimus יֹנָתָן, eliſo itidem ה. Nec aliter in I. Sam. XIV. legitur ſæpius.

Jojada iſte, de quo dicebamus in Par. VI. v. 10. appellatur alio nomine יֹחָנָן, ut ex genealogiâ ſummorum Sacerdotum, quæ ibi texitur, facilè colligi licet. Quod nomen & ipſum integra eſt enunciatio, ejuſque intellectus hic eſt, *Jehova miſericors eſt*. Nimirum prior ejus pars eſt decurtata ex nomine יהוה; quemadmodum & in nominibus *Jonathan* & *Jojada* eſt factum. Pars verò poſterior eſt ipſa radix, quæ cum aliàs præter unum Kamez etiam *Pathach* habere ſoleat, hîc in nomine compoſito pro *Pathach* iſto *Kamez* habet. In Nehemiæ capite XII. v. 1. exprimitur hoc modo, יְהוֹחָנָן: ut adeò prima radicalis ה quoque appareat. Reperitur autem & alterum magis adhuc decurtatum nomen in eodem capite. Græci cum nomen *Jochanan* expreſſerunt, ex poſteriore quoque parte reciderunt aliquid, unum puta *Nun*; quin & τὸ ח quod in medio nomine eſt, non expreſſerunt. Contrà verò in fine adjecerunt terminationem ης, dixe-

dixeruntque adeò Ἰώαννης. Et iſtâ quidem terminatione nomen virorum id fuit. Aliâ verò teminatione fuit nomen fœminarum, hac puta, Ἰώαννα. Videre licet iſtam formam in capite VIII. Lucæ, v. 3. Sic & in aliis, ſi Hebræum nomen in *Nun* deſineret, in Græcâ oratione addita fuit eadem terminatio να. Exemplo ſit in eodem capite nomen Σουσάννα. Ceterum de nomine *Jochanan*, ſive Ἰώαννης id quoque monendum eſt, minùs commodè id videri vulgò verti hoc modo, *Gratia Dei:* pejùs etiam ita, *gratioſus, pius, miſericors.* Eſt in ea voce, ut dixi, ſubjectum & prædicatum: quorum igitur utrumque in verſione exprimi debet. Duæ verò voces, *Gratia Dei*, non ſunt enunciatio, ſed modò notio. Altera verſio ab Oſiandro data eſt, eaque pejus, ut dixi, ſe habet. Non enim hæc vis eſt nominis, ipſum illum hominem, qui iſtuc nomen habet, gratioſum eſſe, pium, miſericordem, ſed vero, *Jehovam miſericordem & benignum eſſe.*

Prædictus iſte *Jojada* adhuc alio nomine in ſacris literis appellatus eſſe creditur, nomine Barachiæ puta. In Matthæi capite XXIII. Zacharias aliquis qui filius Barachiæ fuerit, occiſus fuiſſe legitur inter templum & altare. Cum igitur & Jojada filium habuerit, nomine Zachariam, & ſimili quidem fato uſum, haud ineptè utique conjicitur, Jojadam iſtum alio nomine Barachiam fuiſſe dictum. Ipſum verò nomen *Barachiæ* Hebraicè ſic ſcribitur, בֶּרֶכְיָה: eſtque itidem integra enunciatio, ſubjecto & prædicato conſtans: prædicato quidem

dem priore, ſubjecto verò poſteriore loco poſito. Et hoc quidem nomen cum altero ejuſdem viri bene congruit. Hujus enim prior pars, & nominis *Jochanan* pars poſterior cognatam habent ſignificationem. Poſterior verò hujus poſterioris pars, יָהּ nimirum, eſt & ipſa nomen Dei proprium, & ex יהוה contracta. Quod liquidò apparet ex nomine altero Salomonis יְדִידְיָהּ *dilectus Jehovæ.* Is in II. Sam. capite XII. v. 24. ſic dictus dicitur בַּעֲבוּר יְהוָֹה *propter Jehovam*, & כִּי יְהוָֹה אֲהֵבוֹ *quòd Jehova eum diligeret.* Ipſum quoque nomen יְהוֹיָדָע ſive יוֹיָדָע ſic exprimitur יְדַעְיָהּ: tranſpoſitis quidem partibus, ſed intellectu planè eodem, hoc puta, *novit Jehova.* Pro יהוה in poſteriore eſt יָהּ: quo itidem doceri poteſt, eas voces eandem vim habere, & poſteriorem ex priore eſſe ortam. Nomen porrò יְהוֹחָנָן exprimitur etiam ſic, חֲנַנְיָהּ; tranſpoſitis itidem partibus. Ejuſdem etiam ſignificationis ſunt חֲנַנְאֵל & אֶלְחָנָן.

Aliud nomen, quod formam conſimilem habet, eſt יְהוֹיָכִין, quod inditum fuit penultimo Hebræorum Regi. Interpretatio ejus hæc eſt, *Jehova diſponet*, *diriget*, ut integra rurſus ſit enunciatio. Ad prædicatum autem ſubaudiverunt aliquid pii Veteres, qui talia nomina fabricati ſunt, ſuiſque indiderunt; illud puta, quod ipſis ſperare licuit, quodque prope fuit, ut obtingeret. Voculæ יָכִין vis ac ſignificatio

ficatió optimè intelligi poteſt ex Prov. XVI. 9. ubi nimirum hæc ſunt : וַיהוָה יָכִין צַעֲדוֹ & *Jehova dirigit greſſum ejus.* Fuit ea vox ſeorſim quoque nomen proprium. Et inditum quidem uni filiorum Simeonis, ut ex Gen. XLVI, 10. intelligimus. Ipſum compoſitum nomen reperitur etiam priore ſui parte contractum, ut ſuperiora, יָכִין. Vide initium Ezechielis. Nihil nunc ampliùs poteſt dubii eſſe, quin יו ſit contractum ex יְהוֹ ; hoc verò ex יְהוָה. Sed illud quoque ampliùs hinc firmari poteſt, quod paulo antè diximus, ex יְהוָה eſſe contractum יָהּ. Iſte enim ipſe Vir, de quo nunc agimus, vocatur item in ſacris literis nomine paululum immutato, יְכָנְיָה. Vide I. Par. III, 16. & al. Fit ita in nomine tranſpoſitio partium : & partes ipſæ nonnihil etiam diſcrepantes apparent. Pro יהוה ponitur contractum יָה : quod in tali compoſitione etiam Mappik ſuum amittit. Pro יָכִין, quod eſt in priori, ponitur יָכוֹן : quod eſt tertia futuri Kal. à כון *aptare*, *dirigere*, & idem quoque ſignificare poteſt, quod prædictum futurum Hiphil. Quia verò poſteriori ejus lateri additur vox יָה, atque ita vox creſcit, fit quædam punctorum mutatio. Pro *Kamez* quidem, ut vulgò fieri amat, ponitur *Scheva* : pro *Cholem* verò brevis vocalis *Kamez Chatuph*. In Græcis expreſſum viſitur ſic, Ἰεχονίας. Nimirum ex conſonâ *Jod*, quæ eſt in voce יָה, fit apud Græcos vocalis *Jota*. Deinde

de in fine apparet Græca πλῶσις. Porrò pro יְכָנְיָה viſitur etiam nomen priore parte decurtatum כָּנְיָהוּ. Vide Jer. c. XXII. v. 24. Ubi porrò & hoc obſervare licet, nomini יה cum ex eo nomina propria virorum componuntur, ſolere adjici *Schurek*. Idem fit in innumeris aliis nominibus, quæ recenſere nunc nihil attinet. Pergamus autem in recenſendis talibus nominibus, quæ ex ipſo יְהוֹ ſunt compoſita.

Aliud iſtius formæ nomen eſt יְהוֹיָקִים: quod inditum fuit Jojachini ſive Jechoniæ patri, Joſiæ verò filio, pii parentis parùm ſimili. Eſt verò itidem integra enunciatio: ejuſque hic intellectus eſt, *Jehova conſtituet ſive diſponet*. Ad prædicatum autem ſubauditum aliquid fuit, quemadmodum & in ſuperiore. In Græcis expreſſum eſt ſic, Ιακείμ. Legitur in quibuſdam codicibus MS. S. Matthæi cap. I. 11. Ιωσίας ἐγέννησε τὸν Ιακείμ. Ceterum etiam conſtat, iſtum Regem, qui hoc nomen habuit, initio habuiſſe nomen אֶלְיָקִים: hoc verò tum mutatum fuiſſe à Rege Ægypti, Pharaone Nechone, cum hic, amoto Jojakimi fratre Joahaſo, ipſum Jojakimum Regem conſtituit. Vide II. Reg. XXIII. 34. Duorum nominum, & ejus quod initio habuit, & hujus quod poſtea à Nechone inditum fuit, eadem vis eſt ac ſignificatio. Tantum pro voce אֵל quæ *Deum* ſignificat, ſuppoſitum eſt ab ethnico Principe, nomen veri Dei proprium יהוה: non quòd ipſe

ipſe veneraretur nomen iſtud, quemadmodum Iſraëlitæ, ſed quòd is cui nomen imponebatur, ex Hebræis eſſet, iis puta, qui Numen cui *Jehova* nomen erat, venerabantur. Apparet, gentibus iſtis quæ Hebræis vicinæ fuerunt, nomen יהוה non fuiſſe incognitum. Scivit & Sanchuniathon, Scriptor rerum Phœniciarum, cujus monumenta Philo Byblius Græcè vertit: ex Philone autem Euſebius quædam tranſtulit in ſua. Scripſerat Sanchuniathon, ſe accepiſſe de rebus Judaicis ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ τοῦ Ἰαῶ: id quod ex Euſebii lib. I. προπαρασκ. cap. V. ſcimus. Diodorus item in libro I. biblioth. prodidit de Judæorum τοῦ Ἰαῶ ἐπικαλουμένου θεοῦ. Macrobius autor eſt in lib. 1. Saturn. cap. XVIII. Apollinem Clarium aliquando ita reſpondiſſe:

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω.

Quin & Romani ſuum λεγόμενον θεὸν Jovem appellarunt. Quod nomen nobis valde veroſimile ſit ex nomine veri Dei proprio expreſſum eſſe. Antiquus nominis nominativus eſt *Jovis.* Cui poſtea aliquid demptum, & integra vox rurſus appoſita, dictumque fuit Jupiter, quemadmodum & Dieſpiter. Sanè & aliud quoddam quo ut διακριτικῷ verus Deus inſignitur in ſacris literis, ficto numini atque adeò Diabolo tributum fuit. Quòd enim verus Deus dictus eſt אלהי צבאות *Deus exercituum*, ex eo gentiles effinxerunt nomen Jovis *Sabazii.*

Jojakimi frater fuit יְהוֹאָחָז, qui & ante eum brevi

brevi tempore regnavit, amotus autem & in Ægyptum deportatus fuit à Pharaone Nechone Rege Ægypti. Fuit item nomen Regis Iſraël, filii Jehu, II. Reg. X, 35. Scribitur item יֹאָחָז II. Reg. XIV, 3. Interpretatio nominis ſit iſta, *Jeh. apprehendit*, ſubaudi inimicos ſive hoſtes. Eadem ſignificatio eſt nominis אֲחַזְיָה, in quo ſubjectum enunciationis, quod nomine ex יהוה contracto exprimitur, poſteriore loco ponitur. Habere verò eandem vim ac ſignificationem, ex eo ſatis intelligi licet, quòd *Achasja*, Rex Juda qui poſt Joramum regnavit, vocatur item יְהוֹאָחָז, II. Par. XXI, 17. Qualem metatheſin & in ſuperioribus oſtendimus. Regem *Joachaz* qui Jojakimi frater, Joſiæ autem filius fuit, alio item nomine in ſacris appellatum reperimus. Nimirum in I. Par. X. recenſentur omnes filii Joſiæ, his quidem verbis: *Primogenitus Jochanan, ſecundus Jojakim, tertius Zedekias, quartus Sellum.* Ex illis Jochanan non poteſt is Joachaſus eſſe, qui poſt Joſiam tribus menſibus regnavit. Joachaſus enim primogenitus non fuit, & Jojakimo minor. Quod intelligi poteſt ex eo, quòd Joachaſus imperium tractare cœpit cum XXIII. annos natus eſſet, uti proditum eſt II Reg. XXIII, 31; Jojakimus cum tribus circiter menſibus poſt Joachaſo à Pharaone Nechone ſurrogaretur, XXV. jam annos natus fuit, ut in prædicto capite extremo legimus. Cum igitur Joachaſus non ſit Joachanan primogenitus ille, & alius quoque ſit à Jojakimo, & Zedekiâ, relinquitur, eum inter quatuor filios Joſiæ, qui in I. Par. X. recenſentur, poſtremum eſſe,

alio

Digitized by Google

alio quidem nomine *Sallum* dictum. Satis liquidò idem intelligi licet ex Jer. c. XXII. v. 11. ubi Sallum filius Joſiæ dicitur Rex fuiſſe; deportatus autem, nec in urbem unquam reducendus: id quod hiſtoriæ de Joachaſo apprimè congruit.

Subjiciam brevi cætera quoque nomina, quæ ſuperioribus affinia ſunt, additis mox interpretamentis. Quo fiet, ut appareat, omnia iſta eſſe integras enunciationes, quemadmodum & ſuperiora. יְהוֹשָׁפָט *Jeh. judicat;* pius Rex Hebræorum - יְהוֹצָדָק *Jeh. juſtus eſt;* ſummus Sacerdos, cum Hebræi captivi eſſent in Babyloniâ. Scribitur etiam יוֹצָדָק. Græci ſcribunt, Ἰωσεδὲκ. - יְהוֹעַדָּה ex poſteris Benjamin, II. Par. VIII, 36. Quomodo autem id nomen interpretabimur? עָדָה ſignificat *ornavit.* Sit igitur nominis interpretamentum, *Jeh. ornavit;* ſubaudito quodam quarto caſu, & fortaſſe horum aliquo, *me, nos, domum noſtram;* ampliùs verò ſubaudito, *dum hac prole nos auxit:* - יְהוֹעַדָּן Mater Amaziæ, Regis Hebræorum, II. Reg. XIV, 2. Cujus nominis hæc videtur ſignificatio eſſe, *Jeh. oblectavit*, ſubaudito *nos, dum hac prole nos auxit.* Nam עֵדֶן *voluptatem* ſignificat. Et præterea in Hithphaël הִתְעַדֵּן *oblectavit ſe.* - יוֹכֶבֶד Moyſis & Aaronis Mater Exod. VI, 20. Interpretamentum hoc ſit, *Jehova* eſt *gloria* noſtra; non ut alii, *gloria Jehovæ.* Ex ſuperioribus jam conſtat, ex יהו fieri contractum יו. Ex eo, quod Moyſis Mater nomen habuit ex יהוה compoſitum, intelligi item licet, falſum id eſſe quod quidam putant, Moyſis demum tempore, nomen JEHOVA fuiſſe reve-

latum. יְהוֹנָדָב filius Rechab, à Jehu adſcitus in ſocietatem, II. Reg. X, 15. Interpretatio: *Jeh. liberalis, munificus eſt.* יוֹיָרִיב *Jeh. litigabit, litem dirimet;* utpote ad quem גָּלוּ רִיבוֹ *devolverunt litem ſuam*, ut S. Jeremias loquitur c. XX. v. 28. - יְהוֹזָבָד *Jeh. donavit* me vel nos. Nomen viri, qui Joaſum trucidavit, II. Reg. XII, 22. - יוֹזָכָר *Jeh. recordatus eſt.* Itidem nomen Viri, qui Joaſum trucidavit, II. Reg. XII. - יוֹעֶזֶר *Jeh.* eſt *auxilium.* I. Par. XII, 6. - יְהוֹרָם *Jeh. excelſus* eſt; filius Joſaphati. Scribitur & יוֹרָם. - יְהוֹאָשׁ Rex *Juda* II. Reg. XII, 18. Scribitur item יוֹאָשׁ in eodem capite. Quodnam verò ejus nominis interpretamentum erit? An hoc, *Jeh.* eſt *ignis*? Ita quidem volunt: ut ſit ab אֵשׁ *ignis.* Licet huc quoque referre nomen יוֹאָב: ut ſignificet, *Jeh. pater* eſt. Itemque יוֹאֵל: ut hoc ſignificet, *Jeh. fortis* ſive *potens* eſt. In priore parte nominum credamus craſin eſſe ex יְהוֹ, quemadmodum in ſuperioribus. Pleraque iſta nomina quæ recenſuimus, minùs commodè vulgò interpretari ſolent; & ita quidem, ut non appareat, meras eſſe integras enunciationes.

Porrò verò & hoc monendum eſt, eſſe quædam nomina, quæ ſuperioribus ſimilia videri poſſint, nec tamen ſunt. Nimirum nomen יוֹסֵף, hoc etiam modo exprimitur, יְהוֹסֵף. Non eſt illud ex יהוה compoſitum: ſed eſt tertia fut. Hiphil à יסף. Solet in futuro Hiphil præter proprias futuri formativas literas, ipſa quoque formativa præteriti Hiphil ה apparere. Exempla capiamus iſta, אֲהוֹדֶנּוּ *celebrabo eum*

Pſ.

Pſ. XXVIII, 7. יְהוֹדֶה *celebrabit*, Neh. XI, 17. יְהוֹשִׁיעַ *ſervabit*, Pſ. CXVI, 6. Quid verò de nomine יְהוֹשֻׁעַ ſentiendum? an & illud ſuperioribus accenſendum? Scimus iſti Viro, cujus illud nomen fuit, initio fuiſſe nomen הוֹשֵׁעַ: hoc verò poſtea à Moyſe mutatum fuiſſe in יְהוֹשֻׁעַ. Vide Num. XIII, 16. Prioris hæc videtur ſignificatio eſſe, *ſerva*; ut eſſet ſymbolum precandi Deum. Poſterius quidam putant habere formam compoſitam ex futuro Hiphil, & participio paſſivo: ut duplex ejus vis ſit, *ſervabit* & *ſervatus*. Vide Cl. Glaſſ. Gr. S. can. XIV. de nom. propr. Nobis videtur veriſimilius quod idem Vir Cl. ad Can. XXI. notavit, in iſto nomine contineri nomen *τετραγράμματον*. Sed quid tum ſignificabit nomen? an poſterior pars שֻׁעַ ſignificare quicquam poteſt, ſeorſim conſiderata? Videtur poſſe. Reperimus ſanè, eandem vocem שׁוּעַ aliorum quoque nominum compoſitorum eſſe alteram partem. Apparet illud in nomine מַלְכִּי־שׁוּעַ I. Sam. XXXI, 2. Item in nomine בַּת־שׁוּעַ I. Par. III, 5. Eſt verò, ubi vox שׁוּעַ *vociferationem*, *clamorem* ſignificat; quemadmodum & ipſa radix שָׁוַע ſignificat *vociferari*. Sed ea ſignificatio noſtris parùm eſt accommodata. Eſt item, ubi שׁוֹעַ *dignitatem*, *nobilitatem* & ſecundum alios *opes* ſignificat; nimirum Job XXXIV, 19. & c. XXXVI, 19. Sed annon credere licet, vocem שׁוּעַ etiam ſignificare poſſe *ſalutem*? Credidit ſanè ita Latinus interpres, cum Job XXX, 24. ita vertit: *Et cum corruerint, ipſe ſalvabis.* Ut verò nos ita credamus, perſuadet nota vox תְּשׁוּעָה quæ *ſalutem* ſignificat, & regularem for-

formam habet eorum nominum, quæ à verbis quieſcentibus ſecundâ radicali *Vau* derivantur; e. g. תְּשׁוּקָה à שׁוּק תְּשׁוּרָה à שׁוּר. Porrò & hoc conſideremus, quàm ea ſignificatio accommodata ſit nomini *Jehoſchuæ*. Nomen hujus antea fuerat הוֹ שַׁע *ſalva*, ſubaudito *Jehova*. Mutatum deinde in יְהוֹשֻׁעַ, cujus hæc ſignificatio, *Jeh.* eſt *ſalus*: q. d. id quod precati ſumus Jehovam, reapſe apparet, & ampliùs apparebit. Græci ac Latini ſæpe iſtud nomen expreſſerunt hoc modo, Ἰησοῦς: quâ formâ itidem expreſſerunt nomen יֵשׁוּעַ. Huic poſteriori Græca forma convenit non malè. Sic enim & in ſimilibus addere ſolent σίγμα, τοῦ ע neglecto. Priori autem nomini, quod nos nunc verſamus, haud perinde convenit; ſi quidem verum ſit, quod nos diximus, eſſe id compoſitum ex nomine יהוה. Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταύτῃ.

C A P. VI.

Linguam Hebræam Cananæis vernaculam fuiſſe. De quarundam gentium autoribus, qui in ſacris memorantur. Nomen Canaan nec profanis ſcriptoribus ignotum. Aram. Aram naharaim. Regionis ארם *aliæ partes. Nomen Aram nec profanis ignotum. Arphaxadi poſteros in Meſopotamiâ conſediſſe. Nomina Regum Cananæorum, qui tempore Abrahami fuerunt, Abimelech & Melchizedek. Ea eſſe mera Hebraica. Melchizedekum non fuiſſe ipſum filium Dei.*

Nec

Nec Semum. Nomen מלך *quorum nominum pars prior. Quomodo pars prior compoſitorum nominum mutari ſoleat. Eandem tamen mutationem quandoque negligi. Nomina urbium Palæſtinæ, tum cum Iſraëlitæ eas occuparunt, fuiſſe Hebraica. Nomina ex voculâ* בית *compoſita. Item ex voce* קִרְיָה. *Nomina ex* πόλις, קרת *compoſita. Nominis Carthago etymon. Quomodo id nomen corruperint tum Græci, tum Latini. Formam nominum, quibus urbes Palæſtinæ dicebantur, meram Hebraicam eſſe. Nomina Regum Palæſtinæ, fuiſſe Hebraica, cum Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent. Fulleri exceptioni occurritur. Nomina urbium Palæſtinæ non apparere verſa in ſacris literis, ſed ita, ut ipſi Cananæi impoſuerunt, Bethlehem nimirum Kirjathſepher, Kirjatharba &c. Nomina Regum Palæſtinæ Hebraica. Ea nullâ ratione dici poſſe verſa. Lingua Hebræa cur dicatur lingua Canaan Eſ. XIX. Phœnicas & Pœnos uſos fuiſſe Linguâ Hebræâ. Nomen arcis quam Eliſſa condidit, Bozra. De nomine Karthaginis. Nomina ex Baal compoſita. Nomen Izebel.*

COntroverſiam obſervare licet à Viris doctis agitari de linguâ Hebræâ, quâ codices ſacri ſunt perſcripti, utrum S. Abrahamo ejuſque majoribus vernacula ea fuerit, an verò iſti genti, ad quam ex Chaldæâ commigrare juſſus fuit Abrahamus, hoc eſt, Cananæis. De quâ controverſiâ cum & nobis non ſupervacuum videatur diſpicere, eam excutiendam ſumere nunc eſt animus. Illico igitur profitemur, nos cum illis facere, qui linguam Hebræam credunt

Cananæis fuiſſe vernaculam : S. Abraha mum autem à Cananæis eam didiciſſe, cum ad ipſos commigraſſet, atque ita poſtilla familiæ ac poſteris Abrahami quoque vernaculam fuiſſe eandem linguam. Ut verò de adverſis ſententiis eò rectiùs judicari queat, pauca quædam de ipſis gentibus præmittere operæ fuerit pretium. Principio notum eſt, primos homines, qui poſt cataclyſmum vixerunt, certas occupaſſe ſedes, haſque appellationem ſortitas fuiſſe ab illis ipſis hominibus. Vulgo παχυλῶς ita loquuntur, Japheto ceſſiſſe Europam, Semo Aſiam, Africam Chamo. Quod tamen non ex omni parte eſt verum. Chami filii in cap. X. Gen. hi memorantur, *Chus*, *Mizraim*, *Put*, & *Canaan*. Semi verò ibidem memorantur iſti, *Elam*, *Aſſur*, *Arphachſad*, *Lud* & *Aram*. Ab horum igitur Chami ac Semi filiorum pleriſque omnibus ipſæ regiones denominatæ ſunt in ſacris literis. Ægyptum vocari ארץ מצרים, & ſine addito מצרים, vulgò notum eſt. Illam item regionem quæ poſterioribus ſeculis Palæſtina vocata fuit, dici ארץ כנען *terram Canaanis*: itemque ſine addito כְּנַעַן. Quæ appellatio nec profanis Scriptoribus ignota fuit. Nam ex Euſebii libro I. προπαρασκ. c. 10. ſcimus, Sanchuniathonem Berytium, & ex eo Philonem Byblium, qui Sanchuniathonem Græcè verterit, eandem regionem vocaſſe Χνᾶ Stephanus item περὶ πόλ. ſic habet : Χνᾶ, οὕτως ἡ Φοινίκη καλεῖται. Porrò à Canaane omnes poſteri dicti ſunt כנענים nomine generali. Vide Gen. X, 18. Iidem verò etiam ſtrictioribus

bus appellantur à Canaanis filiis, qui in Gen. X. ibidem recenſentur, à Sidone, inquam, Cheth, Jebuſi, Emori, Girgoſi, aliiſque. Dicuntur quidem Chittæi, Jebuſæi, Emoræi, Girgoſæi. Vide Gen. XV, 19. 20. 21. ubi Abrahami poſteris poſſeſſio Palæſtinæ deſtinatur.

Ex Semi filiis *Aram* denominationem dedit latiſſimis plagis, quæ poſtea Syriæ & Meſopotamiæ nominibus fuerunt dictæ. Solent quippe nomini *Aram* διακριτικῶς quædam addi, ut quæ regio denotetur, eò rectiùs intelligatur. Dicitur quidem ארם נהרים *Aram fluviorum* hoc eſt, ea pars Aram, quæ inter duos fluvios Euphratem & Tigrim jacet: quæ à profanis Scriptoribus conſimili nomine Μεσοποταμία dicitur. Dicitur item, *Aram Damaſci*, *Aram Zoba*, *Aram Maacha*. Neque appellatio *Aram* profanis Scriptoribus planè incognita fuit. Strabo libro I. γεωγραφικῶν: Τοὺς ὑφ' ὑμῶν Σύρους καλουμένους, ὑπ' αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀραμαίους καλεῖσθαι. Et libro XIII. Οἱ δὲ τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀράμους λέγουσι. *Arphaxadi*, alterius cujuſdam ex filiis Semi poſteri, conſederunt in iſtis plagis, quæ ab altero Semi filio, *Aram* nimirum, denominationem acceperant. In *Aram* puta *Naharaim*, hoc eſt, Meſopotamiâ. Quod liquidò apparet ex Gen. XI, ubi quippe legitur, Tharam cum familiâ ſuâ, atque adeò ipſo quoque Abrahamo, ex Ur Chaldæorum commigraſſe in *Haran* (fuit ea urbs regionis *Aram Naharaim*, ut ex Gen. XXIX. & alibi ſatis liquet) cumque inibi aliquandiu egiſſet, diem ibidem obiiſſe ſupremum. In proximo verò ſequente cap. legimus, Abrahamum, ab ipſo Deo juſſum, reli-

quiſſe familiam ſuam & veteres ſedes, Haranoque ſive Charris migraſſe in terram ſive regionem Canaan, hoc eſt, Palæſtinam: quam & Cananæitum temporis tenuerunt, ut in ejuſdem capitis v. VI. legitur.

Eo igitur tempore quo in Palæſtinâ jam verſabatur Abrahamus, Rex alicujus terræ Canaan ſive Palæſtinæ partis fuit *Abimelechus*; alterius cujuſdam *Melchiſedekus*: ille quidem Rex Gerar, urbis, quæ in meridionali Palæſtinæ plagâ fuit, hic verò Rex Salemi; quæ urbs & Jebus, & Jeruſalem in ſacris literis appellatur. Nam quòd nuper Vir Cl. Petrus Cunæus in lib. III. de Rep. Hebr. c. 3. contendit, Melchiſedekum fuiſſe ipſum Filium Dei, ſive ſecundam perſonam Trinitatis, id meritò repudiatur. Sanè ſimplex illa S. Moyſis narratio aliter nos jubet credere. *Melchiſedek*, inquit, *Rex Salem protulit panem & vinum, & ipſe erat Sacerdos Dei altiſſimi, & benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit cœlum & terram. Et benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manu tuâ ſunt. Et dedit ei* (Abrahamus) *decimas ex omnibus*. Quòd porrò quidam Veteres, & eos ſecuti recentiores quidam putant, Melchiſedekum fuiſſe Semum, Noachi filium, atque adeò inter ipſius Abrahami majores, id itidem parum credibile eſt. Sanè quod in Gen. XV. legimus, quomodo Melchiſedekus exceperit Abrahamum, à pugnâ reverſum, id non obſcurè oſtendit, rem longè aliter ſe habere. Deinde iſti opinioni opidò ſanè adverſum eſt illud, quòd in epiſt. ad Hebræos c. VII. Melchiſedekus dicitur

ἀγενεα-

ἀγενεαλόγητος, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ. μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Ea nimirum omnia rectiſſimè vulgò ſic intelliguntur, talia de Melchiſedeko in ſacris literis non eſſe annotata. De Semo autem contraria omnia ſunt vera; cujus quippe genealogia in ſacris literis ſatis clarè eſt expoſita: initium item ac finis vitæ.

Duo igitur iſti Reges, quos ex Cananæis fuiſſe haud temere quis dubitaverit, nomina habuerunt prorſus Hebraica, ſive ad analogiam Hebræi idiomatis formata. Unius quidem eſt מַלְכִּי־צֶדֶק. Quod nomen proprium ex duabus vocibus, ut alia quædam, eſt compoſitum. Poſterior pars ſine controverſiâ purè Hebraica eſt. Neque minùs item prior. Nimirum ex מֶלֶךְ, cum in fine *Jod* adjicitur, prorſus talis fit forma: ut nimirum duo Segolim ſic mutentur. Ne verò quis dubitet, conſiderentur etiam alia quæ ei gemina ſunt. Cum Iſraëlitæ jam per aliquot ſecula Palæſtinam tenuiſſent, Saulus ſuo filio indidit nomen מַלְכִּי־שׁוּעַ I. Sam. XXXI, 2. Inter Jechoniæ Regis filios fuit מַלְכִּירָם, I. Par. III, 18. Inter filios Aſer fuit מַלְכִּיאֵל Gen. XLVI, 17. מַלְכִּיָּה Jer. XXI, 1. Quorum nominum primum interpretamur, *Rex ſalutis:* alterum, *Rex excelſus:* tertium & quartum *Deus, Jah, ſive Jehova Rex eſt.* Ipſum nomen מלכי־צדק interpretatur Autor ep. ad Hebr. c. VII. βασιλεὺς τῆς δικαιοσύνης. Apparet in compoſitis iſtis nominibus priori parti additum eſſe Jod, eoque quaſi copulâ eam partem cum al-

terâ cohærere. Apparet item, τοῦ למכי־צדק genuinum Hebraicum, ſive ad analogiam Hebrææ L. formatum eſſe. De altero nomine dubium itidem eſſe nequit, id merè Hebraicum eſſe: compoſitum ex אָב *pater*, & מֶלֶךְ. Prior pars nominis iſtius compoſiti in hoc itidem aſſumit quandam quaſi copulam, quâ poſteriori cohæreat, eſtque totum nomen אֲבִימֶלֶךְ. Idem nomen ipſi Iſraëlitæ quoque ſuis indiderunt, cum in Palæſtinâ jam conſiderent. Nimirum inter Gideonis filios & *Abimelechus* fuit, qui parenti parùm ſimilis regnum affectavit, paucisque annis per vim tenuit. Ceterum ut vox אבי in iſto nomine apparet, ita eadem apparet quoque in aliis, ut in אֲבִיעֶזֶר, Joſ. XVII. v. 2. & alibi, אֲבִיגַיִל, I. Sam. XXV, 40. אֲבִינָדָב, I. Sam. VII. v. 1. אֲבִירָם, Num. XXVI, 5. אֲבִישָׁלוֹם, I. Reg. XV, 2. אֲבִישׁוּעַ, I. Par. IV, 6. In his omnibus τοῦ *Jod* priori parti ſic affixum eſt, ut in *Abimelech*. Apparet igitur in nominibus propriis ita ſolere fieri, ſive in unam vocem coëant duæ quædam quæ nomen proprium conſtituunt, ſive ſeparatim ponantur. Non autem habet vim pronominis poſſeſſivi ut in aliis habere ſolet. Non, inquam, ſic vertendum, ut quidam volunt, *Pater meus Rex eſt*; ſed, ut dixi, eſt quaſi gluten, quo nominum propriorum compoſitorum prior pars adhæret alteri. Non tamen ſemper additur, ſed quandoque modò. Imò in quibuſdam pro-

promiſcuè vel additum vel omiſſum eſt. Inter ſuperiora quæ recenſuimus, eſt etiam אֲבִישָׁלוֹם; quod etiam ſic potuit exprimi ſine *Jod*, אֲבְשָׁלוֹם. Ut verò ſuperiorum nominum priori parti *Jod* adjicitur, ſic & aliis itidem prioribus nominum partibus, idem illud adjicitur. Exempla habes in אֲחִימַעַץ אֲחִיקָם, אֲחִימֶלֶךְ, אֱלִיעֶזֶר, אֱלִימֶלֶךְ, אֲדֹנִירָם, אֲדֹנִיקָם. Quandoque in *Jod* vocis יָה per Dages exprimitur, ut apparet in nominibus מַלְכִּיָּה, אֲדֹנִיָּה, חִזְקִיָּהוּ, צִדְקִיָּהוּ.

Cum igitur liquidò appareat, prædictis duobus *Regibus*, qui utique ex Cananæis fuerunt, Abimelecho, inquam, & Melchiſedeko, Hebræa nomina fuiſſe indita à ſuis, colligi ſanè ex eo licet, ipſos Cananæos Hebræâ dialecto fuiſſe uſos. Ad quod ipſum ampliùs firmandum, profuerit plura iſtiuſmodi nomina, quæ à Cananæis fabricata & merè Hebraica ſunt, conſiderare. Quadringentis circiter annis poſt Abrahami, Melchiſedeki & Abimelechi ætatem, familia Jacobi, nepotis Abrahami, majorum ſuorum ſedes repetere atque occupare juſſa fuit, expulſis his qui ad ea uſque tempora tenuerant, Chananæis puta, Chittæis, Hevitis, Phereſitis, Gergoſitis, Amorrhæis, Jebuſæis. Tum verò itidem Hebræa nomina perſonis atque locis reperimus indita fuiſſe ab ipſis Cananæis. Principio multæ urbes habuerunt nomina ex voce בַּיִת compoſita. Inter quæ etiam eſt בֵּית־לֶחֶם, nomen urbis, quæ poſtea in tribu Judâ fuit, quæque multis nominibus ſatis nota

eſt.

eſt. Fuerat ea urbs antea dicta אֶפְרָתָה *Ephrata.* Sic enim legimus in Gen. XXXV, 19. *Sepulta eſt in viâ quæ ducit Ephratham, hæc eſt Bethlehem.* Liber Geneſeos ſcriptus utique eſt, antequam Palæſtina occuparetur ab Iſraëlitis, atque adeò antè etiam, quàm ab iiſdem nomen urbi potuit imponi. Colligi igitur licet, nomen *Bethlehem* ab ipſis Cananæis, qui tum cum Moyſes iſta ſcriberet, Palæſtinam inſidebant, ei urbi, quæ antea Ephrata dicta fuerat, fuiſſe inditum. Ceterum nomen iſtud, ut facilè apparet, merè Hebraicum eſt; utraque, inquam, pars ejus. Vocula בֵּית eam ipſam formam habet, quam habere ſolet, cum in regimine ponitur: & *domum* ſignificat. Τὸ לֶחֶם verò & ipſum Hebraicum eſt, & ſignificat *panem.* Ut totum nomen, ſi interpretari velis, *domum panis* ſignificet; & inditum ſit, ut conjicere licet, ob fertilitatem loci. Propheta Michas in cap. V. ubi illud oppidum deſignat, vocat *Bethlehem Ephrata*; veteri nomine ejuſdem urbis addito, quod aliquid non abſimile ſignificare videtur, ortum ſc. à rad. פרה *fructificavit.* Additur autem ipſum vetus nomen ad alterum, ut iſtud oppidum diſtinguatur ab alio cognomini, quod in tribu Zabulon fuit, de quo Joſ. XIX, 15. Alia nomina urbium, quorum prior pars eſt vocula בית, ſunt iſta, בֵּית־פֶּלֶט Joſ. XV, 27. בֵּית־דָּגוֹן v. 41. בֵּית־הָעֲרָבָה v. 61. Horum primi pars poſterior habet itidem uſitatam nominum formam. Et quamvis ipſa alibi non occurrat, licet tamen facilè conjicere, eam ſignificare *evaſionem, liberationem*, quemadmo-

modum פליטה, ortum nim. à R. פלט *evaſit*. Secundi nominis pars poſterior eſt nomen idoli, de quo in plurimis locis legitur. Ut ita opidum eo nomine dictum fuerit, quòd idolum Dagon in eo coleretur. Ceterum reperiuntur etiam duæ iſtæ voces ſic conjunctæ, ubi unum nomen proprium non conſtituunt. Nam I. Sam. V, 2. בֵּית דָּגוֹן ſignificat *domum* ſive *ædem* illam in quâ ipſum idolum conſiſtebat, quæque Azoti, quadam Philiſtæorum urbe, fuit. Tertii nominis utraque pars appellativum nomen eſt. Poſterior verò ערבה, genuina itidem Hebraica eſt, & ſignificat *campeſtria*, itemque *ſolitudinem*. Quarum ſignificationum prior hîc videtur obtinere. Sunt & plurima alia id genus nomina, quorum prior pars vocula בֵּית eſt. Quorum nonnulla in codicibus etiam N. T. occurrunt, ut Βηθαβαρά, Βηθανία, Βηθεσδά, Βηθσαϊδά, Βηθφαγή: quæ excutere nunc nobis non lubet.

Porrò vero tum temporis, cum Iſraëlitæ in Palæſtinam primò venirent, multa opida fuerunt, quæ nomina habuere, quorum prior pars eſt קִרְיַת, genuina itidem Hebraica, in regimine poſita, & *urbem* ſignificans. Forma extra regimen eſt קִרְיָה, quæ & ipſa ſic legitur. Inter iſta igitur nomina eſt קִרְיַת אַרְבַּע, Joſ. XV, 13. Quod ſi vertere velis, ita fuerit vertendum, *Urbs Arba*. Pars enim poſterior eſt nomen Domini urbis. Quod ex eo intelligitur, quòd cum Joſ. XV, 13. ipſum nomen urbis poſitum eſſet, mox additur אבי ענק *patris Anak*. Sed iſta denominatio urbis à Do-

mino ſuo haud diu videtur obtinuiſſe. Addit quippe ſacer Scriptor in proximo prædicto loco, הִיא חֶבְרוֹן *hæc eſt Hebron* (hæc urbs, quæ *Kirjath Arba* appellata fuit, cum Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent, eſt illa ipſa, quam *Hebron* appellare ſolemus.) Alia nomina, quibus opida tum appellata fuerunt: cum Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent, quorumque item קִרְיַת vel ק' prior pars eſt, ſunt iſta, קרית סֵפֶר Joſ. XV, 15. קרת סַנָּה v. 49. קרית בַּעַל v. 60. Horum primi

pars poſterior eſt & ipſa genuina Hebraica, ſignificans *librum*, *recenſionem*, *literas*. Græci Interpretes totum nomen vertunt ſic, *πόλις γραμμάτων*. Latinus ſimiliter, *civitas literarum*. Sed nomina propria in verſionibus non debebant apparere verſa; quod alias quoque rectè obſervant iſti Interpretes. Latinus, quamvis hîc verterit nomen, præmiſit tamen ipſum nomen non verſum, *Kirjath Sepher*. Ceterum hoc nomen poſtea deſiiſſe apparet, cum Iſraëlitæ Palæſtinam jam tenerent. Sic enim habent verba Joſ. XV, 15. *Inde conſcendens* (Caleb) *venit ad habitatores Debir, quæ prius vocabatur Kirjath Sepher. Dixitque Caleb, qui percuſſerit Kirjath Sepher* &c. Idem opidum videtur item dictum fuiſſe קרית סַנָּה, quod prædictorum ſecundum eſt. Nam in Joſ. XV, 49. ita legitur: *Kirjathſanna, hæc Debir* (id opidum quod nunc *Debir* vocatur.) Tertium iſtorum trium videtur poſteriorem partem habere nomen ficti Dei *Baal*, quem Cananæi coluerant, & poſtea quoque quidam *καινόζηλοι* Iſraelitæ. Ceterum huic tertio fuit item aliud nomen,

nimi-

nimirum קִרְיַת יְעָרִים. In Joſ. XV, 60. ita legimus: *Kirjathbaal*, hæc *Kirjathjearim* (hæc eſt illa urbs, quam nunc vulgò *Kirjathjearim* appellamus.) Id nomen an ab ipſis Iſraëlitis credemus fuiſſe opido impoſitum; an verò jam antè fuiſſe uſurpatum unâ cum altero? Nobis non ſatis liquet. Quia tamen in Joſ. IX, 17. unà cum aliis veteribus nominibus recenſetur, veriſimile videtur, unà cum altero ejuſdem urbis nomine fuiſſe frequentatum. Si vertere velis, ſic fuerit vertendum, *Urbs ſilvarum:* uti & Latinus Interpres fecit. Nam יַעַר *ſilvam* ſignificat. Aliud nomen urbis קְרִיּוֹת חֶצְרוֹן: pro quo poſtea frequentatum fuit *Chazor*, uti reperimus dicti cap. v. 25. Utraque pars iſtius nominis itidem Hebræa eſt. Prior quidem videtur eſſe plurale à ſing. קִרְיָה. Poſterior habet formam שִׁלְטוֹן, חֶשְׁבּוֹן, חֶסְרוֹן. Fuit item locus nomine קִרְיָתַיִם. Quod duale eſt à ſingulari קִרְיָה. Et quidem jam Abrahami ætate: vel certè Moyſis. quippe in Gen. XIV, 5. legimus Zuzim & Emim coluiſſe in *Save Kirjathaim*. Quidam putant שָׁוֵה eſſe nomen appellativum, vertuntque, *in campis Kirjathaim.* Quod autem cognoſcimus, plurimas urbes habitatas fuiſſe à Cananæis, quorum nomina ex קִרְיָה ſunt compoſita, ei ſimile apud alias quoque gentes obſervare licet. Græca ſunt Κωνσταντινούπολις, Ἀδελαιανούπολις, Νεάπολις. Hebræi habent vocabulum קִרְיָה, quod & ipſum ſignificat urbem. Ab eo eſt forma Syriaca & Chaldaica קִרְיְתָא, quæ in quarundam urbium nominibus appa-

apparet : ut in *Tigranocertæ* , urbis Armeniæ. Habet & nomen *Carthaginis* priorem partem ſui ex voce קִרְיַת. Pars verò poſterior ejuſdem nominis mirè corrupta eſt à Latinis. Licet conjicere, eam eſſe ex nomine חָדָשׁ *novus*. Occaſionem conjiciendi præbent Solinus, & Servius, qui nomen urbis ſic interpretantur, *urbs nova*. Et Solinus quidem etiam *Carthada* vocat : ut jam ד' ר ex חדש appareat. Verba ejus in c. XXX. ita habent : *Carthaginem Eliſſa mulier exſtruxit, domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam.* Græci dixerunt Καρχηδόνα. In quo jam duæ literæ ex חדש apparent, ח & ד. Priorem autem nominis partem Græci non retinuerunt integram, quemadmodum Latini; literam ת videlicet negligentes.

Sunt inter iſta nomina, quibus opida Palæſtinæ appellata tum fuerunt, cum Iſraëlitæ in eam primò venirent, plurima quoque alia, quæ genuina Hebraica eſſe facilè intelligi poteſt. Et quamvis de ſignificatione, ac ratione impoſitionis non ſemper perinde liquere poſſit, ipſa tamen vocum forma facilè indicat, eas eſſe genuinas Hebræas. Non pigrabor quædam adhuc recenſere. In cap. XII. libri Joſuæ recenſentur plurimi Reges, & quibus in urbibus eorum ſedes fuerint, indicatur. Earum urbium unius nomen eſt תַּפּוּחַ, quod genuinum Hebræum eſt, & *malum*, *pomum* ſignificat. Alterius nomen eſt גֶּדֶר, quod *maceriem*, *ſepem* ſignificat. Nomen urbis חֵפֶר genuinam formam Hebræam habet : quid autem ſignificet, liquere adeò non poteſt. Radix חפר igno-

ignota non eſt. Sic etiam formam Hebraicam ſatis manifeſtam habent מַקֵּדָה , קֶדֶשׁ, אַכְשָׁף , חָצוֹר , חָרְמָה , שִׁמְרוֹן. Similia enim ſunt his ſatis notis, אַכְזָב , כָּבוֹד , חֶבְרָה , זִכְרוֹן , מַגֵּפָה , דֶּרֶךְ. Plurima quoque alia tum in proximo prædicto, tum in ſeqq. capp. reperies, ſi modò attendere velis, quæ genuinam formam Hebraicam habent; talia quoque quorum item ſignificationem ac rationem impoſitionis odòrari poſſis.

Porrò verò ad nomina perſonarum nonnihil etiam attendamus. Illo igitur ipſo tempore, cum Hebræi in occupandâ Palæſtinâ occupati eſſent, fuit in Palæſtina, atque adeò inter Cananæos Rex quidam nomine אֲדֹנִי בֶזֶק, ut ex cap. I. Jud. intelligimus. Ejus nominis prior pars eſt itidem purè Hebraica, formata quidem à voce אָדוֹן, cujus *Kamez* in Chateph. mutatum eſt, quia voci additum eſt *Jod.* Hoc verò ſic eſt additum, ut etiam aliàs fieri amat in nominibus propriis formandis. Sic enim dicitur מלכי־צדק , אבימלך , אֲדֹנִיקָם Eſr. II, 13. אֲדֹנִירָם I. Reg. IV, 6. Poſterior pars nominis *Adonibeſek* eſt nomen ipſius loci, ut ex dicto cap. Jud. apparet. Totum igitur nomen ſignificat *Dominum Beſek.* Sub ingreſſum Iſraëlitarum in Palæſtinam Rex Jeruſalem fuit אֲדֹנִי־צֶדֶק, ut ex Joſ. X, 1. ſcire licet, Ejus nomen itidem compoſitum eſt ex vocibus Hebraicis, & uſitatâ formâ. Id verò obſervari dignum eſt, quod ætate Abrahami *Melchizedek*

Rex Salem ſive Jeruſalem fuit; aliquot ſeculis pòſt *Adonizedek:* quòd, inquam, duo iſta nomina poſteriorem ſui partem prorſus eandem habent: priores item partes מלכי & ארני cognatas ſignificationes habent. Prius quidem iſtorum nominum ſacer ſcriptor in epiſtola ad Hebr. ita interpretatur, βασιλεὺς δικαιοσύνης. Quare & Poſterius licet ſic interpretari, Κύριος δικαιοσύνης, *Dominus juſtitiæ.*

Satis, credo, ex his quæ dixi, apparet, Cananæos & locis & perſonis impoſuiſſe genuina Hebraica nomina. Ex quo igitur proclive eſt colligere, eoſdem Cananæos & Abrahami ætate, & aliquot item ſeculis pòſt, cum Iſraëlitæ in Palæſtinam quaſi poſtliminio venirent, eâ ipſâ linguâ fuiſſe uſos, quâ uſi fuerunt Iſraëlitæ, quaque ſacræ literæ ſunt perſcriptæ. Quid autem rei tam apertæ de nominibus propriis obvertatur à doctis, id breviter nunc conſideremus. Nic. Fullerus, ubi de noſtro argumento agit, in quarto puta Miſc. c. 4. ita differit: *Ut nomina illa* (urbium & locorum) *univerſa purè Hebræa ſint, tamen ullum ex eis vel Cananæum eſſe, vel à Cananæis impoſitum, pernegamus. Quin potiùs vetuſta ab indigenis Chananæis indita nomina ab Hebræis, in eaſdem ſedes ſuccedentibus, Hebraico more poſtmodum prolata, & expoſita, itidemque à divinis illis ſcriptoribus, ſacrarum literarum monumentis mandata fuiſſe aſſerimus.* Non negat Vir Cl. prædicta nomina eſſe purè Hebraica. Contendit autem non eſſe à Cananæis impoſita, iſtis quidem ipſis vocabulis; ſed cum Cananæi in

can-

eandem ſententiam nomina indidiſſent ex ſuâ Lingua, Iſraëlitas poſtea ſenſum quidem nominum retinuiſſe, alia verò ex ſuâ Linguâ ſuppoſuiſſe vocabula quæ idem poſſent ſignificare. Ad eum ferè modum id factum fuerit, quo Longinus nomen auditoris ſui Syriacum מלכא permutavit Græco cognatæ ſignificationis Πορφύριος: quo item Apoſtolus Simon כיפא inter Græcos dictus fuit Πέτρος. Sed non perſuadebit Fullerus, ut prædicta nomina non à Cananæis, ſed ab Iſraëlitis credamus fabricata eſſe. Id verò perplacet, quòd negare non ſuſtinet, nomina iſta, quæ recenſuimus, Hebraica eſſe. Nunc item in proclivi eſt oſtendere, nequaquam ea ab Iſraëlitis eſſe impoſita. Inter cætera quæ recenſuimus, eſt etiam nomen urbis בֵּית־לֶחֶם, pro quo initio frequentatum fuiſſe aliud nomen, ex Gen. XXXV, 19. ſcire licet, nimirum nomen אֶפְרָתָה. Verba ſacri Scriptoris ita habent: *Sepulta eſt* (Rachel) *in viâ, quæ ducit Ephratham, hæc eſt Bethlehem* (ea urbs quæ tum Ephrata dicebatur, eſt iſta quæ nunc dum hæc ſcribo, Bethlehem dicitur.) Quis verò ſacer iſte Scriptor? Ipſe utique Moyſes; is qui deceſſit, antequam Iſraëlitæ in Palæſtinam penetraſſent, & urbibus nomina indere potuerunt, quique igitur librum quoque antè ſcripſit. Neque veroſimile eſt, Moyſem cum iſta ſcriberet, vaticinatum fuiſſe de futuro urbis nomine, ab Iſraëlitis demum, cum hi in Palæſtinam penetraſſent, indendo. Ita quidem hic foret intellectus verborum:

Via quæ ducit Ephratham, quæ mox cum Iſraëlitæ in Palæſtinam penetraverint, Bethlehem appellabitur. Sed is intellectus, credo, nemini non incommodus videbitur. Quamobrem aliter facere non poſſumus, quam ut ſtatuamus, urbem ab ipſis Cananæis *Bethlehem*, nomine purè Hebraico, fuiſſe dictam. S. Micha in quinto cap. ubi de Salvatore mundi Bethlehemi in lucem edendo vaticinatur, ejuſdem urbis utrumque nomen conjungit, vocatque *Bethlehem Ephrata.*

Conſideremus cætera quoque nomina, quæ diximus à Cananæis eſſe fabricata, atque urbibus impoſita. Id igitur verum eſſe quòd diximus, ex eo ſatis, credo, intelligitur, quòd ſacri Scriptores haud obſcurè ſignificant, ea ipſa nomina eſſe vetera, eaque aliis poſtea fuiſſe permutata, aut certè unum ex duobus deſiiſſe frequentari. In lib. Joſuæ c. XV, 15. legimus: *Et aſcendit inde* (Caleb) *ad habitatores* (incolas) *Debir: & nomen Debir priùs Kirjathſepher.* Quis non colligat ex his, qui ea legerit, eam urbem, quæ Debir dicta fuit, cum Iſraëlitæ Palæſtinam jam tenerent, antea dictam fuiſſe *Kirjathſepher*, quàm iidem in Palæſtinam veniſſent? Ipſe Caleb cum primùm de iſtâ urbe occupandâ cogitaret, his verbis uſus fuiſſe legitur in eodem capite v. 16. *Qui percuſſerit Kirjathſepher* (cui utique jam tum illud nomen erat, & jam antea quoque fuerat) *dabo ei Axam, filiam meam, uxorem.* Alia ejuſdem capitis & proxima quidem ſuperiora, ſic habent: *Caleb verò, filio Jephunne dedit partem in medio filiorum Juda, ſicut præceperat*

ei

ei Dominus, Kirjath Arbah, patris Enak, hæc eſt Hebron. Ex his apparet urbi alicui Palæſtinæ *Hebron* fuiſſe nomen, cum ſacer liber perſcriberetur: eandem verò antea aliud nomen habuiſſe, nimirum *Kirjatharba*. Quod igitur nos contendimus impoſitum atque frequentatum fuiſſe, antequam Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent. Ipſe iſte Vir, à quo urbs denominata fuit, *Arba* puta, pater fuit *Enaki*, qui utique ex Cananæis fuit. Jam verò minimè eſt veroſimile, Iſraëlitas à devictis gentibus nomina voluiſſe indere urbibus: & non potiùs ipſum *Arbam* urbi à ſuo nomine feciſſe nomen *Kirjatharba*; quemadmodum Conſtantinus M. urbi à ſe ampliatæ nomen indidit Κωνςαντινέπολις. Sed facilè conceſſerit Fullerus, ipſum conditorem indidiſſe nomen urbi in eandem ſententiam, ita quidem, ut pro Hebraicâ voce *Kirjath* uſurpaverit aliud vocabulum, linguæ quidem ſibi vernaculæ. Contendimus igitur ampliùs, illo ipſo Hebraico vocabulo *Kirjath* uſum fuiſſe dominum urbis. Quis, quæſo, credat, ſacros Scriptores non voluiſſe urbes ab Iſraëlitis occupatas appellare iſtis nominibus, quæ urbes habuerint antea? Quis item credat, Iſraëlitas, ſi urbium vetera nomina abolere ſtuduiſſent, non potiùs ſubſtituiſſe nomina prorſùs alia, atque diverſo intellectu, quàm vetera nomina voluiſſe modò vertere, & ſic verſa retinere? Si verò obtineret Fulleri ſententia, certis nobis non liceret eſſe, varia iſta nomina urbium, quæ in libro Joſuæ recenſentur, earum urbium revera fuiſſe, antequam Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent, ſed omnia ad unum

habenda forent pro nominibus verſis. Hoc autem fieri neutiquam poteſt. Multa quippe nomina quæ in libro Joſuæ memorantur, leguntur itidem in libris Moyſis, ejus, inquam, Viri, qui in Palæſtinam unà cum cæteris non venit, ſed antè deceſſit. Nomen *Hebron* legitur Gen. XXIII, 19. *Sepelivit Abraham Saram, uxorem ſuam, in ſpeluncâ agri duplici, quæ reſpiciebat Mamre: hæc eſt Hebron in terrâ Canaan.* Tria igitur nomina unius urbis obſervare licet, *Mamre, Hebron, Kirjatharba.* Ex quibus vetuſtiſſimum eſt, *Mamre:* ei proximum, *Hebron:* tertium autem eſt noviſſimum, & ab *Arba* demum impoſitum, brevi tempore antè, quam Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent. Quod ex eo intelligi licet, quòd Iſraëlitæ tres filios Enaki, atque adeò nepotes Arbæ, ex Hebrone expulerunt, ut proditum eſt Joſuæ XV, 14. Sic & alia nomina urbium, Jericho, Ai, Gibeon frequentata fuerunt, antequam Iſraëlitæ in Palæſtinam venirent. Quid verò multis eſt opus? Conſiderentur modò ipſæ illæ locutiones ſacrorum ſcriptorum: *Kirjatharba, hæc eſt Hebron.* Item: *Kirjathbaal, hæc eſt Kirjathjearim* Joſ. XV, 16. Item: *Kirjathſanna, hæc eſt Debir.* v. 9. Nihil ſanè aliud ex his intelligere poſſumus, quàm eas urbes, quas Iſraëlitæ *Hebronem, Kirjathjearim, Debir* appellarunt, tum cum ipſi primùm in Palæſtinam venirent, atque adeò jam antea habuiſſe hæc nomina, *Kirjatharba, Kirjathbaal, Kirjathſanna.* Vetera nomina, inquam, exponere voluit ſacer ſcriptor, & ſimul ſignificare quibus nominibus tum appellarentur opida,

cum

cum ipſe ſcriberet. Quis autem credat, ipſum vetera nomina antè voluiſſe vertere, quam ea recenſeret, & non potiùs genuinam formam, quam ex Cananæorum dialecto habuerunt, nobis demonſtrare?

Si verò de nominibus urbium nos concederemus, ea ab Iſraëlitis verſa fuiſſe, atque permutata talibus quæ eandem modò ſententiam haberent: ne ſic quidem deeſſet, quo oſtenderemus, Hebræam linguam Cananæorum fuiſſe vernaculam. Scimus etiam nomina propria virorum, & Regum quidem Cananæorum, quæ purè Hebraica ſunt, neque ullâ veriſimilitudine dici poſſunt pro aliis ſuppoſita fuiſſe ab Iſraëlitis; nomina, inquam, *Melchizedek*, *Abimelech*, *Adonizedek*, *Adonibeſek*, de quibus ſuprà jam diximus. Quis credat nomen Melchiſedeki, Regis Salemi, atque adeò ex Cananæi oriundi, non fuiſſe idem illud, quod tali formâ apparet in ſacris, מַלְכִּי־צֶדֶק? Quem putabimus ei Viro nomen immutaſſe, & pro alio nomine, quo vulgò dictus fuerit, quodque ex Cananæâ linguâ fuerit petitum, indidiſſe ipſi iſtud Hebraicum? an Abrahamum? an verò ipſum Moyſem? Nihil ejus enimvero ullo pacto dici poteſt. Deinde etiam neutiquam credibile eſt, cætera nomina, *Abimelech*, *Adonizedek*, *Adonibeſek*, non fuiſſe iſtorum Virorum, quibus tribuuntur, ſed eos habuiſſe alia nomina, quorum idem modò intellectus fuerit. Memorat S. Scriptura plurimorum aliorum Regum nomina, Regum, inquam, Ægypti, Syriæ, Moabitarum, Ammonitarum, Chal-

dæorum, aliorumque: quæ ſanè omnia genuinâ ſuâ formâ apparent in ſacris literis, neque ſacris Scriptoribus ea viſum fuit vertere, antequam in literas referrent. Talia ſunt, Pharao So, Siſak, Necho, Hophra, Benhadad, Hazaël, Nachas, Eglon, Nebucadnezar, Evilmerodach. Quemadmodum igitur hæc nomina apparent totidem literis ac ſyllabis, quot apud varias gentes illa habuerunt: ita etiam credamus nomina Melchizedek, Abimelech & cætera totidem literis ac ſyllabis apparere, quot literis ac ſyllabis ea expreſſa fuerunt ab ipſis Cananæis.

Atque ita tutum, credo, præſtitimus illud, quo probare inſtitueramus, linguam Hebræam Cananæis vernaculam fuiſſe. Licet verò idem illud aliunde quoque probare. Nimirum ex eo quòd Hebræa L. in Eſaiâ c. XIX. v. 17. diſertè dicitur שְׂפַת כְּנַעַן *labium* (*lingua*) *Canaan*, hoc eſt, *Cananæorum.* Adſcribam verba Prophetæ: *In die illâ* (tempore N. T.) *erunt quinque civitates in terrâ Ægypti, loquentes linguâ Canaan, & jurantes per Dominum exercituum.* His utique prædicitur, Ægyptios ſeſe applicaturos eſſe ad veram Eccleſiam, & converſum iri. Id exprimitur hac ῥήσει, *loqui linguâ Canaan.* Cujus utique hic intellectus eſt, *cum Iſraële* (quo nomine tota Eccleſia N. T. ſæpe ſignificatur) *familiariter vivere, atque ſic agere, ut ipſe Iſraël agit*, hoc eſt, fidelem eſſe & in Chriſtum credere. Ita quoque ſimul apparet, linguam Iſraëlitarum, hoc eſt, Hebræam, dici *linguam Canaan.* Quod quo intellectu dicatur, diſpiciendum eſt. Nos dicimus,

mus, *linguam Canaan* vocari, quòd *Cananæi olim eâ fuiſſent uſi.* Quem intellectum repudiant iſti, qui contendunt, Hebræam L. Cananæorum vernaculam non fuiſſe. Fullerus ita: *Lingua Canaan ſignificat linguam, non populi Chananæi (qui propriè dicitur* כנעני, *Jod calci nominis adjecto) verum terræ Canaan, (ſic quippe vox Canaan in Scripturis Exod. XV, 12. uſurpatur) hoc eſt, habitatorum terræ, qui jam diu erant Iſraëlitæ.* Non equidem nos negabimus, nomen *Canaan* poſſe ſignificare ipſam regionem, quæ alibi ארץ כנען *terra Canaan* appellatur, ipſius primi occupatoris nomine. Si nullum ejus rei exemplum produci poſſet, ſatis tamen ex aliis intelligi poſſet, vocem aptam eſſe ad id ſignificandum. Sic nimirum & מצרים dicitur pro ארץ מצרים, & ארם pro ארץ ארם, & עילם pro ארץ עילם. Sed contrà neque hoc negari debet, τὸ כנען poſſe ſignificare *Cananæos*, ſive *poſteros Canaanis.* Quid frequentius eſt in ſacris literis, quàm nomen autoris alicujus familiæ poni pro ipſâ familiâ? Sic מואב ſignificat *Moabitas*, ſive poſteros Moabi: עמון ſignificat *Ammonitas:* יהודה ſignificat *poſteros Judæ:* ישראל *poſteros Iſraëlis.* Τὸ כנעני, quod Fullerus allegat, patronymicum eſt: facitque pluralem כנענים. Sic & à יהודה fit יהודי Eſth. III, 8. & porrò plurale יהודים v. *6.* Quoniam igitur certum eſt, τὸ כנען poſſe utrumque ſignifi-

care & *terram Canaan*, inquam, & *Cananæos ſive poſteros Canaanis*, diſpiciendum, quæ ſignificatio obtineat in iſto, שפת כנען *lingua Canaanis*. Nos dicimus, id ſignificare *linguam Cananæorum*: quòd Cananæi eâ uſi fuiſſent. Fullerus contrà contendit, intelligendam eſſe *linguam regionis Canaan*, & ampliùs κατὰ μετωνυμίαν linguam ipſorum habitatorum qui tunc erant, cum Eſaias iſta ſcriberet, hoc eſt, Iſraëlitarum. Cogitandum igitur, an Palæſtina tum quoque, cum Eſaias ſcriberet, dici potuerit *terra Canaan*; tum, inquam cum Cananæi non ampliùs tenerent, & Iſraëlitæ jam tenuiſſent per multa ſecula. Alibi ſanè ſacri Scriptores, ubi hiſtoriam componunt talium quæ poſt occupatam ab Iſraëlitis Palæſtinam uſu venerunt, ארץ ישראל & ארץ יהודה vocant, itemque ישראל & יהודה; non ארץ כנען aut כנען, quemadmodum tempore Abrahami, atque item Moyſis fieri ſolebat. Ille ipſe quoque Propheta, qui יְ' שפת כנען habet, in eodem capite ubi id ipſum habet, vocat אַדְמַת יְהוּדָה *terram Judæ*. Neque igitur veroſimile eſt, ipſum eandem regionem mox voluiſſe appellare iſto nomine, quod à veteribus Dominis atque incolis, Cananæis puta, ea regio olim habuerat. Deinde & hoc cogitandum, quantis ambagibus deveniendum ſit ad illud quod Fullerus vult. Primò *Canaan* ex ejus mente ſignificat *terram Canaan*; per metonymiam *primi occupatoris ac Domini regiones*

nis pro *ipſâ regione*. Deinde per aliam demum metonymiam ſubjecti pro adjuncto, & *regionis* quidem pro *incolis*, ſignificabit ipſos incolas, qui Iſraëlitæ tunc erant.

Denique ad noſtram ſententiam demonſtrandam cogitandum & hoc proponimus, quòd ſcire licet, Pœnorum in Africâ linguam Hebrææ valde cognatam fuiſſe, atque adeò ipſorum quoque Phœnicum, qui in Aſiâ prope Iſraëlitas, ſedes tenuerunt, & à quibus Pœni in Africâ traxerunt originem ſuam. Sanè Phœnices, atque inter hos Tyrii ac Sidonii, ex Cananæis fuerunt. Neque enim omnes Cananæos expellere potuerunt Iſraëlitæ, ſed pati neceſſe habuerunt, ut quidam retinerent antiquas ſedes, ut ex libro Joſuæ conſtat. Tyro deinde profuga Eliſſa ſive Dido, in Africâ primò arcem exſtruxit, deinde & urbem condidit, quibus nomina indidit ab Hebræâ dialecto vix quicquam diſcrepantia. Arcem quam condidit, conjicere licet, ab ipſâ vocatam fuiſſe בִּצְרָה : quo nomine in ipſâ Aſiâ quoque urbes quædam appellatæ fuerunt, ut ex ſacris conſtat. Id nomen Græci ac Latini transformarunt in *Βύρσαν:* quaſi Græcum nomen arci fuiſſet inditum. Urbs ipſa tali nomine dicta eſt quæ *novam urbem* ſignificare poteſt. Latini & Græci non ſatis integrè nomen expreſſerunt. Illi urbem vocarunt Carthaginem : hi verò *Καρχηδόνα*. Solinus etiam ſic expreſſit, *Carthada*, ut ſupra diximus. Compoſitum eſt nomen ex vocibus Hebræis קֶרֶת *urbs* & חֲדָשָׁה *nova*. Τὸ שׁ quod in poſteriore parte eſt, non apparet in iſtis formis, quibus Græci & Latini ex-

preſſe-

preſſerunt. Ceterum non opus eſt, ut priorem partem nominis ut quidam faciunt, dicamus fuiſſe קָרְתָּא, formâ Chaldaicâ pro Hebraicâ קֶרֶת. Sufficit dicere, ex קֶרֶת in compoſitione, & cum adjiciendum quippiam eſſet, neceſſe fuiſſe קִרְיַת formari, quemadmodum aliàs talia nomina, ſi quid adjiciatur, iſtiuſmodi formâ ſolent affici; atque adeò τ' קֶרֶת ipſorum quoque Pœnorum fuiſſe vocem. Porrò notum eſt, à Pœnis frequentata fuiſſe nomina, ex בַּעַל genuino Hebraico vocabulo, compoſita, *Hannibal* puta, *Aſdrubal*, *Adherbal*, *Merbal*. Apud Tyrios item nomina fuerunt ex בעל compoſita. Ex ſacris notum eſt אֶתְבַּעַל nomen Regis Tyriorum, qui Achabo σύγχερ-ος fuit. Joſephus in I. c. Ap. ex Dii Phœnicicis vocat Ἐιθώβαλον. Qui & alium Regem Tyriorum ibidem vocat Ἀβίβαλον. Id Tyricè, atque adeò Hebraicè quoque exprimitur אֲבִיבַעַל; prorſus ut Hebraica alia אֲבִינָדָב אֲבִימֶלֶךְ. Auguſtinus prodidit, apud Pœnos *Baalſamen* ſignificare *Dominum cœli*. Vide quæſt. XVI. in I. Jud. Servius item diſertè ad I. Æneidos: *Linguâ Punicâ Deus* Baal *dicitur*. Ithobali ſive Ethbaalis filia fuit אִיזֶבֶל, quam Achabus, Rex Iſraëlis, ſibi matrimonio junxit. Ejus nomen & ipſum Hebraicam formam habet. Poſterior pars eſt זֶבֶל: quæ formam habet apud Hebræos pervulgatam, & fortaſſe *habitationem* ſignificat. In ſacris τ' זְבוּל *habitaculum*, & deinde *cœlum* ſignificat. Prior pars ita

ita hic apparet, ut in nomine אִיכָבוֹד, quod ſummi Pontificis Eli nurus ſuo filio indidit, cum intellexiſſet arcam Domini à Philiſtæis captam eſſe, de quo vide I. Sam. IV: itemque in nomine אִיתָמָר filii Aaronis. Significat autem אִי *non*, eſtque reciſum ex אִין ſive אַיִן. Apparet etiam extra compoſitionem: ut Job XXII, 30. אִי נָקִי *non innocens*. Sunt & multa alia, quibus doceri poteſt, Linguam Phœnicum & Pœnorum admodum nihil diſcrepaſſe à L. Hebræâ. Nobis verò plura congerere non libet, quòd ſciamus talia accuratè congeſta eſſe à Cl. Bocharto in lib. *Canaan*: itemque à Cl. Reineſio in de Linguæ Punicæ ἱστορουμένοις.

C A P. VII.

Vulgatam Lat. verſionem plurimos habere nævos. Quos non omnes Interpreti aſſignandos eſſe. Vulgatam verſionem non eſſe unius autoris. Quædam ejus verſionis immeritò reprehendi. De verbis, Talibus hoſtiis promeretur Deus. Ea ſic verſa non rectè afferri ad probandum meritum bonorum operum. Εὐαρεστεῖσθαι *delectari. Id conſtrui cum ſexto caſu: ut &* ἀρέσκομαι *&* εὐαρεστῶ. *Hoc poſtremum ſignificare etiam* placere: *& ſic conſtrui cum Dativo.* Εὐαρεστεῖσθαι *Hebr. c. XIII, &* εὐαρεστεῖν *Hebr. XI. non ſignificare unum & idem: contra quendam. De Græcorum caſu ſexto. Bellarminus reprehenſus. Delectari aliquâ re & placari non eſſe* ἰσοδυνάμα. *Qui facit quod alteri placet, non continuò de eo bene mereri. Quid Latinus Inter-*

terpres voce promeretur *ſibi voluerit. Vocabula* mereri, promereri *ſequioribus ſeculis, ſignificaſſe etiam ſimplicem adeptionem ſive conſecutionem, ſi quartum caſum rei ſibi junctum habeant.* Promereri *cum quarto caſu perſonæ, ſignificat facere quod alteri placeat. Auguſtini locus huic rei allegatus, atque explicatus. Auguſtinum non crediſſe, bona opera mereri vitam æternam. Iterum de phraſi promereri aliquem. Eam non ſemper notionem obligationis includere. Fœnerari aliquem. De voce* promeretur *paſſivè uſurpatâ. Non eſſe barbaram ſimpliciter dicendam. Deponentia paſſivè uſurpata; Recordari, interpretari, conſolari. Alia quæ in vulgata verſione ſuſpecta eſſe poſſint. Minare. Locus Senecæ à Meurſio feliciter emendatus. Vel, quandoque eſſe copulativum. Abbreviare, eſt abſcindere. Principium, pro imperio, principatu. Fœnerare quandoque ſignificat mutuò dare; ut uſuras non poſcas. Locus Tertulliani explicatus.*

LAtinam iſtam verſionem quam hodie vulgò verſamus, negari equidem nec poteſt, nec debet, quam plurimos habere nævos. Idque uſque adeò eſt verum, ut ex iſtâ quoque parte, quæ Tridentino decreto perculſa, inepta ejus verſionis, & manifeſtè falſa defendere ſolet, exſiſtant quandoque Viri docti, qui facere non poſſunt, quin nævos iſtos ingenuè agnoſcant, & talibus, quæ rectiùs ſe habeant, permutent. Proceſſit jam olim Jod. Clarius eò confidentiæ, ut profeſſus ſit, ſe octo millia errorum in vulgatâ verſione obſervaſſe. Adſcri-

ſcribere lubet ingenuam confeſſionem Sixti Senenſis ex lib. 8. bibliothecæ ejus: *De erroribus quos Hieronymus in veteri tranſlatione annotavit, & recentiores in hac novâ editione pariter annotarunt, ingenuè fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri traductione, & ſimiliter in hac noſtrâ novâ editione nonnullas in veniri mendas, ſolœciſmos, barbariſmos, hyperbata, & multa parùm accommodatè verſa, & minùs Latinè expreſſa, obſcurè & ambiguè interpretata, itemque nonnulla ſuperaddita, aliqua omiſſa, quædam tranſpoſita, immutata ac vitio ſcriptorum depravata; quæ Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciſcus Forerius, & Hieronymus Oleaſtrius, Viri ex Dominicano ordine eruditiſſimi, interpretationibus & explanationibus ſuis indicarunt.* Si verò de cauſis errorum iſtorum diſquirere libet, non utiquè omnes illi aſſignandi fuerint imperitiæ ipſius Interpretis. Plurima malis manibus librariorum, aut negligentium, aut imperitorum aſſignanda eſſe, ſanè opidò quàm eſt manifeſtum. Quis id Interpreti adſcribat, quod Luc. XVI. legimus: *Et ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos.* Et Luc. XV, 8. *Evertit domum pro everrit.* Ne illud quidem quod Gen. III. legimus, *Ipſa conteret caput ſerpentis*, quamvis antiquum ſit, ipſi Interpreti adſcribendum putaverim. Quæ verò Interpreti adſcribenda ſunt, ea tamen non uni cuidam adſcribenda fuerint. Nimirum non malè conjectaſſe videntur Viri docti, non ab uno eodemque Interprete profectam eſſe omnium ſacrorum librorum verſionem Latinam quam vulgatam dicimus,

mus, ſed à diverſis. Ipſe Bellarminus in libro II. de Verbo Dei c. XI. id ferè fatetur his verbis: *Vulgata editio non eſt unius autoris, ſed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato.*

Ceterum & hoc obſervare licet, quædam in vulgatâ Latinâ verſione vulgò reprehendi, quæ reprehenſionem minimè merentur. Et eò quidem impenſiùs reprehendi, quòd inepti homines ad falſorum ſuorum dogmatum probationem talia allegare ſolent. Exemplum eſt in verbis Hebr. XIII, 16. *Talibus hoſtiis* (beneficentiæ) *promeretur Deus.* Hoc Pontificii allegare ſolent ad probandum illud, bona opera mereri vitam æternam; quemadmodum & alia quædam in quibus ſimile vocabulum viſitur, allegare ſolent. Vide Bellarm. lib. V. de juſtif. c. 2. Quidam verò contrà contendunt, verſionem iſtam & à fontibus alienam eſſe, & barbaram, & analogiæ fidei adverſam. Noſtra de iſtis ſic eſt ſententia, nec meritò iſtius loci verſionem à Pontificiis allegari ad probandum meritum bonorum operum: nec meritò rurſus eam dici à fontibus alienam, & analogiæ fidei adverſam: denique nec barbaram eſſe dicendam.

Quòd Bellarminus in dicto loco ſcribit, Græcum verbum εὐαρεστεῖσθαι, quo ipſe Apoſtolus utitur, ſignificare *delectari aliquem aliquâ re, placere alicui aliquam rem*, id ſatis rectè ſe habet. Conſtruitur id verbum cum tertio caſu, vel *ſexto potiùs*. Græci enim quamvis ſextum à tertio, quod ad externam formam diverſum

non

Digitized by Google

non habeant, habent tamen quod ad vim & ſignificationem. Εὐαρεστοῦμαι ταῖς θυσίαις igitur ſignificat *delector*, *acquieſco ſacrificiis*, *placetur mihi ſacrificiis.* Sic apud Laërtium reperire eſt, εὐαρεστούμενος τῇ διατριβῇ, *acquieſcens converſatione ſive ſcholâ, eam non faſtidiens, ſed probans.* Budæus ex Diodoro allegat exemplum, ubi ſine caſu ponitur, hoc nimirum, πάσας πρεσβείας εὐαρεστουμένας ἀπέλυσε κατὰ τὸ δυνατόν. Quod ipſum rectè ita explicat idem Budæus, *legationes dimiſit*, ἀσμένως διακειμένας, *bene ſecum actum eſſe & comiter exiſtimantes.* Idem verbum eadem ſignificatione adſciſcit etiam quartum caſum; cujus exemplum ex Epicuro produxit Stephanus. Ceterum & ipſum ἀρέσκομαι, à quo alterum eſt derivatum, non aliter conſtruitur: & eandem quoque ſignificationem obtinet. Prorſus gemino modo dicitur, ἀρέσκομαι τούτῳ, *acquieſco, delector hâc re*, hoc eſt, res placet mihi. Vide exempla à Budæo & Stephano producta. Porrò & activâ voce, ut Grammatici vocant, dicitur εὐαρεστεῖν; eodem planè ſignificatu, quo ſuperius εὐαρεστεῖσθαι: & cum eodem *ſexto caſu* conſtructum. Budæus ejus rei exemplum producit ex Plutarchi παραμυθητικῷ: οὕτως οὐδένιον μετὰ θεῶν ὢν καὶ τούτοις συνεστιώμενος, εὐαρεστήσειεν ἂν τῇ τοιαύτῃ ὑμῶν διαγωγῇ, hoc eſt, οὐκ ἐνασμενίσειεν ἂν, *non acquieſceret iſtâ veſtrâ converſatione, non placeret ipſi veſtra converſatio.*

Hoc poſterius autem ſignificat etiam *placere*: & ſic conſtruitur cum *caſu tertio.* Stephanus ex Baſilio producit hoc exemplum: ἰδοξάσαμεν τὸν θεὸν ἡμῶν τὸν καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐκλεγόμενον τοὺς αὐτῷ

εὐαρεστοῦντας, hoc eſt, ἀρέσκοντας *placentes*. Sic & cum eodem tertio caſu conſtruitur in ipſis ſacris literis: atque itidem *placere* ſignificat. Nimirum Hebr. XI, 5. reperimus, εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ, *placuiſſe Deo*. Et v. 6. χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. Componamus nunc ῥήσεις ἰσοδυνάμους. Dicitur, τοῦτο ἀρέσκει μοι & τοῦτο εὐαρεστεῖ μοι, *hoc placet mihi*. Deinde dicitur, ἐγὼ ἀρέσκομαι τούτῳ, &, εὐαρεστοῦμαι τούτῳ, &, εὐαρεστῶ τούτῳ, *ego delector iſto, acquieſco iſto*. Quidam, cum Latino Interpreti inſcitiam objectaſſet, quòd voce *promeretur* eſt uſus, probare voluit τὸ εὐαρεστεῖσθαι Hebr. XIII. idem ſignificare, quod εὐαρεστεῖν. *Quia*, inquit, *τῷ εὐαρεστεῖν jungitur caſus tertius* (Hebr. XI, 5.) *idemque etiam τῷ εὐαρεστεῖσθαι c. XIII, ſequitur hoc idem ſignificare quod illud*. Nos illud negamus, τὸ εὐαρεστεῖν Hebr. XI. idem ſignificare, quod εὐαρεστεῖσθαι Hebr. XIII. Nimirum illud ibi ſignificat *placere*: hoc verò ſignificat *delectari, acquieſcere*. Inter τὸ *placere* autem, & τὸ *delectari* permultum eſt. Res placet: homo delectatur, ſive is eſt cui res placet. Deinde iſte caſus qui Hebr. XI. jungitur, eſt ſanè tertius: qui verò Hebr. XIII. jungitur, eſt ſextus caſus; qui, ut dixi, externâ formâ quidem à tertio non differt, ſed tamen diverſam vim habet. Sic nimirum & alii duo caſus coincidunt in Græcâ, atque item in Latinâ Linguâ: uſus tamen illorum multum eſt diverſus. Nominativus & Vocativus apud Atticos perpetuò, apud cæteros Græcos quandoque eandem formam habent. Sic & Nominativus & Accuſativus ut apud Græcos, ita & apud Latinos ſæpe nihil diſcrepant. Ipſe quo-

que

que Dativus & Ablativus; apud Græcos perpetuò, apud Latinos ſæpe conveniunt.

Quod Bellarminus ſcribit, ſacrum ſcriptorem id voluiſſe dicere, *hoſtiis beneficentiæ delectari Deum*, ſive *eas hoſtias Deo placere*, id ut dixi, rectè ſe habet. Quod verò idem rem quoque explicat vocabulo *placari*, id non perinde probum eſt. Etenim inter τ' *delectari aliquâ re*, & τ' *placari* permultum eſt. Hoc poſterius ſignificat *aliquem ex infenſo ac irato reddi benevolum*: prius autem ſignificat, *aliquem capere voluptatem ex aliquâ re, alicui placere aliquam rem*. Porrò verò quòd τ' ἐυαρεϛεῖσϑ in Hebr. XIII. ſignificat *delectari*, quodque Deus bonis operibus, e. g. *hoſtiis beneficentiæ* delectatur, eo minimè probari poteſt illud, quod Bellarmino ampliùs eſt probandum. Diſſerit is in prædicto loco hunc in modum: *At certè propriiſſimè dicimus Latinè, unum apud alterum mereri, & eum ſibi obſtringere, qui facit aliquid quod ei placeat, eumque delectet.* In eandem ſententiam lib. II. de Verbo Dei c. XIV. *Latinè*, inquit, *rectè dici*, *bene mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam, nemo eſt qui neſciat.* Nos id negamus planè, ſi quis quid faciat, quod placeat alteri, quoque alter delectetur, eo iſtum qui facit, ſemper mereri, & alium ſibi obſtringere. Nimirum multi qui talè quid faciunt quod alteri placet, ad id faciendum ſunt obligati, & alterum minimè obſtringunt ſibi. Exempli cauſâ: filii honorant parentes, id quod parentibus placet; qui tamen bene de parentibus eo non merentur, nec parentes obſtringunt ſibi.

Sanè parentes alunt liberos & curant: non autem propterea, quòd à filiis honorantur, ſed quòd lex naturæ atque adeò ipſe Deus ita jubet. Non id ſpectare ſolent parentes ac liberi, ut certa proportio ſit inter honorem quo parentes afficiuntur, & beneficia iſta, quibus afficiuntur liberi. Tantùm abeſt ut id fiat, ut contrà parentes ſæpe liberos alant, ac tenerrimè etiam ament, qui debitam reverentiam non exhibent: ut item filii parentes honorare debeant, ſi maximè ab ipſis, ut par erat, non alantur. Quemadmodum igitur de liberis dici nequit, eos bene mereri de parentibus, ſi eos honorent, ita nec de nobis dici poteſt, nos de Deo bene mereri, cum veneramur eum, ipſique grata facimus. Phraſis iſta *bene mereri de aliquo*, Latinis utique ſignificat *facere aliquid, quo alter juvetur, & propter quod viciſſim aliquid officii aut beneficii præſtari debeat, aut ſaltem gratiæ haberi.*

Nunc conſideremus an vulgatus Interpres Latinus, cum τ' ἐυαρεςεῖται reddit vocabulo *promeretur*, idem ſenſerit quod Bellarminus, Deum, inquam, hoſtiis beneficentiæ non tantùm delectari, *ſed & placari, hominemque iiſdem hoſtiis de Deo bene mereri, eumque ſibi obſtringere.* Sanè ipſum Interpretem iſtis ut æquipollentibus vocem *promereri* exprimere voluiſſe, liquere minimè poteſt. Contrà verò occaſio datur conjiciendi, ipſum voce *promereri* nihil aliud voluiſſe dicere, quam *Deum delectari hoſtiis beneficentiæ, Deo placere iſtas hoſtias.* Principio credibile non eſt, Interpretem vim Græcæ vocis, quæ utique vel leviter cogitanti facilè apparere

parere poteſt, adeò non vidiſſe, ut cum de ſimplici complacentiâ ſit intelligenda, is de merito intellexerit, hoc eſt, *hoſtiis beneficentiæ hominem bene mereri de Deo, & Deum iis obſtringi ad viciſſim dandum.* Ex ipſo Græco vocabulo facile apparet origo ejus, id nimirum ortum eſſe à noto verbo ἀρέσκω, *placeo.* Porrò etiam ſcimus, vocabulis *mereri*, *promereri*, in ſeculis Tullianam ætatem ſecutis non ſatis conſtanter adhæſiſſe antiquam notionem; non perpetuò, inquam, ſignificaſſe, *aliquid præſtare alteri, propter quod is viciſſim aliquid præſtare debeat, atque adeò ad illud præſtandum obligatus ſit*, ſed modò ſignificare *ſimplicem conſecutionem* ſine iſtâ quam dixi, notione, vel *præſtationem ejus, quod alteri placeat, nec tamen eum obliget ad aliquid viciſſim præſtandum.* De vocabulo *mereri* res nota eſt, id ſignificare ſeculi tertii, quarti & ſequentium ſcriptoribus *ſimplicem conſecutionem, ſive adeptionem.* In hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, Ælio Spartiano, inquam, Ælio Lampridio, Julio Capitolino, Ammiano Marcellino plurima obſervare licet ejus rei exempla: quæ etiam Viris doctis jam obſervata ſunt. Nos unum atque alterum huc quoque adſcribemus. In Julii Capitolini Maximino Seniore: *Diis faventibus Gordianum principem meruimus*, hoc eſt, conſecuti ſumus, accepimus. In Ælii Spartiani Septimio Severo: *Poſt hoc Siciliam Proconſularem ſorte meruit.* Ipſum verbum *promereri* eadem notione ibidem legitur in his: *Tribunatum plebis Marco Imperator decernente promeruit*, hoc eſt, adeptus eſt. Papias in Vocabulario disertè: *Promereri, im-*

petrare. Ceterum ut apud paganos, ita & apud Chriſtianos Scriptores eandem notionem vocabulorum ſæpiſſimè obſervare licet.

In iſtis quæ jam produximus, τ' *mereri* & *promereri* ſignificat ſimplicem *adeptionem* ſive *conſecutionem*, & habet *quartum caſum rei* ſibi junctum. Deinde verò τ' *promereri* ſignificat etiam *aliquid facere*, *quod alteri placeat*, *eique gratum ſit* : & ſic itidem *cùm quarto caſu*, *ſed perſonæ*, *non rei*, conſtruitur. *Promereri Deum*, inquam, ſignificat, *facere quod Deo placeat*, *& gratum* ſit: & ſimpliciter quidem; *non ita*, *ut Deus obligetur ad aliquid viciſſim præſtandum*. Sic vocem uſurpavit S. Auguſtinus in lib. I. de doctrina Chriſtianâ c. XXIII. Cum S. Pater diſſerere inſtituiſſet de quatuor iſtis, quæ diligi poſſint, præmonet idem, non omnia quibus utendum eſt, diligenda eſſe, ſed ea modò, quæ aut nobiſcum ſocietate quadam referantur in Deum, ſicuti ſit homo & Angelus; aut ad nos relata beneficio Dei per nos indigeant, ſicuti ſit corpus. Tum addit exemplum de tali, quo cum utendum ſit, idem tamen non ſit diligendum. *Nam utique martyres*, inquit, *non dilexerunt ſcelus perſequentium ſe*, *quo tamen uſi ſunt ad promerendum Deum*. Dicit S. Auguſtinus, martyres uſos fuiſſe ſcelere aliorum ad promerendum Deum, dum puta illud propter Chriſti mandatum perpeſſi ſunt. Verba, *Ad promerendum Deum*, commodè utique explicantur per hæc, *ut promererentur Deum*. Vult ergò Auguſtinus, Martyres, dum mala propter Chriſtum perpeſſi ſunt, *promeruiſſe Deum*. Quod an ita intelligemus, ut S. Patris hanc

fuiſſe

fuiſſe mentem arbitremur, *Martyres quòd varias ærumnas perpeterentur, Deum obſtrinxiſſe ſibi, eumque obligatum fuiſſe factum ad vitam æternam donandam?* Non licet ita intelligere. Idem enim S. Pater ſe longè aliter ſentire, tam apertè in multis locis teſtatus eſt, ut dubitare de eo nemo poſſit. Adſcribam ejus verba ex epiſt. CV. ad Sixtum: *Vide, obſecro te, in quantâ brevitate quàm vigilanter verba poſuerit* (Apoſtolus Rom. VI.) *Cum enim dixiſſet: Stipendium peccati mors, quis non congruentiſſimè & conſequenter addere judicaret: Stipendium autem juſtitiæ vita æterna? Et verum eſt, ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna. Aut ſi nollet dicere juſtitiæ, diceret fidei, quoniam juſtus ex fide vivit: unde etiam & merces appellatur plurimis ſanctarum ſcripturarum locis. Quod eſt autem merces operanti, id militanti ſtipendium. Sed B. Apoſtolus adverſus elationem, quæ uſque adeò magis tentat irrepere; ut & ſibi propter ipſam dicat datum Angelum Satanæ, Adverſus hanc ergò elationis peſtem vigilantiſſimè militans, ſtipendium, inquit, peccati mors. Rectè ſtipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur*, quia merito redditur. Deinde ne juſtitia de humano ſe extolleret bono merito, *ſicut humanum meritum malum non dubitatur eſſe peccatum, non à contrario retulit dicens: Stipendium juſtitiæ vita æterna, ſed gratia, inquit, Dei vita æterna eſt.* Disertè ſcribit S. Pater, S. Paulum uſum eſſe talibus verbis, *ne juſtitia* (ſtudium bonorum operum) *de humano ſe extolleret bono merito*; hoc

eſt, ne quis dicat, ſe meruiſſe vitam æternam, & obſtrinxiſſe Deum, ſuiſque operibus feciſſe, ut Deus ſit obligatus. Quoniam igitur tam manifeſtum eſt, eam eſſe Auguſtini mentem, facilè etiam intelligi licet, ſuperiora verba, *ad promerendum Deum*, non poſſe ita intelligi, *Deum paſſione martyrum obligatum factum ad vitam æternam ipſis dandam*, *& vitam æternam eſſe ſtipendium & mercedem propriè dictam ipſius vitæ æternæ.* Quare alium iſtorum verborum oportet intellectum eſſe, & hunc quidem, *ut facerent quod Deo placeret*, *& gratum eſſet.* Quemadmodum autem illud Auguſtini intelligimus, ita intelligamus quoque verſionem Latini Interpretis. Ut Auguſtinus dixit, Martyres *ſcelere aliorum uſos fuiſſe ad promerendum Deum*, ſive *perpeſſione ſceleris aliorum promeruiſſe Deum*: ita vetus Interpres, *hoſtiis beneficentiæ promereri Deum.* Hoc igitur ſic ut Auguſtini verba explicemus, *hoſtias beneficentiæ offerendo*, *facere quod Deo placeat ac gratum ſit.* Et ampliùs paſſivâ ſignificatione, *Hoſtiis beneficentiæ promeretur Deus*, ſignificabit, *dum hoſtiæ iſtæ offeruntur*, *rem Deo gratam fieri.* Quod igitur nec à fontibus alienum eſt, ut quidam contendunt, nec fidei analogiæ adverſum. Nimirum ipſorum Græcorum verborum, τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς, non alius ſenſus eſt, quàm, *dum hoſtiæ iſtæ præſtantur*, *id Deo placere*, *& gratum eſſe*, *Deum eo delectari.*

Sed de barbaro etiam, quod Latino Interpreti objectatur, nunc diſpiciamus. Primò de phraſi *promereri Deum* dubium alicui eſſe poſſet, an, inquam, iſtud verbum cum *quarto*

caſu

Digitized by Google

caſu perſonæ conſtrui poſſit. Cum *quarto caſu rei* illud conſtrui res nota eſt, dicique *promereri aliquid.* Ceterum cum caſus perſonam ſignificans ei jungitur, is ſolet eſſe ſextus, interveniente præpoſitione. Cicero II. officiorum *Bene promereri de multis.* Atque ita alibi frequenter, Quartus caſus perſonæ non facilè jungitur, ut dicatur, *promereri aliquem.* Statius tamen quinto Sylvarum dicit: *Dextros tua vota marito promeruere Deos.* Cognatum verbum *demereri* contrà, *accuſativo* perpetuò jungitur; & ſignificat *beneficio ſibi aliquem obſtringere.* Exempla: *Qui eſcâ unâ me ſibi demeruerit magis.* Plaut. *Demereri beneficio civitatem.* Liv. Porrò de ſignificatione iſtâ verbi *promereri*, quam in S. Auguſtino & Latino Interprete oſtendimus, ſcrupulus item ſuboriri poſſit: id, inquam, verbum habere modò notionem *faciendi gratum, quodque alicui placeat*; ſeparatâ *notione obligandi*, *obſtringendi* alterum ad aliquid viciſſim faciendum. Denique id graviſſimum videri poſſit, & minimè ferendum, quòd Interpres dixit paſſivè, *Deus promeretur.* Ante omnia nos monemus, non facilè veteribus objiciendum eſſe de barbaro; propterea quòd ſciri non ſemper poteſt, quo conſilio id quod poſitum eſt, poſuerint. Deinde verò obſervare jubemus, fluentibus ſeculis multa in linguis immutari, & quod ad ſignificationem vocum, & quod ad conſtructionem earum cum aliis, & denique quod ad flexionem. Ævo Ciceronis non dicebatur *mereri aliquid* pro *conſequi.* Non magno autem intervallo pòſt, id frequentiſſimum erat, ut is qui *adeptus* quidpiam eſſet,

diceretur eodem intellectu id *meruiſſe*. Exempla jam ſuprà ſunt producta: & congeri multò plura poſſunt. Quid igitur mirum eſt τ' *promereri aliquem* ævo Auguſtini & Latini Interpretis ſignificaſſe non ſolùm hoc quod ævo Ciceronis ſignificare potuit, *facere aliquid quod alteri gratum ſit, quoque is obligetur ad viciſſim aliquid præſtandum*, ſed etiam ſimpliciter, notione obligationis remotâ, *facere quod alteri gratum ſit*. Sanè hæc poſterior ſignificatio non tantum diſcrepat à priori, quantum ſignificatio vocis *mereri*, quam poſterioribus ſeculis habuit, diſcrepat ab iſtâ ſignificatione, quam ſolam habuit ævo Ciceronis. Porrò nec conſtructio cuiquam mira videatur: cum nec apud Statium exemplum deſit iſtius verbi cum quarto caſu conſtructi, nec de cetero ignotum ſit, mediæ ætatis Scriptores in aliis quoque ſic feciſſe. Veteres dicebant, *fœnerare* & *fœnerari alicui*. Apud Tertullianum lib. IV. adverſ. Marc. invenias *fœnerare aliquem*. Suſtinuit & Martialis dicere, *Hæc omnes fœnerat arca Deos*. Porrò de flexione quod objectatur veteri Interpreti, quòd τ' *promeretur* dixit paſſivè, id itidem dicimus objectari immeritò. Sanè ſi exigere id velis ad Tullii dictionem, quâ vulgò uti ferè ſolemus, parùm id ei congruet. Neque tamen propterea Interpreti de barbaro lis eſt movenda. Doctis noſtræ ætatis decretum eſt, ſicubi Latinè ſcribunt aut loquuntur, Ciceronis & eorum qui huic ſunt σύγχρονοι, exprimere dictionem. Si igitur vox *promeretur* iſtâ ſignificatione paſſivâ, quâ in epiſtola ad Hebr. apparet, in cujuſpiam noſtrum deprehenderetur

tur ſcriptis, ea in ſolœcis aut barbaris meritò numeraretur; niſi ſi certo conſilio poſita eſſet, & epiplexin is, qui poſuerit, addiderit. At in vulgatâ verſione eadem vox ſolœca aut barbara minimè eſt. Sanè verſio iſta jam exſtitit in quinto ſeculo, & uſu trita fuit, ut ex allegationibus iſtius ſeculi Patrum licet intelligi. Quique eam confecit, ſacras literas eâ ferè dialecto expreſſit, quæ ipſius ætate obtinuit. Neque id ab ipſo poſtulari potuit, ut Tullii exprimeret dictionem. Quàm multa ſunt in poſteriorum ſeculorum ſcriptoribus, Ælio Lampridio, inquam, Ælio Spartiano, Julio Capitolino, Ammiano Marcellino, & aliis, quæ ævo Ciceronis non ſatis congruunt. Illis tamen ipſis ſcriptoribus de barbaro objectandum non eſt: ſiquidem uſi ſunt iſtis vocibus & phraſibus, quæ ipſorum ævo obtinuerunt. Quemadmodum verò τ' *promeretur* paſſivè dictum eſt, ſic & alia quædam in eundem modum poſita reperimus, & ab ipſo Interprete, & ab aliis. Interpres Eſech. VIII, 24. poſuit: *Omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.* Vox *interpretari*, quæ vulgò tantùm activè ſignificat, S. Hieronymo, S. Auguſtino, aliiſque patribus frequentiſſimè ſignificat paſſivè. Verbum *conſolari* ævo Ciceronis tantùm activè uſurpatum reperimus. S. Hieronymus autem paſſivè quoque uſurpavit in vita S. Hilarionis. *Quo incredibiliter conſolato*, inquit, *tanti Viri præſentiâ.* Ipſa etiam illa deponentia quæ vulgò activè uſurpantur, optimi Latinæ L. Scriptores paſſivè quandoque uſurpant. Vide plurima iſtiuſmodi congeſta à Priſciano lib. VIII.

Sunt

Sunt & multa alia quæ in vulgatâ verſione ſuſpecta eſſe poſſint, vel ſignificationis, vel flexionis, vel alio denique nomine. Si autem rectè recogitaveris, veram antiquitatem ea ſapere animadvertes. Vidimus reprehenſum cuidam illud, quod non ſemel reperitur *minare* pro ante ſe agere, vel agitare; ut Jac. III, 4. *Naves à ventis minentur*. Et I. Sam. III, 20. *Minavit ante faciem ſuam armenta*. Non intellexit is qui reprehendit, genuinam antiquitatem illud ſapere. Notavit Feſtus: *Agaſones, equos agentes, id eſt, minantes*. Item: *Agere, modò ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare*. Vides, Feſtum τὸ *agere* exponere per *minare*, ut per notius quiddam. Sic & apud Interpretem Juvenalis ad Sat. VI. reperire eſt: *Hanc Io in tantum perſecuta eſt Juno, ut per omnem mundum eam minaret*. Hinc egregiè Joh. Meurſius emendavit Arellii Fuſci locum de veterum Romanorum paupertate, qui eſt in lib. II. Controv. I. Senecæ. Is ita habet: *Hoc ſcio noſtros fuiſſe majores, hoc illum Tuberonem, cujus paupertas virtus fuit; hoc Fabricium, Samnitium non accipientem munera; hoc cæteros patres noſtros, quos apud aratra ipſa, mirantes decora ſua, circumſtetere lictores*. Sed Meurſius feliciter reſtituit, *minantes pecora ſua*, hoc eſt, agentes. Nimirum hoc loco iſti, ubi de aratro & agriculturâ agitur, apprimè congruit. Frequens eſt apud Scriptores quarti & ſeqq. ſeculorum ponere *vel* pro *&*. Exemplum eſt in lib. I. hiſt. Eccl. Ruffini c. VI, ubi is Canones Concilii Nic. recenſet: *Ut apud Alexandrum & in urbe Româ vetuſta conſuetudo*

ſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum eccleſiarum ſolicitudinem gerat. In his *vel* manifeſtè bis eſt poſitum pro *&*. Sic igitur & Latinus Interpres tum alibi, tum Lev. XVII, 16. *Quod ſi non laverit veſtimenta ſua, vel* (&) *corpus, portabit iniquitatem ſuam.* Quibuſdam in Latinâ verſione non placet τ' *abbreviare* pro *abſcindere*, *præſcindere*. Viſitur illa vox Eſ. X, 22. in his: *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam.* Et Dan. IX. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt.* Sed habet eodem modo Tertullianus in lib. adv. Judæos, ubi eadem verba allegat: *LXX hebdomades breviatæ ſunt ſuper plebem tuam.* Hinc igitur vox *abbreviatura*, quâ vulgò utimur pro voce cujus quædam pars eſt recifa, vel omiſſa: qualia Rabbini vocant ראשי תיבות *capita dictionum.* In Pſ. CX. Interpres vocem *principium* poſuit pro *principatu, dominio*, ut vocem ἀρχὴ, quæ in verſione Græca eſt, exprimeret. Eadem ſignificatione vox reperitur apud Tertullianum, Sulp. Severum, & alios. Tertullianus in lib. adv. Hermog. c. 19. ita: *Nam & in Græco principii vocabulum, quod eſt* ἀρχὴ, *non tantùm ordinativum, ſed & poteſtativum capit principatum. Unde &* ἄρχοντες *dicunt principes & magiſtratus. Ergo ſecundum hanc quoque ſignificationem principium pro principatu & poteſtate ſumetur.* Sulpitius lib. I. *Et majorem minori ſubdendum eſſe principio.* Veteres Gloſſæ diſtinctè etiam habent: ἀρχὴ, τ' προοίμιον, *exordium:* & ἀρχὴ, *imperium, præſidatus, principium.* Hinc & Lipſius judicavit rectè ſe habere lectionem loci cujuſdam Suetonii, quam

vetus codex habet: *Auguſti principium clade Varianâ; Tiberii ruinâ ſpectaculorum memorabile factum.* Vocem *fœnerare* poſuit Interpres pro *mutuo dare*, ita ut uſuras non requiras. Luc. VI, 34. *Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.* Unum idemque verbum δανείζειν expreſſit Interpres per *mutuum dare*, & per *fœnerari.* Tertullianus lib. IV. adv. Marc. c. XVII. ubi Interpres habet, *ſi mutuum dederitis*, ita habet verſum: *Si fœneraveritis, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia vobis?* Dixit igitur Tertullianus quoque *fœnerari* pro *mutuò dare.* Sed adſcribam ex dicto loco pluſcula, ut id meliùs intelligi queat: *Hic nunc de fœnore cum interponit*, Et ſi fœneraveritis, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia eſt vobis? *percurre ſequentia Ezechielis de eodem viro juſto. Pecuniam ſuam, inquit, fœnori non dedit, & quod abundaverit, non ſumet: fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura. Prius igitur fuit, ut fructum fœnoris eradicaret, quò faciliùs aſſuefaceret hominem ipſi quoque fœnori, ſi fortè, perdendo, cujus fructum didiciſſet amittere. Hanc etenim dicimus operam legis fuiſſe procurantis Evangelio. Quorundam hinc fidem paulatim ad perfectum diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc dignitatis informabat.* Verborum intellectus hic eſt; in V. T. præceptum fuiſſe de non accipiendo quicquam ultra ſortem, ſed ſimplex mutuum licuiſſe repoſcere; Chriſtum autem in N. T. docuiſſe, ipſam quo-

quoque ſortem, ſi ita opus ſit, æquo animo amittere. Fœnus appellat ipſam ſortem mutuò datam, ſive ipſum mutuum: uſuram verò, fœnoris, hoc eſt, ſortis fructum, redundantiam. Quemadmodum autem *fœnus* dixit pro *ſorte mutuò* datâ, ita & *fœnerari* pro *mutuò dare, ita ut uſuras non requiras*, in verſione illâ verborum Lucæ. Neque aliter, ut dicebam, Latinus Interpres. Licet plura iſtiuſmodi congerere, quibus ſuadeamus, ut paulò mitiùs ſentiatur de vulgatâ verſione: ſed ea quæ attulimus, credo, ſufficere poſſunt.

C A P. VIII.

De Hebræorum enunciationibus univerſalibus negativis. In his negativam particulam non univerſali ſigno addi, ut vulgò tradunt, ſed prædicato: ſubjectum autem univerſale fieri per univerſale ſignum. Sic ſubjectum univerſale modò priore, modò poſteriore loco poni. Græci & Latini quomodò univerſales negativas forment. Diſcrepare eos ab Hebræis. Quid Græci & Latini ad univerſales negativas ſubaudiant. Particulares negativas quomodo forment iidem. Græcos Interpretes V. T. imitari modum Hebræorum univerſales negativas faciendi: ut & Scriptores N. T. Diſcrepantia inter Græcorum particulares negativas, & Hebræorum negativas univerſales. S. Hieronymus reprehenſus, quòd eam non ſatis obſervarit. Univerſalis quædam negativa apud Hebræos obſervata,

quæ

quæ particularibus negativis Græcorum quod ad externam orationem ſimilis eſt. Aliæ univerſalium negativarum apud Hebræos formæ: ut cum negatur exiſtentia unius, qui ſit, faciat, a. patiatur quippiam. Quomodo tum ſubjectum enunciationis ſe habere ſoleat. Alia forma: unus non agit a. patitur. *Quomodo id diſcrepet à proximo ſuperiore. Simile apud Latinos oſtenſum. Alia forma:* non remanſit ad unum. *Quam & Paulus in Græco expreſſit Rom. III. S. Auguſtinum verba Pauli minùs concinnè interpretatum eſſe. Alia forma:* Vir non deſideratur. *Verba Eſaiæ, in quibus iſta forma Latinè expreſſa. Ea ineptè allegari à Pontificiis. Similis forma apud Syros oſtenſa. Forma:* non difficilis Deo eſt res. *De voce* מאומה *in univerſalibus negativis. Forma mixta,* כל מאומה. *Simile apud Chaldæos. Item apud Syros.*

DE Hebræorum enunciationibus univerſalibus negativis animadvertimus vulgò diſſeri non ſatis diſtinctè: imò nec ſatis rectè ſentiri. Dicunt quidem, *ſi particula negativa* לא *univerſali ſigno* כל *addatur (adnectatur) non ſic ut in Græcâ & Latinâ Linguâ fit, fieri particularem negativam enunciationem, ſed fieri negativam univerſalem: ut ita* non omnis (לא כל) *idem ſit, quod* nullus. Vide Buxtorfium lib. II. Synt. c. XIX. Glaſſ. Gr. S. tr. V. can. XIX. Hackſpan. de locut. ſacr. diſp. I. & alios. Horum

rum igitur id incommodum eſt, quod dicunt, *particulam* לא *univerſali ſigno* כל *addi.* Non debebat ita. Enimvero in univerſalibus negativis enunciationibus לא non additur ſive præponitur ſigno, ſed additur copulæ, quæ vel expreſſè poſita eſt, vel verbo incluſa. Producam manifeſtiſſimum ejus rei exemplum. Exod. XII. v. 43. legimus : כל בֶּן נֵכָר לא יֹאכַל בו *omnis filius alienigena non comedet de eo* (agno paſchali.) Vides hîc particulam לא non eſſe additam τῷ כל ſed ipſi verbo יאכל comedet. Ita igitur faciunt Hebræi, cum enunciationes *univerſales negativas* formare inſtituunt : Ipſum ſubjectum faciunt univerſale per univerſale ſignum כל, hoc modo, כל בן נכר *omnis filius alienigena:* deinde à ſubjecto univerſali removent prædicatum, hoc modo, לא יאכל בו *non comedet de eo.* Ita, inquam, illud fit, quemadmodum Latini formant *negativas particulares :* primò ſubjectum faciunt particulare per particulare ſignum *quidam :* deinde à ſubjecto particulari removent prædicatum per particulam *non*, copulæ, non interveniente alio, præpoſitam. Dicunt quidem, *Quidam homo-non eſt doctus.*

In exemplo enunciationis univerſalis negativæ, quam ex Hebræis produximus, τὸ כל enunciationis prima vox eſt : לא autem ſequi-

tur, & prædicato demum præmittitur. In aliis quibuſdam vocula לא initio poſita eſt; τὸ כל deinde ſequitur: & tamen univerſalis negativa fit. Non autem ſic fit, ut Latini formant paticulares negativas, e. g. *non omnis homo eſt dives*; ubi *non* itidem prima vox eſt. Eſt ſanè τὸ לא quandoque prima vox in enunciationibus univerſalibus negativis, ſed ita ut ipſum prædicatum quoque antecedat ſubjectum; quemadmodum & in aliis linguis fieri amat. Exemplo ſit hoc ex Pſ. CXLIII, 2. לא תצדק לפניך כל חי *non juſtificabitur coram te omne vivens*. Vides hîc voculam לא initio quidem poſitam, atque adeò præcedere ipſum quoque τὸ כל. Non tamen dicendum eſt τὸ לא additum eſſe τῷ כל, ſed verò, illud immediatè prædicato, vel potiùs copulæ, quæ prædicato comprehenditur, eſſe præmiſſum. Non dicitur, inquam, לא כל חי תצדק לפניך *non omne vivens-juſtificabitur coram te*; ſed, לא תצדק לפניך כל חי *Non juſtificabitur coram te-omne vivens*. Si autem ſubjectum ponere velis priore loco, ut in ſuperiore exemplo factum vidimus, dicendum eſt, כל חי לא תצדק לפניך *omne vivens-non juſtificabitur coram te*. Atque ita ſæpiſſime fit, ut τὸ לא, ſed ipſi prædicato junctum, præcedat:

τὸ כל verò cum ipſo ſubjecto ſequatur. Superiori, ubi τὸ כל cum ſubjecto præcedebat, geminum eſt in Chaldæis Dan. IV, 6. כל רז לא אנס לך *omne arcanum-non* (eſt) *premens te, negotium faceſſens* (difficile, impoſſibile tibi.) Qui ordo, ut facilè intelligitur, prorſus naturalis eſt. Tranſpoſitio itidem fit in hoc II. Sam. XII, 3. ולרש אין כל *& pauperi non* (erat) *omne*. Subjectum univerſale eſt *Omne*: & quidem poſteriore loco poſitum. Si ordinem immutes, hæc erit enunciationis facies, *Omne* (omnis res)*-non (erat) ei*, (non poſſidebatur ab eo.) Aliud exemplum tranſpoſitæ voculæ כל habemus in Eccl. I, 9. ubi quippe hæc ſunt: אין כל חדש תחת השמש *non* (eſt) *omne novum ſub ſole*, hoc eſt, nihil novi eſt ſub ſole. Subjectum enunciationis eſt כל חדש *omne novum*, univerſale factum per univerſale ſignum. Sed illud nec primum locum occupat, nec planè poſtremum ut in ſuperioribus; ſed inter voculam negativam & prædicatum eſt poſitum. Prædicatum autem eſt, *exiſtens ſub ſole*: cujus quidem principalis pars in copulâ, quæ & ipſa abeſt, ſubaudienda eſt. Ergo ſi omnia diſertè, & loco naturali, ponere velis, hæc erit enunciationis facies, *Omne novum-non eſt exiſtens ſub cœlo*. Negatur ita de omni novo, illud ſub cœlo exiſtere.

Ut res clariùs adhuc intelligatur, conferamus univerſales negativas aliarum linguarum.

Digitized by Google

Quod paulò ante productum eſt כל בן נכר לא יאכל בו , id Græci non ſimiliter exprimunt κατὰ πόδα, πᾶς ἀλλογενὴς οὐκ ἔδεται ἀπ' αὐτοῦ (quomodo ſanè Græci Interpretes verterunt, ut ita Hebrææ L. genium, uti aliàs, ſequerentur:) ſed verò ita, μηδεὶς ἀλλογενὴς ἔδεται ἀπ' αὐτοῦ. Neque Latini exprimenc ſic, *Omnis alienigena non comedet de eo*; ſed verò, *Nullus alienigena comedet de eo*. Non faciunt, inquam, Græci & Latini iſto modo ſubjectum univerſale, ut à ſubjecto univerſali removeant prædicatum, præmiſſâ huic immediatè particulâ *Non*, quemadmodum particulares negativæ ab ipſis formantur: ſed particulam *Non* initio ponunt, & enunciationis primam voculam faciunt. Sed dices, annon μηδεὶς, & *nullus* ſunt ſigna univerſalia? & annon Græci & Latini, cum iſtas voculas initio enunciationum univerſalium negativarum ponunt, ſigna univerſalia ſubjectis addunt? Nego tibi hoc planiſſimè. Rem igitur ſic cape: *Græci & Latini, cum univerſales negativas enunciationes faciunt, ſubjectum enunciationis faciunt particulare, & huic deinde præmittunt negativas voculas* οὐδὲ, μηδὲ, *non, ne quidem*: quæ tamen negativæ voculæ cum ſigno particulari in unam vocem coaleſcunt. Cum igitur de omni alienigenâ negare volunt, ipſum comedere poſſe, Græci quidem dicunt, μηδεὶς ἔδεται: Latini verò, *Nullus comedet*. Reſolvamus voculas μηδεὶς, *nullus*. Illud compoſitum eſt ex μηδὲ *neque*, & εἷς *unus*: hoc verò ex *non* & *ullus*. Appareant jam igitur partes vocularum reſolutæ, μηδὲ εἷς ἔδεται.

Non

Non ullus comedet. Removeamus nunc tantiſper voculas μηδὲ, *non.* Remanent ergo hæ particulares enunciationes, εἷς ἔδεται, *ullus, unus comedet, quidam aliquis comedet.* Si iſtis particularibus nunc rurſus præfigas negativas voculas μηδὲ, *non*; habebis univerſales negativas enunciationes, μηδὲ εἷς ἔδεται, *non ullus comedet*, & duabus prioribus voculis coaleſcentibus, μηδεὶς ἔδεται, *nullus comedet.* Apparet, credo, ſatis manifeſtè differentia iſta quæ eſt inter Hebræas enunciationes negativas, & inter Græcas ac Latinas. Hebræi primò ſubjectum faciunt univerſale, ut hoc omnia comprehendat de quibus ipſum dici poteſt, & deinde ab univerſali ſubjecto removent prædicatum per particulam *non*, ipſi prædicato, non interveniente alio, præmiſſam, hoc modo כל בן נכר לא יאכל בו, vel Latinis verbis κατὰ πόδα, *omnis filius alienigena non comedet de eo.* Græci & Latini autem primò ſubjectum faciunt particulare, atque adeò integram particularem enunciationem: deinde voculas negativas præmittunt toti enunciationi. Et vocula negativa igitur totam afficit enunciationem, cui toti eſt præmiſſa. Exemplum ſuperius: μηδὲ εἷς ἔδεται, *non-ullus comedet*: & deinde vocula negativâ cum ſigno particulari in unam vocem coaleſcente, μηδεὶς ἔδεται, *nullus comedet. Non ullus comedet* idem eſt, ac ſi diceres, *Falſum eſt, ullum (unum aliquem) poſſe comedere.* Subauditur autem in talibus: *Tantùm abeſt, ut plures comedere poſſint, ſive multò minùs comedere poſſunt plures.* Iſte

igi-

igitur modus faciendi univerſales negativas obſervatur vulgò à Græcis ac Latinis. Optimam formam Hebræorum, quâ primò ſubjectum fit univerſale, & deinde prædicatum per particulam negativam *non* à ſubjecto univerſali removetur, ab iiſdem Græcis ac Latinis negligitur ferè; niſi quòd Latinè dicitur, *Quicunque eſt alienigena non comedet de eo*: cui Græci ſimile quid habent. Sed ne ſic quidem enunciatio Latina omni modo congruit cum Hebræâ. Non enim Latinè dicitur, *Quicunque alienigena non comedet*; quemadmodum Hebraicè כל בן נכר וגו'; ſed, *quicunque eſt alienigena*. Neceſſe eſt in Latino τὸ *eſt* intercedere: nec τὸ *quicunque* principi parti ſubjecti *alienigena* immediatè præmitti poteſt, quemadmodum in Hebræo poteſt τὸ כל. Ceterum particulares negativas Græci & Latini formant dupliciter; primò ſic ut univerſales negationes iidem formant: deinde ſic quoque, ut univerſales negativas formant Hebræi. Uno quidem modo ſubjectum faciunt particulare per particulare ſignum, dicuntque ἄνθρωπός τις, *quidam homo*: deinde à ſubjecto particulari per particulam negativam removent prædicatum, οὐκ ἔστι λευκὸς *non eſt albus*. Atque hoc congruit ad iſtum modum, quo Hebræi formant ſuas negativas univerſales: eſtque is modus optimus, & ordo maximè naturalis. Dein Græci ac Latini particulares negativas ſic formant, ut negativas univerſales ab ipſis formari paulò antè diximus. Primò enunciationem faciunt

uni-

univerſalem affirmativam hoc modo, πᾶς ἄνθρωπος λευκός, *omnis homo albus eſt*. Toti iſti univerſali affirmativæ enunciationi præmittunt deinde voculas negativas, οὐ, οὐκ, *non*, hoc modo, οὐ-πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς, *non-omnis homo albus eſt*, qſ. d. *falſum eſt, omnem hominem eſſe album.*

Ut Hebræi formant univerſales negativas, ita etiam Græci Interpretes V. T. atque item Scriptores N. T. formarunt eaſdem enunciationes; non quòd genium Græcæ L. ita ferre putarent, ſed ut Hebræa verba κατὰ πόδα interpretarentur, vel quòd ſic liberet genium Hebrææ linguæ quæ ipſis vernacula erat, exprimere in Græcâ linguâ. Hebræa verba, quæ ſuprâ ex Exod. XII. produximus, Græci verterunt, πᾶς ἀλλογενὴς-οὐκ ἔδεται ἀπ' αὐτοῦ. Sic cum S. Paulus exprimere vellet altera verba Hebræa, quæ itidem citavimus, ſcripſit in Gal. II, 16. οὐ δικαιωθήσεται ἐξ ἔργων νόμου-πᾶσα σάρξ. S. Lucas cum exprimere vellet Hebræam orationem Angeli ad Mariam, vertit ita in cap. I. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τοῦ θεοῦ-πᾶν ῥῆμα. Quibus Græcis gemina habentur in Jer. XXXII, 16. לא יפלא ממך כל דבר *non difficilis (impoſſibilis) tibi erit omnis res*. Particula negativa in iſtis S. Pauli & Lucæ verbis adhæret prædicato, cumque eó priorem locum occupat: ſuccedit deinde ſubjectum cum ſuo univerſali ſigno. In aliis obſerves ſitum naturalem, ſubjecti priore, prædicati poſteriore loco. Exemplum Eph. V, 5. πᾶς πόρνος, ἢ ἀκάθαρτος, ἢ πλεονέκτης οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ

Χριστῦ. Aliud Act. XI, 8. *πᾶν κοινὸν ὐδέποτε εἰσῆλθεν εἰς τὸ στόμα μῦ.*

Satis, credo, manifeſta eſt iſta doctrina, quam de enunciationibus univerſalibus negativis Hebræorum expoſuimus; primò nimirum ſubjectum fieri univerſale per univerſale ſignum כל: deinde ab iſto univerſali ſubjecto removeri prædicatum per negativam particulam לא prædicato, vel potiùs copulæ, quæ prædicato comprehenditur, immediatè præmiſſam. Oſtendimus etiam ſubjectum cum ſuo univerſali ſigno quandoque poni poſteriore loco: prædicatum verò cum ſuâ negativâ particulâ לא priore loco. Recolamus exemplum: כל חי לא תצדק לפניך *omne vivens-non juſtificabitur coram te.* Et deinde factâ tranſpoſitione: לא תצדק לפניך כל חי *non juſtificabitur coram te-omne vivens.* Sic facilè apparet, quomodo iſtæ univerſales negativæ enunciationes Hebræorum diſcrepent à particularibus negativis Græcorum & Latinorum. Formant hi particulares negativas hoc pacto, *ἄνθρωπός τις ὐ δικαιωθήσεται ἐνώπιον θεῦ, quidam homo-non juſtificabitur coram Deo.* Sic ſubjectum particulare eſt: & à tali ſubjecto removetur prædicatum per negativam particulam, prædicato, atque adeò copulæ quoque præmiſſam. Deinde formant negativas particulares ſic: *ὐ-πᾶς ἄνθρωπος δικαιωθήσεται ἐνώπιον θεῦ, non-omnis homo juſtificabitur coram Deo.* Si enunciationes iſtas conſideres ſine negativâ particulâ, ſunt eæ univerſales

ſales affirmativæ. Cum verò οὐ *non* præmittitur, ejus hæc vis eſt, ut intelligamus *falſum eſſe, omnem juſtificari coram Deo.* Quod cum intelleximus, intelligi licet ampliùs, *aliquem hominem non juſtificari;* quæ enunciatio eſt ipſa prior illa. Apparet igitur, cum Græci & Latini particulares negativas faciunt poſteriori formâ, quæ priori æquipollet, negativam particulam οὐ *non*, præmitti toti enunciationi. In Hebræorum autem univerſalibus negativis haud paulò aliter fit. Cum dico, לא תצדק לפניך כל חי *non juſt. coram te omne vivens*, ponitur quidem vocula לא initio enunciationis, & hujus prima vox eſt, quemadmodum vocula οὐ prima eſt in hac enunciatione, οὐ πᾶς δικαιωθήσεται ἐνώπιον θεοῦ: atque in eo conveniunt iſta Hebræorum univerſalis negativa, & hæc Græcorum negativa particularis. In eo v. diſcrepant (ne quis putet Hebræos ſic formare univerſales negativas, ut Græci negativas particulares) quòd in Hebræorum negativâ univerſali, particula לא mox ſibi junctum habet prædicatum, atque adeò hoc ipſum ſeorſim afficit: in Græcorum verò negativâ particulari vocula οὐ mox ſibi junctum habet non prædicatum, ſed ipſum ſignum univerſi ſubjecti, atque igitur totam afficit enunciationem, Græca particularis non ſic habebat οὐ δικαιωθήσεται - πᾶς ἄνθρωπος, quemadmodum Hebræa לא תצדק לפניך־כל חי; ſed ita, οὐ πᾶς ἄνθρωπος δικαιωθήσεται. Quâ igitur enunciatione hoc dicitur,

falſum eſſe, omnem hominem juſtificari. Atque ita ſatis apparet diſcrepantia enunciationis univerſalis negativæ Hebræorum, & particularis negativæ Græcorum. Quam diſcrepantiam cum non ſatis conſideraret S. Hieronymus, is in Comment. Eph. I. verba Pſ. CXLIII, *non juſtificabitur coram te omne vivens*, ad Latinæ Linguæ genium ita exponit, *non juſtificabuntur omnes, juſtificabuntur tamen aliqui.*

Sed annon credere licet, Hebræos etiam ſic formare poſſe univerſales negativas, ut Græci negativas particulares, hoc eſt, ut לא prima vox ſit, & mox ſibi junctum habeat, non prædicatum enunciationis, ut in ſuperioribus, ſed ipſum ſubjectum, dicaturque ſic לא־כל חי תצדק לפניך *non-omne vivens juſtificabitur coram te?* Obſervavimus ſanè alicubi univerſalem negativam ſic formatam eſſe. Circumfertur illud R. Hillelis: לֹא כל מַרְבֶּה בִסְחוֹרָה מַשְׂכִּיל: *non omnis qui multùm ultro citroque oberrat, fit ſapiens.* Hujus autem intellectus ſine dubio hic eſt, *Nullus qui multùm oberrat, fit ſapiens:* eſtque univerſalis negativa. Vides autem, particulam לא initio poſitam: nec tamen prædicatum ſibi mox junctum habere, ut in ſuperioribus, ſed ipſum ſubjectum, quemadmodum in Græcorum negativâ particulari fiebat. Attende, tu lector, an alia hujuſmodi reperire poſſis. Nos verò de talibus ſic habendum putamus: quamvis לא initio poſitum ſit, & mox

mox ſibi additum habeat ſubjectum, pertinere tamen illud ad prædicatum, quemadmodum & in ſuperioribus ad hoc ipſum pertinebat.

Videamus & alias enunciationum univerſalium negativarum formas, quas Hebræi habent. Fit etiam univerſalis negativa apud Hebræos, *ſi negetur exiſtentia unius cujuſdam, qui ſit, vel faciat aliquid.* Ut res clarè intelligatur, repetamus ſuperiorem enunciationem univerſam negativam, *Omnis homo non juſtificabitur coram Deo.* Sic nimirum κατὰ πόδα vertenda ea eſt. Iſti autem æquipollens eſt hæc enunciatio, ex Hebræo expreſſa, *Non eſt* (exſiſtit) *homo* (aliquis) *qui coram Deo juſtificetur.* Item hæc, quæ ſubjectum priore loco habet, *Homo* (aliquis, unus) *qui juſtificetur coram Deo, non eſt ſive exſiſtit.* Nunc ponam ipſam enunciationem Hebraicè, אֵין אָדָם אֲשֶׁר יִצְדַּק לִפְנֵי יְהֹוָה.

Vides hîc אדם ſeorſim poſitum ſignificare *aliquem ſive quendam hominem:* vel potiùs ſignum aliquod particulare, nimirum τὸ אחר, ſubaudiendum eſſe. Deinde animadvertis, non apparere in Hebræo verbum quoddam, quod copulet, & exſiſtentiam ſimul ſignificet, quemadmodum in Latino apparet τὸ *eſt.* Sic igitur, ut dixi, Hebræi enunciationem univerſalem negativam formant, ut *negent exſiſtentiam alicujus, qui ſit, faciat, patiatur quippiam.* Aliquis homo, inquiunt, qui coram Deo juſtificetur, non exſiſtit. Sic eorum mos eſt. Sed fortaſſe non accredes, niſi exempla proferamus, nam id quod propoſuimus, intelligitur à nobis ipſis formatum eſſe. Produco igitur om-

omnium primò illud ex I. Reg. VIII, 46. אֵין אָדָם אֲשֶׁר לֹא יֶחֱטָא *non* (eſt, exſiſtit) *homo* (aliquis) *qui non peccet*, ſive *aliquis homo qui non peccet non eſt ſive exſiſtit*. Compone nunc cum ſuperiori: & geminum deprehendes. Vides, verbum quod copulet, & exſiſtentiam ſimul ſignificet, omiſſum eſſe. An autem Hebræi verbum habent, quod ſubaudiant? Habent utique, & non unum modò, ſed duo, nimirum הָיָה & יֵשׁ. Horum igitur alterutrum ſubaudire licet. Porrò vox אדם ſignificat *aliquem hominem*, perſonam, inquam, & ſignum particulare, quod in Latino & Græco diſertè addi ſolet: vel ſignum aliquod particulare ſubaudiendum eſt.

Addam nunc plura exempla enunciationum, quæ proximæ ſuperiori ſimiles ſint, quibuſque itidem *negetur exſiſtentia cujuſdam qui aliquid faciat*, *patiatur*, *habeat*: ſed levem tamen animadvertes diſcrepantiam. I. Sam. XXVI, 12. hæc repertes: אֵין רֹאֶה וְאֵין יוֹדֵעַ *non* (eſt, exſiſtit) *videns* (aliquis, ullus) *&* *non* (eſt ſive exſiſtit) *ſciens* (aliquis, ullus.) Vides hic, τὸ אין initio poſitum, ut in ſuperioribus. Deinde verbum, quod copulet & exſiſtentiam ſimul ſignificet, omiſſum eſt. Porrò ſubjectum enunciationis eſt participium, *quod ſignum particulare ſimul ſignificat*. Τὸ אדם autem, quod in ſuperioribus erat, hic non apparet: quia nimirum alia vox adeſt, quæ ejus vim præſtare poteſt, participium puta. Si prorſus ſimile velis facere ſuperiori, exprimere licet ſic,

אין

אין אדם אשר יראה *non* (eſt) *homo qui videt.* Sed ipſi אין רואה, prorſus geminum eſt in Pſ. XIV, 4. אין עושה טוב *non* (eſt) *faciens bonum.*

Fiunt item iſtiuſmodi enunciationes, ita ut, ſubjectum non habeat vocem אדם, vel participium, ſed aliud quoddam nomen: quod & ipſum ſigni particularis vim ſimul obtineat. Exemplum Jer. XXXVIII, 5. אֵין הַמֶּלֶךְ יוּכַל אֶתְכֶם דָּבָר *non* (eſt) *Rex* (aliquis, qui) *poſſit contra vos quicquam.* Subjectum enunciationis eſt, *Rex aliquis qui adverſus vos quicquam poſſit.* Et talem exſiſtere negatur. Tò אשר *qui*, ante vocem יוכל ſubaudiendum eſt. Quod ex eo apparet, quod præcedens vox accentu diſtinctivo notata eſt. Afferam ſimiles enunciationes, in quibus ſubjectum eſt res inanimata. I. Sam. XXI. dicitur, אין לחם חל תחת ידי *non* (eſt) *panis* (aliquis) *profanus ſub manu meâ.* Aliud Jer. VIII, 13. אין ענבים בגפן *non* (ſunt) *uvæ* (aliquæ) *in vite.* Aliud Prov. XXI, 30. אין חכמה ואין תבונה *non* (eſt) *ſapientia* (quædam, ulla:) *non* (eſt) *intelligentia* (quædam) *contra Dominum.*

Quandoque in talibus ſubjecto additur אחד *unus.* Exemplum habes Dan. X, 21. אין אחד מתחזק עמי על אלה *non* (eſt ſive exſiſtit) *unus qui ſe confirmet mecum contra hos.* Ubi tum

tum ex eo quòd negatur unum exſiſtere, non intelligendum eſt, exſiſtere plures; ſed intelligendum, ſi unus non exſiſtit, multò minùs plures. Latini id ita exprimunt, *Ne unus quidem exſiſtit*, *non exſiſtit ullus*: & intelligendum item relinquunt, *multò minùs plures exſiſtere*. Quandoque τὸ אחד omittunt initio, ſic ut nihilominus univerſalis negatio intelligi poſſit: poſtea tamen addunt, prædicto Latino perquam ſimiliter. Exemplum eſt Pſ. XIV. 4: אין עשה טוב *non* (exſiſtit) *faciens bonum*. Atque hoc per ſe univerſalis negationis vim habet. Mox tamen majoris emphaſeos gratiâ additur אין גם אחד *non etiam* (eſt) *unus*.

In proximis ſuperioribus produximus talia, in quibus *negatur exiſtentia unius cujuſdam*, *qui aliquid faciat*, *patiatur*, *habeat*. Ex quo intelligi datur, nullum facere, pati, habere: vel ut Hebræo idiotiſmo utar, *omnem hominem - non facere*, *pati*, *habere aliquid*. Nunc quædam producam, quæ iſtis quadantenus ſimilia ſunt, non omnimodis. In Pſ. XXXIV. 21. dicitur: *Cuſtodit omnia oſſa ejus* אחת מהנה לא נשברה *unum ex illis - non confringetur*, hoc eſt, nullum confringetur, vel ut Hebræi aliàs, *omne os - non confringetur*. Vides hîc ſubjectum particulare *unum ex oſſibus*: à quo removetur prædicatum *confringi*. Quod non ſic eſt intelligendum, *unum non confractum iri*, *confractum autem iri cætera*; ut intellexerunt inepti quidam, & de oſſe quodam *Luz* mira confinxerunt. Eſt verò ſic intelligendum, ut Latini intelligerent hæc, *Ne unum quidem confringetur*, *non confrin-*

getur

getur ullum. Et Græci, μηδὲν (μηδὲ ἓν) κατακλα-σθήσεται. Nimirum qui ſic pronunciant, illico ita colligunt, *ſi ne unum quidem confringetur, multò minùs plura.* Eſt levis diſcrepantia inter Hebræum iſtum & Latinum modum loquendi. Latini dicunt, *ne unum quidem confringetur, non ullum, nullum confringetur:* ponuntque ſic negativam particulam ante vocem *unum.* Sic & Græci, οὐδὲν (οὐδὲ ἓν) κατακλασθήσεται. Hebræi ſubjectum præmittunt, & voculam *non* præponunt immediatè prædicato, hoc pacto, *Unum os-non confringetur.* Congruet Hebræo, ſi Latinè dicas, *non confringetur-ullum.* Nimirum & hîc vocula *non* immediatè præfigitur prædicato. In eo tamen diſcrepat, quòd τῷ *ullum* non poteſt primum locum obtinere, ſed neceſſe eſt id eſſe poſtremum. Sed & à proximis ſuperioribus Hebræis hæc leviter diſcrepant. Quod intelliges, ſi compoſueris has duas enunciationes, *Unum ex oſſibus-non confringetur*, *Non eſt inter oſſa-unum quod confringatur*, ſive *Unum quod confringatur-non eſt ſive exſiſtit inter oſſa.* In priore τὸ *confringitur* prædicatum eſt: in poſteriore eſt ſubjectum. Congeramus plura Hebræa. Eſ. XXXIV. 16. reperimus proximo ſuperiori prorſus geminum: *Requirite in libro Domini, & legite,* אחת מהנה לא נעדרה *unum ex his-non deſideratur.* Et Pſ. CVI. 11. אחד מהם לא נותר *unus ex illis-non remanſit.* Ponitur etiam τὸ אחד poſteriori loco, ut in proximo ſup. Latino, *ullum.* Exemplum Exod. VIII. 31. לא נשאר אחד *non remanſit-unum, ullum* ſc. genus ferarum. Sic quoque ampliùs additur vocula

vocula עַד, *uſque ad:* ut Exod. XIV. 28. לא נשאר בהם עד אחד *non remanſit ex eis ad unum*. Quibus verbis idem ſenſus exprimitur, qui verbis Pſ. CVI. 11. quæ jam produximus. Atque hoc poſtremum imitatus eſt S. Paulus in Græcâ oratione. Cum enim verba Pſ. XIV & LIII. *Non* (eſt) *qui faciat bonum, non etiam unus*, exprimenda eſſent: expreſſit in Rom. III. 12 ſic, οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. De quibus S. Auguſtinus, utpote Hebrææ L. haud peritus, parum concinnè philoſophatur in Comment. in Pſ. CXIV: *Uſque ad unum vel cum ipſo uno poteſt intelligi, ut nullus hominum intelligatur; vel præter unum, ut excipiatur Dominus Chriſtus. Sicut dicitur, iſte ager uſque ad mare eſt, non utique ſimul computamus & mare. Et iſte eſt melior intellectus, ut nemo intelligatur feciſſe bonum, uſque ad Chriſtum; quia non poteſt quisquam hominum facere bonitatem, niſi ipſe monſtraverit.* Intellectus iſte ſatis utique pius eſt, & cæteræ S. Scripturæ bene congruit. Non tamen in Rom. III. is locum habet. Ita ſæpe fit, ut interpretatio fidei ſatis ſit analoga: non tamen recta ſit, quòd verbis ipſis non conveniat. Ceterum illâ ῥητὸν, *Non remanſit ex eis uſque ad unum*, Hebræis eleganter exprimitur illud, quod Latini dicunt, *ne unus quidem remanſit:* tantum abeſt, ut plures remanſerint. Item, *non remanſit ullus, non remanſit quiſquam.* Germani dicunt, *nicht ein einziger, nicht einmal einer.*

Monendum adhuc eſt de quadam formâ, quæ à proximis leviter modo diſcrepat. Eſ. XLI dici-

dicitur, איש לא נעדר *vir - non deſideratus eſt.* Similiter I Sam. XXI. 1. ואיש אין אתך & *vir - non* (eſt) *tecum.* Quod ſuprà dicebatur, *unus - non deſideratur*; ſubaudito, *tantum abeſt, ut plures*: id hîc dicitur, *vir non deſideratur.* Iſtud igitur ſubſtantivum quod ſubjectum eſt in iſtâ enunciatione, particulariter eſt intelligendum hoc modo, *Vir unus - non deſideratur;* quemadmodum in ſuperioribus vox אדם apparebat, in hoc dicto, אין אדם אשר לא יחטא *non* (eſt) *homo* (aliquis, unus) *qui non peccet.* Aliud exemplum: ואיש לא יֵדָע *& vir* (unus) *non ſciet*, Jer. XL. 15. Ceterum in iſtis איש &c. prima vox eſt: negativæ autem particulæ, לא, אין, ſequuntur. Eſt etiam, ubi particula negativa præcedit, & איש ſequitur. Exemplum Joſ. I. 5. לא יתיצב איש לפניך *non conſiſtet vir* (ullus) *adverſus te.* Aliud Eſ. LVII. 1. אין איש שם על לב *non vir* (unus, ullus) *poſuit ſuper cor, kein einziger Menſch nimpt es zu herzen.* Et c. LXIII. 2. *Ego ſolus calcavi torcular*, ואין איש אתי *& non vir* (unus, ullus) *mecum* (eſt.) Vulgatus Hebraiſmum illum planè expreſſit, vertitque, *De gentibus non eſt vir mecum.* Ex quo quidam ineptè crediderunt ſe colligere poſſe, *Mulierem quandam Chriſti fuiſſe ſociam*, atque igitur ſic diſſeruerunt in Mariali ſuo: *Verum eſt, Domine, quòd non fuit Vir tecum: ſed Mulier unà tecum eſt, quæ omnia vulnera, quæ tu ſuſcepiſti in corpore, ſuſcepit in cor-*

de. De proximis duobus poſterioribus monemus, ea videri congruere Latinis & Græcis enunciationibus: eo quidem, quòd negativa particula ponitur immediatè ante ſubjectum, quod in cæteris Hebræis non animadvertimus. Latini dicunt, *non ullus (ne unus quidem) eſt mecum*; ut *τὸ non* immediatè præmittatur ſubjecto. Sic igitur & Hebræi, אין איש אתי *non vir* (ullus) *eſt mecum*. Sic item dicunt, אין איש שם על לב *non vir* (unus, ullus) *ponit ſuper cor, non ullus homo attendit*. Syri cum univerſales negativas formant, ſimiliter adhibent vocem אֱנָשׁ, & ad eam itidem ſubaudiunt חד unus. Exemplum Matt. IX. 16. לָא אֱנָשׁ *non* (eſt) *homo* (unus) *qui immittit aſſumentum panni novi in veſtem veterem*. Aliud c. XI. 27. לא אנש ידע *non homo* (unus) *ſcit*.

Ubi non de perſonâ, ſed de re aut verbis agitur, ſæpiſſime reperias vocem דבר, quæ *verbum, rem* ſignificat, pro ſubjecto. Exemplum eſt Gen. XVIII. 14. היפלא מיי דבר an *difficilis eſt Jehovæ res* (una)? Sine interrogatione dicere licebit, לא יפלא מיי דבר *non difficilis erit Jehovæ res* (una.) Alibi idem ſenſus exprimitur talibus verbis, quæ formam iſtam habent, quam initio poſuimus, hoc pacto, היפלא מיי כל דבר *num difficilis erit Jehovæ omnis res*. Vide Jer. XXXII. 16. Aliud quod huc pertinet, eſt Joſ. VI. 10. *Non egredietur ex ore veſtro* דבר *verbum* (unum.) Sic c. XXI. 45. דבר

לא נפל דבר *non cecidit verbum* (unum). Τὸ אחד quod hîc ſubaudiendum eſt, alibi diſertè additur: ut c. XXIII. 14. לא נפל דבר אחד *non cecidit verbum unum.*

Obſervetur porrò & hæc univerſalis negativa ex Deut. XIII. 17. לא ידבק בידך מאומה *non adhærebit manui tuæ quicquam.* Subjectum eſt τὸ מאומה, quod æquipollet Latino *quicquam.* Τὸ *quicquam* verò idem ferè ſignificat quod τὸ *aliquid.* Ergo enunciationis hæc fuerit facies: *Aliquid non adhærebit manui tuæ.* Hoc tamen intereſt, quod *quicquam* non uſurpatur, niſi cum ſubaudiendum eſt, *tantum abeſt, ut plura.* Sic & Latini pro *unus* ponunt *ullus*, cum idem ſubaudiri volunt: ut in hoc, *Non juſtificabitur ullus.* Hebræi autem, cum idem illud ſubaudiri volunt, τὸ אחד immutatum retinent, dicuntque אחת *unum ex oſſibus non confringetur:* quod Latini dicerent, *non confringetur ullum.* Ceterum & hoc obſervetur, quòd etiam dici poteſt, *Non adhærebit manui tuæ* - כל מאומה *omne quicquam:* ut ita hæc univerſalis negativa enunciatio formam mixtam habeat ex eâ quam initio hujus cap. expoſuimus, & hac quam nunc conſideramus. Quod ita liceat conjungere utramque formam, intelligitur tum ex aliis, tum ex Gen. XXXIX. 29 ubi hæc reperias: *Non præfectus carceris reſpiciebat* כל מאומה *omne quicquam.* Sic & Chaldæi formam mixtam habent, ut apparet ex hoc, *Et pauper;* לית כל מדעם *non* (erat) *omne quicquam*, II

Sam. XII. 3. In Hebræo ſimplex forma eſt, quam ſuprà jam produximus, hæc nimirum, ולרש אין כל *pauperi non erat omne.* Tò כְּרַעַם ſignificat *aliquid, quicquam*, & reſpondere ſolet Hebræo מאומה. Quod Hebraicè dicitur, *non adhærebit manui tuæ* מאומה *quicquam*, id Chaldæus ita vertit לָא יִדְבַּק בִּידָךְ כְּרַעַם. Dicitur item ex dialecto Syrâ מֶרֶם *aliquid.* Et ſic in univerſali affirmativâ enunciatione reperitur junctum *tò* כל. Prov. XXVII. 30. כָּל מִירָם *omne aliquid amarum dulce ipſi eſt.* In Syriacis item frequentiſſimum eſt כָּל מֶרֶם *omne quicquam*: ut Matth. XIX. 26. *apud Deum* כל מרם משכחא *omne poſſibile eſt.* Sic & apud Hebræos conjunguntur כל אחד. Et apud Latinos eſt ſimiliter vox compoſita *unuſquiſque.*

CAP.

CAP. IX.

Breviter quædam repetita ex ſuperioribus. Enunciatio univerſalis, pro ut vulgò deſcribitur. In eâ ſubjectum poni caſu recto. Ei tributum nomen univerſalis caſu recto. *Aliis tributum nomen* univerſalium caſu obliquo. *Talium negativarum conſideratio ſeparatim ſuſcepta. Quomodo ex negativis recto caſu univerſalibus, fiant negativæ obliquo caſu univerſales. Latinorum diſcrepantia. Eſſe & apud Hebræos, quæ cum Latinis aliquâ ratione congruant. Quibus congruant & Syriaca. Eſſe & in his mixtam formam, ut in ſuperioribus, apud Hebræos. Itemque apud Chaldæos, & Syros. Tò* כל *ſi ſit in prædicato: non ſemper videri univerſalem caſu obliquo facere. De oratione Diaboli Gen. III. diſquiſitum. De voculis* אף כי. *Videri verba ſic intelligenda*, non ex omni arbore, *ſive* ex quadam non comedendum eſſe.

IN proximum ſuperius caput congeſſimus plurimas enunciationes univerſales negativas, quæ vel formaliter, vel per æquipollentiam tales ſunt. Formaliter tales ſunt, in quibus primò ſubjectum ſit univerſale, per univerſale ſignum ſubjecto additum: & deinde ab iſto univerſali ſubjecto removetur prædicatum per particulam negativam, hoc pacto, *Omnis alienigena non comedet de eo.* Exprimitur hæc enunciatio κατὰ πόδα ex Hebræo. Ceteroquin Lati-

ni, atque item Græci tales enunciationes non habent. Quod enim Ariſtoteles ſcribit, hanc enunciationem πᾶς ἄνθρωπος οὐ δίκαιός ἐστι, ſequi iſtam, οὐδείς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος, ex eo non eſt colligendum, Græcos priore iſtâ formâ in ſuâ linguâ vulgò uti, quemadmodum Hebræi conſimili formâ vulgò utuntur. Philoſophus, qui tum alia, tum operationes mentis, & inter has etiam enunciationes conſiderat, ſæpe fingit quippiam ad analogiam cæterorum. Sic & ipſi non ſemel Latinè ſic ſcripſimus, *omnem alienigenam - non potuiſſe comedere de agno paſchali;* quamvis Latina lingua non ferat, ut ita loquamur. Per æquipollentiam univerſales negativæ ſunt iſtæ enunciationes, ex Hebræis itidem κατὰ πόδα expreſſæ, *Non* (exſiſtit) *homo* (unus) *qui non peccet. Non* (exſiſtit) *videns* (unus). *Non* (exſiſtit) *unus qui ſe confirmet mecum contra hos.* Intelligis, ad hæc ſubaudiendum quippiam eſſe, hoc nimirum, *tantum abeſſe ut plures exſiſtant,* ſive, *multò minus exſiſtere plures.* A proximis leviter diſcrepant hæ enunciationes, *Unum ex oſſibus non confringetur. Vir* (unus) *non deſideratur. Vir* (unus) *non ſcit.* Subauditur ſic quoque, *tantum abeſſe, ut confringantur plura: ut deſiderentur, ut ſciant plures.* Levis, inquam, diſcrepantia eſt. Quam intelliges, ſi componas has duas, *Unum - non confringetur, Unum quod confringatur, non* (exſiſtit) ſive, *non* (exſiſtit) *unum quod confringatur.* Nimirum, cum ſic exſiſtentia negatur unius, qui ſit, faciat aut patiatur, id quod antea prædicatum erat, fit deinde ſubjectum.

Ceterum ſtuduimus ſuperiore capite iſtius modi

modi enunciationes ſeorſim congerere, *in quibus ſignum univerſale, ſi in alias linguas vertere velis, caſu recto eſt exprimendum.* Tales ſunt: *Omnis alienigena-non comedet de eo. Omne vivens-non juſtificabitur coram* Deo. Et de talibus intelligenda eſt vulgaris definitio enunciationis univerſalis; quòd nimirum hæc talis ſit, *in quâ ſubjecto addatur univerſale ſignum, ut complectatur omnia de quibus ſubjectum dici poteſt.* Ipſa principalis pars ſubjecti, ſi quidem ſubjectum pluribus notionibus conſtet, exprimitur caſu primo, quem Nominativum vocant. Et illa ipſa principalis pars, univerſalis redditur per univerſale ſignum, ipſi additum eodem caſu primo, ut ex exemplis jam poſitis apparet. Vocemus talem enunciationem *univerſalem caſu recto.* Deinde ſignum univerſale in enunciationibus apparere ſolet caſibus obliquis: ubi tum additur parti conſequenti ſive minùs principali, vel ſubjecti vel prædicati. Exempli gratiâ: *Chriſtus mortuus eſt pro* (hominibus) *omnibus.* Vides hîc ſignum univerſale prædicato additum, & quidem ejus non principali parti, *Mortuus*, ſed minùs principali *hominibus.* Subjecto ipſi univerſale ſignum non eſt additum: neque propter ſubjectum illud enuntiatio univerſalis dici poteſt; ſed propter idem dicenda eadem eſt ſingularis. Aliud exemplum: *Is qui omnes homines cupit ſalvòs fieri, pro omnibus hominibus paſſus eſt.* Hujus ſi partem principalem ſubjecti *is qui cupit* conſideres, ea univerſale ſignum non habet. Neque igitur propter hoc ipſa enunciatio univerſalis dici poteſt. Sed habet eadem enunciatio ſignum univerſale additum parti mi-

nùs principali ſubjecti *homines*: atque item parti minùs principali prædicati *hominibus*. Propter iſta igitur univerſalia ſigna, quæ obliquis caſibus ponuntur, aliquâ ratione univerſalis dici poteſt eadem enunciatio. Ut tamen à ſuperiore quæ ſignum univerſale caſu recto habet, & principali parti ſubjecti additum, diſcernatur iſta enunciatio, appellemus eam *univerſalem caſu obliquo*.

De iſtiuſmodi igitur enunciationibus quæ *caſu obliquo univerſales* ſunt, & quidem negativæ, ſeorſim diſpiciemus hoc capite. Vulgò iſtiuſmodi formare ſolent Canonem: *Particula negativa univerſali* כל *addita univerſalem negationem indicat, ut non omnis idem ſit quod nullus*. Deinde promiſcuè congerunt exempla enunciationum negativarum, tum recto caſu univerſalium, tum quoque obliquo. Sed ſanè merentur ſeparatim conſiderari enunciationes iſtæ, quæ *caſu obliquo univerſales* ſunt. Conſiderabimus igitur primò tales quæ à Latinis & Græcis diſcrepant: deinde quæ aliquâ ratione cum illis conveniunt, quemadmodum & in ſuperiore cap. fecimus. Dan. XI. 37. dicitur de Antiocho Epiphane: על כל אלה לא יבין *omnem Deum non curabit* (Vulg. *Nec quenquam Deorum curabit*) Subjectum enunciationis, Antiochus, ſubaudiendum eſt. Propter hoc verò enunciatio eſt ſingularis. Ceterum eadem enunciatio eſt etiam *univerſalis obliquo caſu*, ſecundum ea quæ paulò antè diſſeruimus. Et ſignum quidem additum eſt parti conſequenti prædicati *Deum*. Pars quidem principalis eſt τὸ *curabit*. De voculâ

culâ negativâ *non* autem obſervandum eſt, *eam non præponi immediatè ſigno univerſali* כל, ſed præponi *prædicato* vel potiùs copulæ, quæ in parte principali prædicati continetur. Non dicitur, *non omnem Deum curabit*, ſed *omnem Deum non curabit*, ſive *non curabit omnem Deum*. Neque igitur, ut vulgò fit, dici debebat, *particulam negativam addi univerſali ſigno*. Iſta autem enunciatio, quæ *obliquo caſu univerſalis* eſt, cæteroqui ſingularis, facilè poteſt converti in *univerſalem recto caſu*; ſi nimirum partem prædicati obliquo caſu poſitam, eique additum ſignum, permutes earundem vocum caſibus rectis, hoſque loco ſubjecti ponas, hoc modo: *Omnis Deus-non curabitur ab ipſo*. Sicuti autem Hebræi id ferè peculiare habent, quòd cum univerſalem negativam formant, ſubjectum faciunt univerſale, & deinde ab univerſali ſubjecto per particulam negativam removent prædicatum: ita etiam partem minùs principalem prædicati univerſalem faciunt; ſecus quam in aliis linguis fit. Sed afferamus plura exempla. Pſ. XLIX, 18. לא במותי יקח הכל *non in morte ſuâ accipiet* (ſecum auferet) *omne* (homo.) In hoc 'ד כל eſt itidem pars minùs principalis prædicati. Totum prædicatum eſt *ſecum auferens omne*. Tota verò enunciatio: *Homo in morte ſuâ (cum moritur moriens)-non aufert ſecum omne* (quod habet.) Vides hanc univerſalem eſſe caſu obliquo. Licet verò hanc quoque in univerſalem caſu recto mutare hoc modo, *Omne* (quod habet homo)

 -non

-non auferetur ab eo cum moritur. Latini non ſic formant univerſalem caſu recto, ut primò ſubjectum faciant univerſale, & deinde prædicatum removeant per particulam ei immediatè præmiſſam: ſed dicunt, *nihil auferetur, non ulla res* (ne una quidem) *auferetur ab homine;* ſubaudito, *tantum abeſt, ut plura auferantur,* ſive *multò minùs auferentur plura.* Similiter item faciunt iidem Latini, cum negativam caſu obliquo faciunt, dicuntque, *homo non auferet ullam rem.* Hebræi autem quemadmodum in negativis caſu recto univerſalibus, primò ſubjectum univerſale faciunt, & deinde ab hoc per negativam particulam removent prædicatum, ita etiam, ſi ſubjectum illud pars conſequens prædicati fiat, ſignum univerſale eidem relinquunt. Dicunt enim, *Omne* (quod homo habet) *-non auferetur ab homine:* & deinde, *Homo-non auferet omne* (illud quod habet.) Aliud exemplum Deut. VIII, 9. לֹא תֶחְסַר כֹּל בָּהּ *non indigebis omni in eâ* (terrâ.) Hîc itidem vides ſignum univerſale obliquo caſu partem prædicati eſſe. Quoniam Hebræi in univerſalibus negativis ſubjectum univerſale faciunt, & deinde prædicatum removent per particulam negativam hoc modo, *Omne-non erit tale quo indigeas* (non deerit tibi:) retinent iidem Hebræi univerſale ſignum tum quoque, cum ſubjectum illud faciunt partem conſequentem prædicati, hoc modo, *Tu-non indigebis omni.* Latini verò, quemadmodum dicunt, *Non ulla res deerit tibi* (ut ſubjectum adjunctum ſibi habeat ſignum particulare *ulla)* ita deinde cum ſub-

ſubjectum illud pars conſequens prædicati ſit, adjungunt eidem eandem voculam *ulla* hoc modo, Tu *non indigebis ullâ re*. Aliud exemplum Gen. XXXIX, 23. אין שר בית הסהר ראה את כל מאומה *non præfectus carceris inſpiciebat omnem rem*. Quoniam Hebræi univerſalem negativam recto caſu ſic formant, *Omnis res-non inſpiciebatur à præfecto carceris:* iidem ſubjecto relinquunt univerſale iſtud ſignum, etiam cum illud ſit pars conſequens prædicati, hoc modo, *Præfectus carceris-non inſpiciebat omnem rem.* Latini quemadmodum dicunt, *Non ulla res inſpiciebatur à præfecto carceris*, ita deinde, ſi ſubjectum iſtius eunciationis partem conſequentem prædicati faciant, dicunt, *Præfectus carceris non inſpiciebat ullam rem:* retentâ ſic quoque voculâ *ullus*, quemadmodum Hebræi voculam כל retinent.

Veruntamen habent quoque Hebræi, quæ cum Latinis aliquâ ratione congruunt. Quemadmodum in ſuperiore capite, cum oſtendiſſemus talia, quæ Latina L. cum Hebræâ communia non habet, ſubjunximus deinde talia, quæ Latinæ L. genio aliquâ ratione congruunt: ita hîc quoque oſtendere poſſumus, quæ Latinæ L. cognata ſint, Latini dicerent, *Non reliquit quenquam*, *ullum*, *unum :* ſubaudito, *tantùm abeſt, ut reliquerit plures*. Cum eo igitur congruit, quòd Hebræi dicunt, לא השאיר איש *non reliquit virum* (ullum,) II. Reg. X, 14. Secundum ſuperiora dicendum eſſet, *Non reliquit omnem*. Nunc verò dictum

dictum reperimus, *Non reliquit virum* (ullum.) Sed dicat quis, ad vocem איש fortaſſe ſubaudiendum eſſe non vocem אחד, ut nos volebamus, ſed vocem כל: ut ita hæc ſit enunciationis forma, *Non reliquit omnem virum*, & ſic cum ſuperioribus Hebræis congruat. Nobis videtur omnino v. אחד ſubaudiendum eſſe. Quod ut intelligatur, recolere jubemus nonnulla eorum, quæ ſuperiore capite produximus. Nimirum Eſ. XLI. dicitur, איש לא נעדר *Vir* (unus) *non remanſit*. Et ſimiliter Eſ. LXIII, 3. אין איש אתי *non Vir* (ullus) *mecum*. Sic & alibi ſæpiſſime. Judicavimus autem, in talibus ſubaudiendam eſſe vocem אחד *unus*: ut ita iſtæ enunciationes cum aliis quibuſdam congruant, in quibus itidem v. אחד ſubaudiendum eſt. Exempli gratiâ in his, אין ראה *non eſt videns* (unus.) Item, אין אדם *non* (exiſtit) *homo* (unus) *qui non peccet*. Nec magnopere, credo, repugnabunt alii: quippe qui in talibus vocem איש vertere ſolent voce *quiſquam*, quæ vocibus *ullus*, *unus* æquipollens eſt. Si autem Eſ. XLI. ad vocem איש ſubaudias v. אחד *unus*, vertaſque, *Vir* (unus) *non remanſit*: contenderim ego, II. Reg. X, 14. ad vocem איש itidem ſubaudiendum eſſe v. אחד, vertendumque, *non reliquit virum* (unum): ut ita ſubaudiendum ſit, *tantùm abeſſe ut plures remanſerint*, quemadmodum & Latini idem illud ſubaudiunt, cum dicunt, *Non reliquit ullum*. Ceterum cum Hebræis egre-

egregiè congruit, quod Syri dicunt, וְלֶאנָשׁ לָא חֲזוֹ *& hominem non viderunt*: ſubaudito חד *unus*. Vide Matth. XVII, 8. Aliud exemplum quod cum Latinis aliquâ ratione congruit, exſtat II. Sam. XII. לא לקחת מיד איש מאומה *non accepiſti è manu viri* (unius, ullius) *quicquam*. Aliud Jerem. cap. XXXVIII, 5. אין המלך יוכל אתכם דבר *non eſt rex* (qui) *poſſit adverſus vos rem* (unam, ullam.) Aliud Joſ. XI, 16. לא הסיר דבר מכל אשר יהוה *non recedere fecit* (omiſit) *rem* (unam, ullam) *de omnibus quæ præcepit Jehova*. Intelligis, in talibus ſubaudiri vocem *unus*, quæ à Latinis diſertè additur: atque igitur Hebræam Linguam, quod ad illud attinet, aliquâ ratione congruere cum Latinâ.

In ſuperiore capite propoſuimus etiam mixtam formam: dici nimirum, *Non adhærebit manui tuæ* כל מאומה *omne quicquam*. Sic & in his quæ caſu obliquo univerſales ſunt, mixtam formam deprehendas. Gen. XXXIX, 29. *Non præfectus carceris reſpiciebat* כל מאומה *omne quicquam*. Poſſet ſeparatim dici, vel *Non reſpiciebat* כל *omne*: vel, *non reſpiciebat* מאומה *quicquam*. Nunc autem utraque forma compoſita viſitur. Sic & in Chaldæis viſere licet compoſitam formam כָל מִדַּעַם. Exemplum Eſth. II, 15. לָא תְבַעַת צְרוֹךְ לְכָל מִדַּעַם

non

non petebat uſum omnis cujuſquam, hoc eſt, *ullius*. In Hebræo eſt forma ſimplex, quæ duarum iſtarum, quas in hoc capite propoſuimus, poſterior eſt, לא בקשה דבר *non quæſivit rem* (unam, ullam.) Tò מִדַּעַם ſeparatim reperias Gen. XIX, 18. ubi verba Lothi ſic verſa ſunt, הָאִלֵּין לָא תַעַבְּדוּן מִדַּעַם *hiſce viris ne faciatis quicquam.* Apud Syros מֶדֶּם ſignificat *aliquid*, *quicquam*. Idem verò in univerſalibus tam negativis, quàm affirmativis, junctum reperies univerſali ſigno כל. Sed & ſeorſim ponitur, quemadmodum Tò מאומה. Exemplum Matth. XXIII, 18. לָא הָוֵא מֶדֶּם *non eſt aliquid*, hoc eſt, *nihil eſt.*

De formâ iſtâ enunciandi, de quâ initio agebamus, monendum adhuc eſt, eam & ipſam quandoque ſic uſurpari, ut Latinis & Græcis enunciandi modis prorſus gemina ſit, atque ut eandem vim ac ſignificationem habeat cum illis. Tò כל, inquam, ſi ſit in prædicato enunciationis, quandoque non facit enunciationem univerſalem obliquo caſu, ſed particularem. Exempli cauſâ produco ex Lev. XVI, 2. hæc verba: אל יבוא בכל עת על הקדש *ne ingrediatur omni tempore in ſanctum.* Sunt iſta verba vetantis. Ex quibus licebit utique huiuſmodi formare enunciationem, אהרון לא בכל עת בא על הקדש *Aharon non omni* (*quo-*

(quovis) tempore ingreſſus eſt in ſanctum. Cujus enunciationis intellectus non utique hic eſt, *Aharonem nullo tempore ſive nunquam ingreſſum eſſe*, ſed, *non quovis tempore, ſive quodam tempore non ingreſſum fuiſſe.* Nimirum ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ *ſemel modò in anno*, ut ep. ad Hebr. habet, licuit ingredi. Eſt igitur eadem enunciatio non *univerſalis obliquo caſu prædicati*, ſed *eodem caſu particularis.* Secundum ſuperiora autem foret univerſalis obliquo caſu prædicati, quemadmodum hæc, על כל אלה לא הבין *omnem Deum non curabit.* Eſt item oratio quædam in ſacris literis, quæ utrum ad id pertineat, de quo nunc monemus, an verò ad ſuperiora, ubi univerſalis neg. obliquo caſu fiebat, dubium eſſe poſſit: Oratio, quam indigito, antiqui ſerpentis fuit, reperiturque in tertio Geneſ. his verbis, אף כי אמר אלהים לא תאכלו מכל עין הגן. Vetus Interpres Latinus ita vertit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi.* Hìc dubium eſt, utrum oratio iſta ſic intelligenda ſit, Deum præcepiſſe ut ex nullâ arbore comederent, an verò, ut ex aliquâ modò non comederent. Sed & de duabus prioribus voculis non ſatis liquet, quomodo ſint vertendæ. Chaldæus ita vertit בקושט ארי אמר *an in veritate, (an verè, an verum eſt, verumne eſt) quòd dixit Deus.* Græci vertunt τί ὅτι *quid* (illud eſt) *quòd dixit Deus.* Ut ita hæc verſio congruat cum Latinâ. Tremellius ver-

vertit: *etiamne dixiſſe Deum, ne comedatis ex omni fructu arborum hujus horti?* Ut ita ex longiori ſermone Diaboli Moyſes modò id retulerit, quo maximè Diabolus id obtinuiſſet, ut Evam in ſuſpicionem adduceret odii & invidiæ erga genus humanum. Andreas Rivetus in Exercitationibus ſuis in Gen. exiſtimat, non incommodè verti, *multò magis quòd dixit*, vel *κατὰ πόσῳ*, *etiam quia dixit*; quòd illæ voculæ ſic conjunctæ alibi quotalem vim obtineant. Hanc verò exiſtimat verborum Diaboli ſententiam eſſe: Deus vobis non favet, ſed vel odit, vel vobis invidet multis nominibus, etiam in eo quòd dixit, &c. hoc eſt, in eo quòd non permiſit vobis plenam poſſeſſionem fructuum terræ, invidet vobis perfectam felicitatem Ceterùm quòd ad illa verba attinet quæ interdictum referunt, ea putaverit quis ſic intelligenda eſſe, *Deum præcepiſſe, ut ex nullâ arbore comederent;* quemadmodum ſæpiſſime alibi τὸ כל ſic poſitum, *univerſalem caſu obliquo* facit. Idque eò magis, quòd Eva mox ita reſpondit: *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur: de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Sic Eva dixerit, id non ita ſe habere, quod Diabolus dixerat, Deum præcepiſſe, ut ex nullâ arbore comederent: licere enim ſibi ex omnibus arboribus, præterquam ex unâ comedere. Veruntamen iſtæ priores voculæ אף כי, quomodocunque etiam explicentur, videntur ſuadere, ut particularem negationem intelligamus, & ipſius interdicti divini ſenſum Diabolum

bolum credamus voluiſſe referre. Edixerat autem Deus his verbis: *Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Quorum utique hic intellectus eſt, *non ex omni comedendum eſſe, ex aliquâ non eſſe comedendum.* Nec malè quadrabit reſponſum Evæ, ſi verba Diaboli ſic intelligantur. Poteſt quippe credi, ut Riveti verbis hîc utar, Evam reſponſo ſuo voluiſſe amoliri illud, quod de prohibitione alicujus arboris dixerat Diabolus, oppoſitâ permiſſione aliarum omnium, ut oſtenderet quam benignus & liberalis erga ſe fuiſſet Deus.

C A P. X.

De verbis quibuſdam Gen. X. diſquiſitum. De regione Sennaar. Ex eâ non Aſſurem quendam, ſed ipſum Nimrodum dici egreſſum. אשור *in iſtis verbis eſſe nomen regionis, in quam Nimrodus migrarit. Ad nomina locorum ſubaudiri quandoque motum ad locum. Locus S. Michæ adductus & explicatus. Aſſyria, terra Nimrodi dicta. Converſionem gentium deſcribi talibus verbis, quæ externam vim ſignificant. Unam eandemque enunciationem quandoque duplicibus verbis proponi. Ægyptus, terra Cham. Item, Mizraim. Cujus nominis ubi veſtigia ſint: Ægyptus ab ipſis Ægyptiis Ham dicta, aut χημία. Nineve urbs apud profanos Ninus dicta. Ejus urbis ſitum malè demonſtratum eſſe à quibuſdam*

veterum. Urbis conditorem non fuiſſe Ninum quendam. Neque Ninum fuiſſe primum Aſſyriorum Regem. Cteſiæ narratio de Aſſyriæ Regibus reprehenſa. Ninum non fuiſſe Nimrodum. Multis ſeculis poſt Nimrodum, Aſſyriæ & Babyloniæ Regem fuiſſe Ninum quemdam: ejuſque uxorem Semiramidem. Suſpicio ejus rei ex Herodoto. Nitocris quanto intervallo fuerit ante Semiramidem. Ninum non magno intervallo anteceſſiſſe Phulem & Tiglathpileſerum. In ditione Salmanaſſaris & Sennacheribi, Aſſyriæ Regum, fuiſſe & Babyloniam. Ninum & Semiramidem itidem tenuiſſe regionem iſtam. Semiramidem non condidiſſe Babylonem, ſed modò exornaſſe & communiviſſe. Rechoboth, Calach, & Reſen urbium, ubi in profanis ſcriptoribus veſtigia ſuperſint.

IN capite X Geneſeos, ubi de origine & migrationibus variarum gentium agitur, proditum inter alia eſt de quodam, qui Niniven & alias quaſdam urbes ædificarit. Quis autem conditor iſte fuerit, qui in eo loco memoratur, id ſæpius ſub diſquiſitionem venit, nec ſatis inter Interpretes de eo convenit. Verba ita habent: מן הארץ ההיא יצא אשור ויבן את נינוה ואת רחבות עיר ואת כלח: Quæ verba Latinus Interpres ita vertit: *De terrâ illâ egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Calach.* Quæ terra ſive regio iſta ſit, ex quâ migravit is qui Niniven condidit, ſatis apparet ex proximis

mis antecedentibus. Fuit quidem terra *Senaar.* Ita enim habent verba: *Fuit principium regni ejus* (Nimrodi) *Babylon*, *& Arach*, *& Acad*, *& Chalane*, *in terrâ Senaar.* Ex quibus intelligimus, Nimrodum, Cuſchi filium, initium regni feciſſe in terrâ Sennaar. Quæ autem terra Sennear fuerit, ignotum eſſe non poteſt: quandoquidem additum videmus, Babylonem urbem in eâ ſitam fuiſſe. De Babylonis quippe ſitu ſatis certa res eſt. Ceterum nec τοῖς ἔξω ſcriptoribus planè ignota fuit regio iſta Sennaar. Verba Heſtiæi, quibus is de τῆ Σενααρ τῆς Βαβυλωνίας prodiderat, aſſervavit nobis Joſephus lib. I. Antiq. c. V. itemque Euſebius in Chronico ac in libris προπαρασκευῆς. Ex iſtâ igitur regione Senaar, quam Babyloniæ intelligi licet fuiſſe partem, migraſſe aliquis dicitur prædictis verbis Geneſeos. Qui verò migravit, hunc vulgatus Interpres, multique alii putant fuiſſe *Aſſurem* quendam: vertuntque igitur ſic, *De terrâ illâ egreſſus Aſſur*, *& ædificavit Nineven* &c. His quidem nos aſſentiri non ſuſtinemus: ſed exiſtimamus, vocem אשור in iſtis verbis ſignificare regionem quandam: & eam quidem, quæ ab Aſſure quodam, primo ſui occupatore, denominata ſit, quemadmodum & aliæ regiones in ſacris ſic denominantur. Principio conſiderandum proponimus, annon verba Moyſis convenientiſſimè ſic intelligantur, ut credamus, Nimrodum egreſſum fuiſſe ex regione iſtâ Sinear. Quod ſi obtineamus, illico conſequetur illud, eum qui egreſſus dicitur, non eſſe Aſſurem quendam: & per vocem *Aſſur*, intelligendam eſſe regionem

quandam, in quam is qui ex regione Sinear egreſſus dicitur, commigravit. Dicimus igitur, S. Moyſem id velle, ipſum Nimrodum ex terrâ Sinear egreſſum fuiſſe. Sanè in proximis ſuperioribus dictum fuerat, *Principium regni Nimrodi fuiſſe in terrâ Sinear.* Quibus cum mox ſubjiciatur, *de terrâ illâ egreſſum fuiſſe quendam,* id ad alium referri non poteſt, quam ad Nimrodum. Ex eo, quod S. Moyſes de principio regni Nimrodi narrat, facilè utique intelligitur, ipſum poſtea ampliore regno fuiſſe uſum, ſive poſt illa, in aliâ quoque provinciâ eundem regnaſſe. Quid attineret de principio regni quod in aliquâ regione fuerit loqui, niſi ſubaudiendum relinqueretur, poſtea regnaſſe & alibi? Ubi verò hoc intellectum fuerit, regnaſſe Nimrodum & alibi, quid convenientius ſit, quàm quòd Moyſes dicit, ex regione Sinear, in quâ Nimrodi principium regni fuit, quendam fuiſſe egreſſum, id de ipſo Nimrodo intelligi? Atque ita συνάφεια verborum id quod nos volebamus, oſtendere nobis poteſt.

His ſi quis oggeſſerit, nomen *Aſſur* non permittere, ut de Nimrodo verba intelligantur, quippe quod ſit nomen viri: reſpondemus, eam vocem nihil quicquam prohibere. Nimirum poteſt id nomen ſignificare regionem, quæ ab Aſſure quodam, filio Semi, denominata fuerit, quemadmodum in ſacris literis à Canaane filio Chami, quædam regio appellata fuit *Canaan*: à Mizraimo ejuſdem Chami filio, regio quædam *Mizraim*: ab aliis item primis regionum occupatoribus denominatæ fuerunt aliæ regiones. Id tamen nondum ſuffecerit, niſi ad

iſtud

iſtud nomen regionis ſubaudiamus motum ad locum, ut ת״ אשור ſignificet *in* ſive *ad Aſſur.* Aliter enim ſi fieret, commodus verborum intellectus eſſe haud poſſet. Sic igitur verba vertenda fuerint: *De terrâ iſtâ (*Sinear) *egreſſus eſt in Aſſyriam,* (Nimrodus) *ibique condidit Nineven.* Sed quidam contendunt, motum iſtum ad locum, non poſſe ſubaudiri, niſi vocis vel priori vel poſteriori parti litera quædam adjiciatur. Nuper Cl. Hornius in notis ad Sulpitium Severum ſcripſit, *Moyſem non dixiſſe* לאשור vel אשורה: *quod fieri debuiſſe, ſi de Nimrodo ſermo eſſet.* Oſtendendum igitur nobis eſt, poſſe ad nomina regionum & urbium ſubaudiri motum ad locum, nec ubique perinde adjectam eſſe literam, quâ is ſignificetur. Capiamus exemplum ex 1 Reg. XI. 39 ubi de Jeroboamo memoratur his verbis, ויברח מִצְרַיִם *fugit in Ægyptum ad Siſak regem Ægypti.* Vides hîc voci regionem ſignificanti non eſſe additum ה locale, nec aliud quippiam, quod motum ad locum ſignificare poſſit, ſed tale quid ſubaudiendum eſſe. Aliud exemplum eſt in 1 Reg. III. 5. ויבוא יְרוּשָׁלַםִ *Venit Jeruſalemum.* Aliud 1 Reg. XIX. 3. ויבוא בְּאֵר שֶׁבַע *Venit Beerſebam.* Quod poſtremum Gen. XLVI. 1. ita exprimitur, *Venit* בְּאֵרָה שֶׁבַע, *Beerſebam:* He locali affixo nominis compoſiti parti priori.

Apparet ita, nihil eſſe quod prohibeat, quò minus ſic ut nos volebamus, intelligamus verba Moyſis. Non poſſe item aliter intelligi, ex cæterorum verborum ζυναφείᾳ demonſtravimus.

Eſt verò & aliud, quo demonſtrare idem poſſumus: illud puta, quòd *Aſſur* ſive *Aſſyria* in ſacris literis appellatur item *terra Nimrod.* Inſignia verba Mich. V, 61. leguntur iſta: *Eritque ille* (Meſſias tempore N. T.) *pax: cum venerint Aſſyrii in terram noſtram* (quemadmodum tum faciebant cum Michas ſcriberet) *& cum calcaverint palatia noſtra, conſtituemus ſuper ipſos ſeptem paſtores, & octo toparchas ex hominibus* (Apoſtolos, Doctores.) *Et paſcent terram Aſſur gladio, & terram Nimrodienſibus ſuis.* Prædicitur his verbis, Aſſyrios converſum iri per Doctores Eccleſiæ. Quam rem Scriptores ſacri aliis quoque locis deſcribunt talibus verbis, quæ victoriam, & vim corporalem ſignificant. Zach. IX, 13. id ita exprimitur: *Extendi mihi Judam quaſi arcum, implevi Ephraim: & ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos, Græcia, & ponam te quaſi gladium fortium.* In cap. II. v. 9. de Babyloniis prædicitur, *ipſos prædæ futuros his, qui ipſis ſervierant, hoc eſt, Iſraëlitis.* Similiter in Eſ. XI, 14. dicitur: *Volabunt* (Judas & Ephraim) *in humeros Philiſtim ad mare, ſimul prædabuntur filios Orientis. Idumæa & Moab mittent manus ſuas, & filii Ammon obedientes erunt.* Vide & Obadiam conſimilibus verbis prædicentem in eandem ſententiam. Ceterum in verbis Michæ dicitur, *paſtores terram Aſſur, hoc eſt, Aſſyrios paſturos gladio, & terram Nimrodienſibus.* Ex quibus igitur apparet, terram Aſſur (Aſſyriam, ab Aſſure, Semi filio ita dictam) alio nomine dici *terram Nimrodi.* Una, inquam, eademque regio duplici nomine appellatur. Scilicet nihil frequentius eſt in ſacris literis

literis eo, quòd vocabulis ac ῥήσεσιν ἰσοδυνάμοις una eademque ſententia exprimitur. Et poterant innumera id genus produci: nunc tamen talia modò producemus, quæ noſtro prorſus gemina ſunt, hoc eſt, in quibus una eademque regio duplici nomine appellatur. Pſ. CV, 23: *Iſraël proficiſcebatur in Ægyptum* (Mizraim) *&* *Jacob fiebat incola terræ Cham.* Hic non tantùm una regio duplici nomine appellatur, ſed & præterea unus idemque vir, qui dicitur profectus fuiſſe in Ægyptum. Sic & in Pſ. CVI, 21. dicitur: *Obliviſcebantur Dei Salvatoris ſui, qui tam magna in Ægypto* (Mizraim) *præſtiterat, miracula in regione Cham.* Et Pſ. LXXVIII, 51. *Percuſſit omne primogenitum in terrâ Ægypti* (Mizraim) *primam fortitudinem eorum in tabernaculis Cham.* In his, præterquam quòd una regio duplici nomine appellatur, primogenitus quoque, & miracula duplici vocabulo exprimuntur. Ceterum in his id quoque obſervetur, quòd Ægyptus primo notiori vocabulo *Mizraim* dicitur: deinde verò vocabulo non ita in vulgus noto, terra *Cham.* Prius nomen in ſacris literis frequentiſſimum eſt: & vulgò etiam videtur frequentatum fuiſſe. Denominata autem ſic fuit regio iſta à Mizraimo, Chami filio, de quo in c. X Geneſeos: quemadmodum & aliæ regiones à primis occupatoribus denominatæ fuerunt. Sic enim & à Mizraimi fratre Canaane vicina regio dicta fuit *Canaan*: alia itidem vicina dicta fuit *Cuſch*, ab ejuſdem Mizraimi fratre altero. Cum talibus nominibus primorum occupatorum appellantur ipſæ regiones, frequenter etiam additur vocula ארץ *terra*, dicitur-

 que

que ארץ ארץ כנען מצרים. Nec ignota fuerunt talia nomina, profanis Scriptoribus. Nominis *Canaan* veſtigium eſt in voce χνᾶ, quâ regionem iſtam appellatam fuiſſe à Philone Byblio Sanchuniathonis Interprete, & antea ab ipſo Sanchuniathone, autor eſt Euſebius lib. X. προπαρασκ. c. 10. Vide etiam, quæ de Aramæis ſuprâ cap. VI. ex Strabone allegavimus. Nominis *Mizraim* veſtigium eſt in nomine menſis Ægyptiorum Μεσορή. Regio ipſa Cedreno Μέστρα vocatur. Suidas item: Μεστρέμ ἡ Αἴγυπτος, ἡ νῦν Μίσρ ὀνομαζομένη. Urbem مصر vicinam Cairo prodiderunt Elmacinus & Haitho. Certè, cum regio vulgò *Ægyptus* vocaretur, Joſephus tamen lib. I. cap. VII de ſuâ gente ſcripſit: Αἴγυπτον Μέστρην, καὶ Μεστραίους τοὺς Αἰγυπτίους καλοῦμεν. Eadem verò regio quæ nomine in vulgus ſatis noto *Mizraim* dicitur in Pſalmis, dicitur item *terra Cham*, nomine non ita uſitato in iiſdem. Denominatio facta eſt à Mizraimi patre Chamo: quem cum uno filiorum ſuorum, Mizraimo puta, in Ægypto conſediſſe hinc colligitur. Sic & apud ipſos Ægyptios nomine *Cham* deſignatam fuiſſe Ægyptum, autor eſt S. Hieronymus in trad. Hebr. in Geneſin. *Ægyptus*, inquit, *uſque hodie Ægyptiorum linguâ Ham dicitur*. Plutarchus item in lib. de Iſ. & Oſir. prodidit, Ægyptum ab Ægyptiorum Sacerdotibus χημίαν fuiſſe dictam. Quemadmodum igitur, ut dixi, una eademque regio, primò nomine vulgò ſatis uſitato, *Mizraim* dicta eſt in Pſalmis, deinde altero nomine apud Hebræos non perinde uſitato,

terra

terra Cham: ita & apud S. Micham una eademque regio, primò nomine ſatis uſitato *Aſſur*, deinde alio nomine non perinde uſitato *terra Nimrodi* appellata eſt. Unde autem Aſſyriam credemus appellatam eſſe *terram Nimrodi*, niſi quòd Nimrodus in eam commigraſſet, atque ita, ut alias regiones alii, occupaſſet eam? Porrò quoniam res certa eſt, Aſſyriam dictam eſſe *terram Nimrodi*, quòd Nimrodus in eam commigraſſet, vero ſanè ſimillimum eſt, S. Moyſem nihil aliud voluiſſe dicere, quàm illud-ipſum, ubi is dixit, *regni Nimrodi initium fuiſſe in regione Sinear*, deinde *ex eadem regione egreſſum fuiſſe* τ̃ δεῖνα, *& Niniven, nonnullaſque alias urbes condidiſſe.*

Ceterum urbes iſtæ, quas Nimrodus condidit, cum ex regione Sinear migraſſet in eas plagas, quæ nomine Aſſyriæ comprehendebantur, appellantur à S. Moyſe *Nineve*, *Rechoboth*, *Calach*, & *Reſen*. Quarum prior eodem nomine Nineve ab Ammiano Marcellino, Scriptore τοῦ ἔξω, appellata eſt in lib. XVIII. Alii verò profani Scriptores Νῖνον *Ninum* vocant, Herodotus puta, Diodorus, Strabo, Plinius, Ptolemæus, Lucanus. De ſitu autem ejus urbis plerique falſa prodiderunt. Diodorus ad Euphratem ponit: itemque Ptolemæus. Herodotus & Plinius ad Euphratis & Tigris confluentem. Quos omnes falſos eſſe, egregiè demonſtrat Nic. Fullerus lib. III. Miſc. c. 6. atque ex Strabone, Paulo Diacono, & Ammiano Marcellino docet, Ninum ſive Nineven ſitam fuiſſe trans Lycum amnem, defluentem illum in Tigrin, ſatiſque longè à Tigri fluvio

fuiſſe remotam. Conditorem urbis quod attinet, Strabo hunc Νῖνον vocat. Ὁ μὲν Νῖνος, inquit, τὴν Νῖνον ἐν τῇ Ἀτυρείᾳ κτίσας. Plurimi item Scriptores primum Aſſyriæ Regem fecerunt Ninum, Diodorus Siculus puta, Juſtinus, Euſebius, idque ex Cteſiâ Cnidio hauſerunt. Prodiderat Cteſias, ὁ πολλὰ ἐψευσμένος in Perſicis ſuis, Ninum fuiſſe primum Aſſyriorum regem, ejuſque maritam Semiramidem. A Nino verò uſque ad Sardanapalum perpetuâ ſucceſſione Aſſyriorum Reges exſtitiſſe, per MCCCLX annos, & Sardanapalum quidem fuiſſe Regem trigeſimum. Hinc quidam noſtræ ætatis Viri docti conjiciunt, Nimrodum alio nomine Ninum fuiſſe dictum, & ab altero ſuo nomine urbem, quam in Aſſyriâ condidit, appellaſſe *Nineven.* Nos veterum quorundam monitu, Cteſiæ de Aſſyriorum rebus narranti fidem derogare cœpimus jampridem; atque in Exercitationum noſtrarum Academicarum διματίῳ in eam ſententiam diſſeruimus: Quemadmodum tum temporis Herodotum, cujus amor veri ex plurimis dignoſci poteſt, de Aſſyriorum ac Medorum rebus narrantem ſecuti fuimus: ita & nunc exponemus, quæ conjecturæ nobis de Nini & Semiramidis ætate, ex lectione Herodoti ſubortæ ſint. Dicimus igitur, Nineven (נִינְוֵה) urbem nequaquam ita dictam fuiſſe ab altero quodam nomine quod conditor ejus Nimrodus habuerit nec ipſum Nimrodum altero nomine Ninum fuiſſe dictum. Fuiſſe verò tempore bene longo poſt Nimrodum, octingentis circiter annis, quendam Babyloniæ ac Aſſyriæ Regem nomine Ninum ſive Ninium,

hu-

hujuſque uxorem Semiramidem, quorum geſta Cteſias peſſimè retulerit ad antiquiſſima tempora Nimrodi, quæ nobis ex ſacris ſcire licet diluvio fuiſſe proxima. Equidem Ninum & Semiramidem nos patiemur ita conjunctos manere, facileque credemus fuiſſe conjuges. Sed quemadmodum Semiramis ducentis ferè annis ante Nitocrin Babyloniorum reginam vixit, ita & Ninum ad antiquiora tempora non referemus. Fuit autem Nitocris σύζυγος Cyaxaris, Medorum Regis. Narrat enim Herodotus in lib. I. quòd Nitocris animadverteret, Medorum regnum ingens atque pacatum eſſe, ſubactaque ab illis multa oppida, atque inter hæc Ninum, præmuniviſſe ſe, quàm potuit; optimè. Porrò idem Herodotus prodidit, γενεῇσι πέντε πρότερον γενεὰς Σεμίραμιν τῆς Νιτώκριδος, *quinque ætatibus Semiramin priorem fuiſſe Nitocride.* Quinque γενεαὶ conficiunt CLXX circiter annos. Tres enim γενεὰς Herodotus centum annis definit in Euterpe. Quare CLXX annis Semiramis anteceſſerit Nitocrin, atque adeò ipſum quoque excidium Nini urbis. Factum eſt excidium illud circa annum trigeſimum ſextum Cyaxaris, ſecundum autem Zedekiæ, & circa annum period. Jul. 4115. uti demonſtravimus in prædictarum exercitationum primâ. Ab his deducamus πέντε γενεὰς, hoc eſt, CLXX annos. Ita retrogrediendum erit ad annum per. Jul. 3945. Cum hoc verò cohærent anni regni Menahem, qui primus inter Reges Palæſtinæ à Rege Aſſyriorum Phule infeſtatus fuit. Atque ita Nini & Semiramidis ætas non longo intervallo anteceſſerit tempora Phulis, eorum Aſſy-

riæ

riæ Regum primi, qui in ſacris literis memorantur.

Diximus paulò antè, tum Aſſyriæ, tum quoque Babyloniæ Regem fuiſſe Ninum. Id ſatis congruit cum his, quæ de Aſſyriorum Regibus, quos Ninum proximé ſecutos fuiſſe diximus, ſacris literis ſunt prodita. In II. Reg. XVII, 24. legimus, Salmanaſſarem, (quem non magno intervallo conjicere licet ſecutum fuiſſe Ninum) *de Babylone, aliiſque locis colonias deduxiſſe in Palæſtinam*, inde emigrare juſſis colonis veteribus. Ex quo ſanè intelligi licet, Babyloniam quoque fuiſſe in ditione Salmanaſſaris. Item in Eſ. XXXVII, 12. legimus, *Sennacheribi majores evertiſſe regiones Goſan, Haran, & Eden*, quæ ſanè Babyloniæ fuerunt proximæ. Inter majores autem Salmanaſſaris retulimus nos ipſum quoque Ninum, cui optimé iſta congruunt. Sic nec Cteſiæ narrationem nos prorſus rejicimus, qui prodidit, Ninum fuiſſe Aſſyriæ Regem. Tantùm ad antiquiſſima iſta tempora nollemus referre ætatem Nini, ad quæ ſecundum narrationem Cteſiæ, eam referre oportet. Deinde Ninum, & Semiramidem Babyloniæ quoque tenuiſſe imperium, colligere licet tum aliunde, tum ex Herodoto. Hic in calce libri III quaſdam portas Babylonis vocat Σεμιράμιος πύλας, *portas Semiramidis*, alias verò πύλας Νινίων *portas Niniorum*, Apellatæ ſine dubio ſic fuerunt portæ iſtæ à Reginà Semiramide, & à Regibus Niniis, patre nim. & filio cognominibus. Sanè & Cteſias, ex eoque alii prodiderunt, Ninum habuiſſe filium cognominem. Quidam Ni-

Ninum : alii Ninyam vocant. Nos, quia Herodotus vocat portas Νινίων, facilè crediderimus, & Patris, & Filii nomen fuiſſe *Ninium*. Porrò Semiramidem Babylone exſtruxiſſe quædam, tantùm abeſt, ut negent alii Scriptores, ut etiam Babylonem conditam memorent ab eâdem. Juſtinus lib. I: *Hæc* (Semiramis) *Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit*. Sic & Diodorus lib. II. Strabo lib. XVI, Solinus c. LVI. Nos ex ſacris ſcimus, Babylonem multis ſeculis ante iſtam Nini & Semiramidis ætatem, quam inveſtigavimus, fuiſſe conditam, non diu puta poſt cataclyſmum. Ninum & Semiramidem autem credamus exornaſſe & communiviſſe urbem. Herodotus noſter in lib. I. prodidit, *diverſos reges ac reginas muros ac templa Babylonis exornaſſe*. Ammianus in lib. XXIII *mœnia quidem urbis* ait *à Semiramide fuiſſe conſtructa : arcem autem ab antiquiſſimo Rege Belo*. Oroſius verò in lib. II. autor eſt, *Babyloniam à Nembrod gigante fundatam, à Nino vel Semiramide reparatam multos prodidiſſe*.

Cæterarum urbium, quas Nimrodus in Aſſyriâ condidit, in ſacrâ hiſtoriâ hæc ſunt nomina, *Rechoboth*, *Calach*, *Reſen*. Sed horum primo addita eſt vocula עיר *urbs*. *Ædificavit Niniven*, inquit Moſes, *& Rechoboth urbem*. Addita videtur vocula iſta, ut intelligeretur, non eſſe nomen appellativum, nec vertendum eſſe *plateas*, ut alioqui vox iſta verti poſſit. Vulgatus tamen vertit hoc modo, *& plateas civitatis*. Sic & Targum Hieroſolymitanum,

וית

וית פלטיתא רקרתא. In quam ſententiam Hieronymus quæſt. in Geneſin ſic diſſerit: *Quod autem ait, Niniven & Rechoboth civitatem, non putandum eſt duas eſſe urbes, ſed quia Rechoboth plateæ interpretantur, ita legendum eſt: Et ædificavit Niniven & plateas civitatis.* Qui nomen illud peculiaris cujuſdam urbis fuiſſe putant, conferunt cum eo nomen Ὀρόϐα, urbis, quam Ptolemæus ad Tigrim ſitam prodidit. Iidem conjecturam ſuam eo quoque firmant ampliùs, quòd Gen. XXXVI. 37. memoratur urbs רְחֹבוֹת הַנָּהָר *Rechoboth fluminis*; ad differentiam ſine dubio alterius cujusdam urbis, cui & ipſi Rechoboth nomen fuit. Sanè & Ptolemæus ἐν τῇ λοιπῇ χώρᾳ μέσῃ τῆς Ἀσσυρίας ponit aliam urbem eodem nomine Ὀρόϐα. Tertia earum urbium, quas Nimrodus in Aſſyriâ condidit, nomen כָּלַח habuit. Ejus veſtigium videtur eſſe in nomine τῆς καλακίνης, partis Aſſyriæ, quam Ptolemæus ſupra Adiabenen ponit. De quâ videndus etiam Strabo in lib. XI & XVI γεωγραφικῶν. Quarta urbium eſt רֶסֶן. Hanc docti conferunt cum Reſainâ, quam Ammianus in lib. XXIII memorat.

CAP.

CAP. XI.

Verba Plinii à ſuſpicione mendi liberata. Peragrare magos, an ſatis commodè dicatur. Similimum quiddam oſtenſum apud S. Hieronymum. Pythagoram & alios ad diſcendam ſcientiam Magorum fuiſſe profectos. Non Perſarum modò, ſed & aliarum gentium ſapientes dictos eſſe Magos. Videri tamen id vocabulum in Perſis ortum. Μάγοι *in Græcâ verſione Danielis.* Μάγοι *apud Matthæum. Intelligi ibi ſapientes Arabiæ. Arabiam omni ævo ſapientes habuiſſe. Tura ferre ſolam Arabiam: Myrrham paucis cum eâ communem eſſe. Arabiam ferre aurum non levi copiâ. Agatharchides apud Photium explicatus. An Arabia poſſit dici ad Orientem vergere reſpectu* Palæſtinæ. *Poſſe dici ad Meridiem vergere. Nec minùs ad* Orientem. *Verba* Pſ. CVII *conſiderata. Quæ vis ibi ſit voculæ* מים à mari. *Demonſtrari eâ plagam Auſtralem. De voce* מצפון ab Aquilone. *Demonſtrari eâ plagam ſeptentrionalem. Perſas Babylonem dici venire ab Aquilone*, Jer. L. *In aliis locis S. Scripturæ per mare mediterraneum deſcribi plagam Occidentalem.*

C. Plinii Secundi in libro XXV. naturalis hiſtoriæ c. 2. hæc ſunt verba: *Ab eo Pythagoras clarus ſapientiâ, primus volumen de earum* (herbarum) *effectu compoſuit, Apollini, Æſculapioque, & in totum Diis immortalibus inventione & origine aſſignatâ. Compoſuit & Demo-*

critus

critus, peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique magis. In his non ſatis concinnum videtur quibusdam, quod dicitur, *peragratis magis.* Neque enim dici poſſe, *magos peragrare.* Putant igitur, mendum in his eſſe, & pro voce *magis* ſubſtituendam eſſe aliam quandam. Nos nihil mutandum exiſtimamus, propterea quòd geminas ῥήσεις deprehendere licet alibi. Sanè verbo *peragrare* vulgò jungi ſolent quarti caſus nominum, ſignificantium loca aut quippiam analogum: ut *peragrare regiones, ſylvas, montes, animos.* Veruntamen & vocabula perſonarum, quæ in locis agunt, verbo *peragrare* jungi puſſunt. Iſtiusmodi ferè eſt illud Tullii pro Cornelio: *Pompeji res geſtæ omnes gentes cum clariſſimâ victoriâ terrâ marique peregrarunt.* Vides, Tullium dicere, *gentes peragrare.* Gentes autem in regionibus agunt. Sed huic tamen non prorſus ſimile videri poſſit illud quod in vulgaribus codd. Plinii legimus, *peragratis magis.* Magos enim non ſic occupare ſingula regionum loca, quemadmodum totæ gentes. Eſt, fateor, diſcrepantia quædam: ſed levis illa. Vin verò locum quendam, qui à Plinii verbis nihil quicquam diſcrepet? En ergo tibi verba S. Hieronymi ex ep. CIII. quæ ad Paulinum eſt: *Sic Pythagoras Memphiticos vates: ſic Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragravit.* Ait Hieronymus, *Pythagoram peragraſſe Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ magos.* Ceterum quod ſuperioribus Plinii verbis de Democrito dicitur, idem & alibi de eodem memoratur ab eodem Plinio.

Libro

Libro XXX. 1. ita ſcribit: *Quanquam animadverto ſummam literarum claritatem gloriamque ex eâ ſcientiâ* (magicâ) *antiquitus & pene ſemper petitam. Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc diſcendam navigavere, exiliis veriùs, quàm peregrinationibus, ſuſceptis. Hanc reverſi prædicavere: hanc in arcanis habuere.* Alibi Democritum poſt Pythagoram *Magorum ſtudioſiſſimum* vocat. Cum igitur verba Plinii de mendo ſuſpecta eſſe non debeant, probabitur ex illis ampliùs, non ſolam Perſidem, ſed & Arabiam, aliaſque regiones habuiſſe, qui Magi dicerentur. Quod ipſum ex lib. Luciani περὶ μακροβίων, etiam intelligi licet, ubi quippe hæc leguntur: οἱ καλούμενοι μάγοι. γένος τοῦτο μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Βάκτροις, καὶ Χωρασμίοις, καὶ Αρείοις, καὶ Σάκαις, καὶ Μήδοις, καὶ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις. ἐρρωμένοι τέ εἰσι καὶ πολυχρόνιοι. διὰ τὸ μαγεύειν διαιτώμενοι καὶ αὐτοὶ ἀκριβέστερον.

Vocem *Magus* apud Perſas primò uſurpatam fuiſſe ad deſignandos eos, qui ſacra curarent, & ſapientiam profiterentur, non temere ſanè inficias iverim. Videtur id conſtare poſſe ex ſummo conſenſu veterum, qui Magos Perſiæ tribuunt peculiari ratione: & vocabulum item Perſicum eſſe, confirmant. Cicero lib. I. de divinatione ſcribit, *Magos genus ſapientum & doctorum habitum in Perſis.* Appianus lib. II. de bell. civili: Βραχμᾶνες, οἱ δοκοῦσιν Ινδῶν εἶναι μετεωρολόγοι τε καὶ σοφοὶ, καθὰ Περσῶν οἱ Μάγοι. Suidas: Μάγοι παρὰ πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι. De origine ac progreſſu eorum inſignis locus eſt apud Ammianum Marcellinum in libro

bro XXIII, quem huc adſcribere non pigrabor: *Magiam opinionum inſignium autor ampliſſimus Plato Machagiſtiam eſſe verbo myſtico docet, divinorum incorruptiſſimum cultum. Cui ſcientiæ ſeculis priſcis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroaſtres. Deinde Hyſtaſpes prudentiſſimus Darii pater, qui, cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cujus tranquillis ſilentiis præcelſa Bracmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & ſiderum, puroſque ſacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit, aliqua ſenſibus magorum infudit: quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura per ſuam quiſque progeniem poſteris ætatibus tradunt.* Paucis interjectis: *Hujus origenis apud veteres numerus erat exilis, ejuſque myſteriis Perſicæ poteſtates in rebus faciendis divinis ſolenniter utebantur. Eratque piaculum aras adire, vel hoſtiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet præcurſoria. Verùm aucti paulatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt & nomen: villaſque inhabitantes nullâ murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis uti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati.* Inſignia item de ortu & progreſſu Magices Plinius habet in libri XXX principio. *Autoritatem*, inquit, *ei maximam fuiſſe nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanæ mentis complexa in unam ſe redegit. Natam primum è Medicinâ nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, velut altiorem ſanctioremque, quam Medicinam: ita blandiſſimis, de-*

ſide-

ſideratiſſimiſque promiſſis addidiſſe vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque ſuggeſſerit (ſucceſſit) *miſcuiſſe artes Mathematicas, nullo non avido futura de ſeſe ſciendi, atque ea de cælo veriſſimè peti credente. Ita poſſeſſis hominum ſenſibus triplici vinculo in tantum faſtigii adolevit, ut hodieque etiam in magnâ parte gentium prævaleat, & in Oriente Regum regibus imperet. Sine dubio illic orta in Perſide à Zoroaſtre, ut inter autores convenit. Sed unus hic fuerit, an poſtea & alius, non ſatis conſtat. Eudoxus, qui inter ſapientiæ ſectas, clariſſimam, utiliſſimamque eam intelligi voluit, Zoroaſtrem hunc ſex millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe prodidit. Sic & Ariſtoteles.* Vidi ibidem & plura. Plurima alia de iſtis Perſarum Magis teſtimonia veterum collegit Barnabas Briſſonius in libro II de regno Perſarum. Dogmata eorum brevi expoſita reperies à Diogene Laërtio in prooemio.

Quamvis autem in Perſiâ primùm Magi dicti fuerint hi, qui ſapientiæ operam darent, ac ſacra curarent: id nominis tamen crediderim ad aliarum quoque gentium Orientalium ſapientes deſignandos traductum fuiſſe, & uſurpari cœpiſſe paulò generaliùs. Eâ igitur ratione Arabibus quoque, Ægyptiis, Æthiopibus Magos tribuit Plinius, uti paulò antè oſtendimus. Sic & Lucianus ſcribit, Magos γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον eſſe apud plurimas gentes; non apud Perſas modò. In verſione Græcâ Prophetæ Danielis reperias Chaldæorum quoque ſapientes, μάγους appellatos. Ut cap. II. 2. καλέσατε τοὺς ἐπαοιδοὺς καὶ Μάγους. Et ejuſdem cap.

v. 27. *Ἀπεκρίθη Δανιὴλ ἐνώπιον τοῦ βασιλέως, καὶ εἶπε· τὸ μυστήριον, ὃ βασιλεὺς ἐπερωτᾷ, οὐκ ἔστι σοφῶν, Μάγων, ἐπαοιδῶν, γαζαρηνῶν ἀναγγεῖλαι τῷ βασιλεῖ.* Vox, quam Daniel habet, quæque iſtâ voce expreſſa eſt, eſt אָשְׁפַיָּא אָשְׁפִין/ אַשָּׁפִים. Hæc verò honeſtiſſima eſt, & *ſapientiæ operantes philoſophos, aſtrologos* ſignificat. Conjungit & Latinus Interpres *ſapientes & magos* in Danielis verſione. S. Hieronymus verò in caput II Danielis diſſerit, *Magos fuiſſe Chaldæorum Philoſophos, & ad artis eorum ſcientiam, Reges & Principes ejuſdem gentis omnia facere.*

Quemadmodum Græci Interpretes vocem *μάγος* uſurparunt, ut nim. *ſapientem, aſtrologum* ea ſignificaret: ita & in S. Matthæi Evangelio uſurpata eſt in his, *καὶ παρεγένοντο οἱ Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν.* Non, inquam, *ſapientes Perſarum* ibi ſignificat, ſed paulò generaliùs vox uſurpata eſt ad alios quoque Orientis ſapientes ſignificandos. Et iſti quidem Magi ſive ſapientes ex vicinâ Arabiâ omnino videntur veniſſe. Quod nec difficile ad credendum erit, ſi porrò conſideretur Arabes quoque ſapientiæ nomine omni ævo fuiſſe celebres: & deinde, dona iſta, quæ attulerunt Magi, ſolius ferè Arabiæ proventum eſſe. De ſapientiâ antiquiſſimorum Arabum conſtare poteſt ex hiſtoriâ Jobi. Pythagoram quoque ſapientiæ cauſâ, tum alias gentes, tum quoque Arabas adiiſſe, Porphyrius apud Cyrillum lib. X contra Julianum prodidit. Quid quòd & Plinius autor eſt, verbis iſtis, quæ initio produximus, Democritum, tum alios, tum quoque Arabiæ Magos peragraſſe? quo facto, de herbarum effectu volumen com-

compoſuiſſe. Donorum verò quæ Magi attulerunt, partim Arabia ſola ſuppeditat: partim tam ubere proventu, quàm ulla alia regio. De ture & myrrhâ inter alios autor eſt Plinius in lib. XII naturalis hiſtoriæ cap. XIV. XVI. *Principalia*, inquit, *in Arabiâ felice, tus & myrrha: hæc & cum Troglodytis communis: tura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem univerſæ.* De Sabæis, Arabiæ gente, Virgilius lib. I. Georgicorum:

India mittit ebur: molles ſua tura Sabæi.

Ovidius Arabas vocat *turilegos*. Ex ipſis quoque ſacris literis idem conſtare poteſt. Jeremiæ VI, 20. hæc leguntur: *Ut quid mihi tus de Sabâ affertis: & calamum ſuaveolentem de terrâ longinquâ?* Vide & Eſ. LX, 6. I. Reg. X, 2. II Par. IX, 1. Ex quibus locis & hoc colligere licet, Arabiam aurum ferre non levi copia: quo de ſatis etiam teſtantur Scriptores οἱ ἔξω. Plinius lib. VI. c. 28. prodidit, Ælium Gallum, exploratum id retuliſſe, *Sabæos ditiſſimos eſſe ſylvarum fertilitate odoriferâ, auri metallis.* Agatharchides Cnidius apud Photium cod. 250. ait, ὐδὲν εὐπορώτερον Σαβαίων ϗ Γεῤῥαίων εἶναι δοκεῖν γένος, ἐνταμιευομένων πᾶν τὸ πίπτον εἰς διαφορᾶς λόγον ἀπὸ τῆς Ἀσίας ϗ τῆς Εὐρώπης, *Nullam nationem Sabæis & Gerrhæis opulentiorem videri, quippe qui quicquid præſtantiæ rationem habet* (pro præſtante & elegante habetur) *ex Aſiâ & Europâ conferunt, recondunt, exhibent.* Interpres Rhodomannus parum commodè verterat, *quicquid ſub calculum tranſportationis cadit*: quo de Vir

 ſum-

ſummus & amicus noſter Th. Reineſius in lib. II. var. lect. c. 5. monuit.

Sed quibuſdam hæc de Magis ſententia parùm commoda videtur. quòd iidem leguntur veniſſe ἀπὸ ἀνατολῶν *ab Oriente* : Arabia autem ad meridiem ſita ſit. De hoc igitur nunc porrò diſpiciamus. Quod dicitur, Magos veniſſe ἀπὸ ἀνατολῶν, & Arabiam ſitam eſſe ad meridiem, id cum χώρᾳ ad Palæſtinam, & hujus præcipuam urbem Hieroſolyma, intelligendum utique eſt. Deinde Arabia poſterioribus ſeculis complexa fuit plurimas regiones, quas prioribus complexa fuerat non item. Fuit quidem alia pars Felix, alia Petræa, alia Deſerta dicta. Nobis de Arabiæ ſitu diſpicientibus, præcipua earum partium, & cui aliæ deinde acceſſerint, *Felix* nimirum, intelligenda eſt. Hanc igitur non negabimus reſpectu Hieroſolymorum ad Auſtrum ſive Meridiem vergere. Ipſa Regina עיבא *Seba*, quam ad Salomonem veniſſe, & ex ſuis terris *aurum & aromata* apportaſſe legimus, Matthæi XII. 42. βασίλισσα νότου, *Regina Auſtri* appellatur. Venit autem eadem illa ex Arabiâ, & hujus quidem iſtâ parte, quam Sabæi tenuerunt. Sed nec negari debet, Arabiam felicem reſpectu Hieroſolymorum poſſe dici ad Orientem vergere, quique ex Arabiâ veniunt Hieroſolyma, venire ἀπὸ ἀναβολῶν. Equidem non ſic dici poſſunt Arabes ad Orientem vergere reſpectu Palæſtinæ aut Hieroſolymorum, ut intelligatur, ſub iiſdem parallelis ac climatibus & Arabas eſſe, & omnem Palæſtinam. Rurſus autem nec illud dici poteſt, Arabas reſpectu Palæſtinæ aut ip-

ſius urbis Hieroſolymorum ſic ad Auſtrum vergere, ut ſub iiſdem meridianis & omnis Arabia, & omnis item Palæſtina contineatur. Sanè iſte meridianus, quo Palæſtina ſubmovetur ab iſtis plagis, quæ ſub eodem climate ſunt cum eâdem, interioris ac felicis Arabiæ vix ullam partem ſtringit, eſtque Arabia felix magis ad Orientem remota, quàm Palæſtina. Quamobrem dicendum eſt, Arabiam felicem reſpectu Palæſtinæ directè nec ad Orientem, nec ad Auſtrum vergere: revera autem vergere ad iſtas plagas, quæ inter Orientem & Auſtrum interjacent: ſi deinde κατὰ πλάτος rem conſideres, vergere tum ad Orientem, tum quoque ad Auſtrum. Nec ullâ ratione mirum id eſſe poteſt, Arabiam, cum reſpectu Palæſtinæ ad eas plagas vergat, quæ inter Orientem & Auſtrum ſunt, dici tamen ad Orientem vergere. Siquidem ignotum non eſt, S. Scripturas ſæpiſſime παχυμερῶς καὶ κατὰ πλάτος, tum res alias, tum quoque locorum ac temporum intervalla proponere. Cujus rei plurima licet exempla producere: in præſentiâ tamen non alia, quàm quæ de locis ac regionibus ſint, nos producemus.

In Pſalmo CVII. v. 3. quatuor plagæ mundi demonſtrantur talibus verbis: ומארצות קבצם ממזרח וממערב מצפון ומים *Ex regionibus congregavit illos, ab oriente, & ab occidente, ab aquilone, & à mari.* In his mare non poteſt aliud intelligi, quàm mediterraneum. Palæſtinam, ut notum eſt, alluunt tria maria. Quorum tamen duo, lacus potiùs

ſunt, quàm maria. Dicuntur vulgò Aſphaltites, & lacus Tiberiadis. In ſacris literis autem prior quidem ים המלח *mare ſalis*, itemque לשון הים *lingua maris* appellatur: alter verò dicitur כִּנֶּרֶת, & in N. T. levi literarum mutatione factâ, λίμνη γεννησαρέτ. Tertium mare in ſacris dicitur ים הגדול *mare magnum:* itemque ſine addito ים. Duorum priorum in productis Pſalmi verbis neutrum poteſt intelligi, tum quia vox ים ſine addito eſt poſita, tum quòd cætera id non permittunt. In cæteris demonſtratæ ſunt tres plagæ mundi, oriens, occidens, ſeptentrio. Quarta plaga demonſtrata eſt voce מים *à mari.* Nec poteſt alia eſſe, quàm Auſtralis. Sed ad hanc nullo modo dici poteſt reſpectu Hieroſolymorum vergere vel Aſphaltites, vel lacus Tiberiadis. Si verò mare mediterraneum intelligamus, idemque dicamus reſpectu Hieroſolymorum ad Auſtrum vergere, id cæteris S. Scripturæ formulis loquendi ſatis congruum eſt. Solet quippe S. Scriptura plagam iſtam, quæ mari mediterraneo oppoſita eſt, ſeptentrionalem vocare: eam, inquam, quæ potiùs orientalis dicenda fuerit. Sæpiſſime hi qui Babylone veniunt in Palæſtinam, in ſacris literis dicuntur venire מצפון *à ſeptentrione, ab aquilone.* In cap. 1. Jeremiæ v. 4. hæc leguntur: מצפון *ab aquilone pandetur omne malum ſuper omnes habitatores terræ: quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & venient & ponent unusquiſ-*

Digitized by Google

quisque ſolium ſuum in introitu portarum Jeruſalem &c. In his utique deſignantur Babylonii ſive Chaldæi, ut facilè apparet. Iidem verò dicuntur in Palæſtinam venire ab Aquilone. Ex quo intelligitur, Babyloniam reſpectu Palæſtinæ ad aquilonem ſive ſeptentrionem vergere. In cap. IV ejus Prophetæ de Hebræis prædicitur, eos de terrâ aquilonis, hoc eſt, ex Chaldæa, Aſſyriâ, finitimiſque regionibus redituros in Palæſtinam. Verba v. 18. ita habent: *In diebus illis ibit domus Juda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terrâ aquilonis ad terram, quam dedi patribus veſtris.* In c. XLVI. 24. Babylonii dicuntur *populus aquilonis.* Atque id perpetuum eſt in Jeremiæ vaticinio, Babyloniam reſpectu Palæſtinæ dici ad aquilonem vergere. In Zachariæ capite II conſimilia reperimus iſta: *O, o, fugite de terrâ aquilonis: quoniam in quatuor ventos cœli diſperſi vos.* Vide & cap. VI. 6. Quoniam igitur Babylonia reſpectu Palæſtinæ ad aquilonem vergere toties dicitur, nihil mirum eſt, in prædicto Pſalmo mare mediterraneum reſpectu ejuſdem Palæſtinæ dici ad auſtrum, ſive meridiem vergere, plagam puta alteri oppoſitam. Neutrum autem iſtorum putandum eſt κατ' ἀκρίβειαν γεωγραφικῶς eſſe dictum, ſed verò paulò diverſâ ratione. Sic etiam, quod mirere, Jer. L, 3. Perſia reſpectu Babylonis dicitur ad aquilonem vergere. Verba ita habent: *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt omnia ſculptilia ejus. Quoniam aſcendet contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram ejus in ſolitudinem,* &c. Hic per gentem, quæ ab Aquilone ventura

tura prædicitur contra Babylonem, intelligendi utique ſunt Perſæ, qui auſpiciis Cyri expugnarunt Babylonem, cum Nabonnedus, Babyloniorum Rex, urbe abeſſet. Ceterum eodem modo, quo plagæ mundi demonſtrantur in prædicto Pſalmo, eædem quoque demonſtrari videntur in capite XLIX, Eſaiæ v. 10. his quidem verbis והנה אלה מצפין ומים ואלה מארץ סינים (יבואו) *Et ecce hi à ſeptentrione, & à mari* (Mediterraneo, hoc eſt, meridie, plagâ oppoſitâ) *& iſti à terrâ Sinim venient.* Alibi autem ſacris Scriptoribus libuit plagas mundi paulò aliter deſcribere. Gen. XIII. 14. leguntur iſta: *Circumſpice ex loco, ubi tu es,* צפונה ונגבה וקדמה וימה *ad ſeptentrionem, & ad meridiem, & ad orientem, & ad mare* (Mediterraneum, hoc eſt, ad occidentem.) In his ea plaga, quæ per mare mediterraneum deſignatur, non poteſt eſſe alia, quàm occidentalis. Cæteræ enim plagæ aliis nominibus, iiſque ſatis notis, deſignatæ apparent. Nec iſta plaga, verſus quam mare mediterraneum vergit, opponitur hic ſeptentrioni, ut in ſuperioribus; ſed orienti. Gemina alia habentur in eodem libro Geneſeos, atque item in aliis.

CAP.

C A P. XII.

Conſiderata quædam Plutarchi verba. De vocabuli Virtus *ſignificatione ex iiſdem* ἀρετή. *Autores ſæpe ſub ejus, quâ ipſi utuntur, linguæ vocabulis diſſerere de vocabulis alterius linguæ. SS. Apoſtoli ab ipſo Chriſto* שליחין *dicti. De nomine* Πέτρος, *Græcos vocabula in* a *deſinentia non conſtituere nomina propria, niſi aliam* πτῶσιν *addiderint. Latinos diſcrepare. Porphyrius antea dictus* Μάλχος Ορος ἰλαι *Punici Chriſtiani quomodo appellarint Baptiſmum & ſacram Cœnam. Pœnos dialecto uſos fuiſſe Hebrææ valde vicina.* Λελύσθαι τῶν νόμων *apud Dionem. Ægyptios imitatos fuiſſe Hebræos in eo quod apud ipſos ſummo judici cauſas judicaturo, inſigne quoddam ex collo pependit. De armaturæ Romanæ nominibus Græcis, quibus eam expreſſit Polybius. Tiberium dictum eſſe* προὔχοντα τῆς γερουσίας. *Quomodo id intelligendum apud Dionem.*

PLutarchus, cordatus ſcriptor, in Marci Coriolani vitâ inter alia hæc ſcripſit: ὅλως μὲν οὖν ἐν τοῖς τότε χρόνοις (τοῦ Μαρκίου) ἡ Ῥώμη μάλιστα τῆς ἀρετῆς τὸ περὶ τὰς πολεμικὰς καὶ στρατιωτικὰς ἐκύδαινε πράξεις, καὶ ἐμμαρτυρεῖν, τὴν ἀρετὴν ὑπ' αὐτῶν ἑνὶ τῷ τῆς ἀνδρείας ὀνόματι προσαγορεύεσθαι, καὶ τοῦτο τοῦ γένους ὄνομα κοινὸν ὑπάρχειν, ᾧ τὴν ἀνδρείαν ἰδίᾳ καλοῦσι. Cruſerius ita vertit: *Omnino habebat illis quidem temporibus Roma præ cæteris virtutibus artes bellicas & militares in honore. Quod confirmatur ex eo, quòd virtutem illi ab uno fortitudinis nomine deducunt: & cum eo peculiari vocabulo fortitudi-*

tudinem nuncupent , communis ſit tamen generis appellatio. Ex his quid colligemus? An illud, Græco vocabulo ἀρετή ſeorſim appellatam eſſe fortitudinem. Sanè de Romanis loquitur Plutarchus. Quod igitur ſcribit, de nomine tributo fortitudini, id de Latino vocabulo *virtus* intelligendum videtur; non de Latino ἀρετῇ. Si verò ſic intelligamus, utrum colligendum eſt ampliùs, vocabulum *virtus* primitus proprium fuiſſe fortitudinis, atque adeò huic vocabulo etiam ἰσοδυνάμον, poſt autem tributum fuiſſe his quoque, quæ cum fortitudine ſunt ἐν τῷ αὐτῷ γένει; ita quidem, ut genus ſignificare cœperit, cum antea unam hujus ſpeciem ſignaret? An verò ita ſtatuendum, vocabulum *virtus*, cum antea commune fuiſſet cæteris quoque rectis animi affectionibus, ut Tulliano verbo utar, pòſt proprinm factum fuiſſe fortitudinis? Ut colligamus prius iſtorum, ſuadere videntur quædam Tullii, quæ in Tuſc. qq. ſecundo leguntur. *Vide*, inquit, *ne, cum omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium, ſed ab eâ unâ, quæ cæteris excellat, omnes nominatæ ſint. Appellata eſt enim à viro virtus. Viri autem propria eſt fortitudo.* Quibus verbis Tullius videtur id voluiſſe, vocabulum *virtus* fortitudini primitus fuiſſe proprium, pòſt autem ad cæteras quoque rectas animi affectiones, hoc eſt, ad virtutes traductum: atque ita vocabulum cœpiſſe genus ſignificare, cum antea ſignificaſſet ſpeciem.

Quòd de Latinorum vocabulorum *virtus* & *fortitudo* vi ac ſignificatione Plutarchus diſſerit ſub græcis vocabulis ἀρετὴ & ἀνδρεία, ei complu-

ra gemina deprehendere licet in ſcriptoribus tam ſacris, quàm profanis. S. Lucas c. VI. 13. ita loquitur: ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασε. Ex his non eſt colligendum, Chriſtum ſanctos duodecim viros appellaſſe iſto Græco vocabulo; ſed verò, ipſum appellaſſe eoſdem vocabulo ſuæ Hebrææ Linguæ, quod Græco iſti ſignificatione congrueret, vocabulo puta שְׁלִיחִין, quod *miſſos*, *nuncios*, ſignificat. Cum igitur Græca verteret paraphraſtes Syrus, is ipſam vocem Hebraicam ſive Syriacam שליחא reſumpſit. S. Marcus c. III. 16. Καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον, *Et impoſuit Simoni nomen Petrus.* Ex eo itidem colligendum non eſt, ipſum Chriſtum iſtud Græcum nomen indidiſſe Simoni. Chriſtus enim non Græcè fuit locutus, ſed Syriacè, ſive dialecto Hebræâ, quæ tum obtinebat, hoc eſt, Hieroſolymitanâ. Scimus item ipſum nomen Syriacum ex aliis locis. S. Johannes c. I. 42. ita narrat, Chriſtum dixiſſe, Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς: & deinde addit interpretationem his verbis, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος. Syriacum igitur fuit כֵּיפָא. Cui ſignificatione reſpondet Græcum Πέτρα. Atque hoc ipſum ſancti Evangeliſtæ ſæpe poſuerunt pro Syriaco. Sed additâ aliâ πτώσει: quæ nimirum nominibus propriis virorum competeret. Græca enim in α deſinentia, nomina propria Virorum non fiunt, niſi alia terminatio acceſſerit. Apud Latinos nomina in A terminata poſſunt propria fieri, ita ut terminatio nihil quicquam mutetur. Talia ſunt Dolabella, Scrofa, Muſca, Merula, Sura, Ruga,

Penu-

Penula, Gutta. Apud Græcos autem aliter fit. Non indunt hi nomen Σφαῖρα alicui, niſi terminationem mutarint. Vocant igitur Σφαῖρον. A μυῖα dixerunt Μυῖον: à Σαῦρα Σαῦρον. Sic & ex vocibus Hebrææ aut alterius linguæ nomina propria faciunt Græci, ita ut πλῶσιν mutent. Ex מַלְכָּא fecerunt nomen Μάλχος: quod inter alios Porphyrius habuit, antequam merum Græcum cognatæ ſignificationis à præceptore ſuo Longino, ipſi inderetur. Sed ejus rei, quam exemplis illuſtrare inſtitueramus, adhuc paulò plura colligamus. S. Lucas capite XXIII. 33. ait: τόπος, ὁ καλούμενος κρανίον. Matthæus autem capite XXVII eadem memorans: τόπος λεγόμενος Γολγοθᾶ. Addit item interpretationem his verbis: ὁ λεγόμενος κρανίου τόπος. Ergo ex verbis Lucæ non eſt colligendum, locum habuiſſe nomen Græcum κρανίον. Eſt autem idem illud ſic intelligendum, locum habuiſſe nomen Hebraicum, cui iſtud Græcum ſit ἰσοδυνάμον. Aliud exemplum ejus rei, quam dixi, eſt Luc. XXI. 37. τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν. Non iſtis Græcis vocabulis mons appellabatur à Judæis, ſed Hebraicis, quibus iſta Græca æquipollent הר הזיתים.

Ex illis quoque ſcriptoribus, qui θεόπνευστοι non fuerunt, imò nec fideles, complura licet ejus rei exempla congerere. De Punicis Chriſtianis ſcribit S. Auguſtinus lib. I. de pecc. meritis & rem. c. 24, *eos baptiſmum nihil aliud, quàm ſalutem: ſacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quàm vitam vocare.* Quod de Punicis Chriſtianis id ſeorſim dicit, hoc eſt, de his qui linguâ

guâ Punicâ uterentur, ex eo intelligi poteſt, ipſos nos uſos fuiſſe iſtis Latinis vocabulis *ſalus*, *vita*, ſed uſos fuiſſe vocabulis ſuæ linguæ, quibus iſta Latina ἰσοδύναμα eſſent. Et cum Pœnos dialecto ſciamus uſos fuiſſe, quæ Hebraicæ admodum affinis fuerit, (quod & ipſe, Auguſtinus non uno loco diſerte ſcribit) conjicere cet, ipſos baptiſmum vocaſſe vocabulo ישועה aut תשועה; aut certè vocabulo ejuſdem originis: ſacramentum corporis Chriſti autem חיים vocaſſe. Dio Caſſius lib. LIII de Imperatoribus ſic ſcribit: Λέλυνται τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει, τουτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἰσὶ, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. *Soluti ſunt legibus, ut ipſa Latina verba dicunt, hoc eſt, liberi ſunt ab omni legum coactione, nec ullâ lege ſcriptâ tenentur.* Ait Dio, Imperatores λελύσθαι τῶν νόμων, utiturque vocabulis Græcis: & tamen addit, *ipſa Latina verba ita dicere.* Intelligit autem Latina verba, quæ iſtis Græcis, ſi verbum verbo reddere velis, reſpondent. De ſummo judice Ægyptiorum prodidit Diodorus Siculus in lib. I. Bibliothecæ, ipſum habuiſſe τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου, *veritatem de collo pendentem.* Quod ipſum in eodem libro ſic quoque exprimit: ἐφόρει δὲ οὗτος (ἀρχιδικαστὴς) περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν. Τῶν δὲ ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο, ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο. *Geſtabat ſummus judex circa collum ex aureâ catenâ ſimulacrum è pretioſis lapidibus, quod dixerunt veritatem. Lites autem tum ventilari incipiebant, cum iſtud veritatis ſimulacrum judex ſibi applicaſſet.* Ex

his

his an colligemus, Ægyptios iſto Græco vocabulo ἀλήθεια in deſignando ſimulacro fuiſſe uſos? Vix videtur id ita intelligendum. Sanè id ex antiquiſſimis Ægyptiorum ritibus fuit, quòd tale ſimulacrum ſummus judex ſibi applicaret: idque ex ſacris ritibus Hebræorum iidem videntur hauſiſſe. Inter Hebræos ſummus Sacerdos applicare ſibi ſolitus fuit inſigne quoddam, אורים ותומים, dictum, quoties de eventu quodam dubio conſulendus Deus fuit. Idem ſummus Sacerdos apud antiquiſſimos Hebræorum, ἀρχιδικαστής, *ſummus Judex*, etiam fuit. Quippe Deut. XVII jubentur Hebræi cum in Palæſtinam veniſſent, & de jure non ſatis liqueret his, qui in ſingulis civitatibus cauſas judicabant, adire ſacerdotes Levitas, qui in ſancto loco miniſtrarent, eorumque judicium exquirere. Inter iſtos autem Sacerdotes ut de cætero primarius fuit כהן גדול *Sacerdos maximus*, qui & כהן הראש dicebatur: ita & in cauſis judicandis idem ſine dubio primas partes tenuit. Cum igitur Hebræi iſtiuſmodi ritum haberent, ut ſummus Sacerdos quandoque inſigne quoddam ſibi applicaret, Ægyptiis libuit eſſe Hebræorum ſimiis, & ſuo quoque ἀρχιδικαστῇ pro tribunali ſedenti applicare ſimulacrum quoddam. Apud Hebræos ritus iſte jam tum deſiit, cum ex captivitate Babylonicâ ipſi primùm reverterentur in Palæſtinam. Neque igitur iſtis demum temporibus Hebræos imitari cœperunt Ægyptii. Imitati eoſdem fuerunt, cum ipſi ritum adhuc haberent, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam. Tum verò inter

Ægyp-

Ægyptios nondum invaluerat uſus Græcæ Linguæ: ſed invaluit idem ille tum demum, cum in Ægypto dominari cœpiſſent Græci. Quare nec ſimulacrum illud, quod inter Ægyptios ſummus judex ſibi applicare ſolitus fuit, dici ab ipſis potuit Græco vocabulo ἀλήθεια, quod apud Diodorum eſt, ſed dictum idem fuit vocabulo Ægyptiaco. Quia tamen Græcæ Linguæ uſus apud ipſos Ægyptios invaluit tandem, credere licet, pro vocabulo Ægyptiaco quandoque etiam uſurpatum fuiſſe Græcum ἀλήθεια, quod ei ſignificatione reſpondet. Ceterum de eodem ritu Ægyptiorum eſt etiam inſignis locus apud Ælianum lib. XIV. c. 24. quem & ipſum adſcribam: δικασταὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν. ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων, καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα, ἀλήθεια, *Judices apud Ægyptios antiquitus erant ſacerdotes.* (quemadmodum & apud Hebræos) *Inter hos verò primarius erat, qui natu eſſet maximus, & judicabat omnes. Oportuit autem ipſum eſſe juſtiſſimum hominem, & nemini parcentem. Habuit autem circa collum imaginem ex ſapphiro: eaque imago appellabatur veritas.* Non verò tantum modo iſtum applicandæ imaginis ritum, ſed & complures alios Ægyptii ab Hebræis hauſerunt. Quos congeſtos reperies in eximio opere de Hermeticâ medicinâ, quod vir ſummus, noſterque amicus, Herm. Conringius ante paucos annos edidit.

Aliud exemplum ejus rei, de quâ ante dicebamus, eſt apud Polybium in libro VI, ubi

armaturam Romanam deſcribit : Χάλκωμα σπιθαμιαῖον πλάτῃ πάντως προστίθεται πρὸ τῶν στέρνων. καλοῦσι δὲ καρδιοφύλακα. Loquitur ſanè Polybius de Romanis. Et hos dicit æream laminam XII. ab omni parte digitorum, pectori apponere. Ampliùs id vocare καρδιοφύλακα. An autem putabimus, Romanos milites in deſignandâ laminâ iſtâ, uſos fuiſſe vocabulo Græco? Non licet ita. Quamobrem quod Polybius ſcribit, id ita intelligamus, Romanos uſos fuiſſe Latino vocabulo; cui iſtud Græcum ſit ἰσοδυνάμον. Sic quoque accipiendum, quod idem ſcribit; Romanos προσαγορεύειν ταξιάρχους, τάγμα, σπεῖραν, σημαίαν. Ex Dione Caſſio geminum & hoc afferre licet de Tiberio dictum: πρόκριτος τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὀνομάζετο. Καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν, ὅτι δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι. Non id vult Dio, Tiberium ſecundum antiquum morem dictum fuiſſe πρόκριτον τῆς γερουσίας; iſtis, inquam, vocabulis Græcis: ſed dictum fuiſſe vocabulis Latinis, quorum vis ac ſignificatio iſtis Græcis exprimi poſſit, his puta, *Princeps Senatus*. Priſcis temporibus non dicebatur Princeps Senatus, quòd poteſtatem haberet Senatui præſcribendi, ſed quòd primarius eſſet. Quam vocabuli vim Dioni exprimere libuit Græco πρόκριτος: quod & utique talem ſignificat, qui προκρίνεταί τινος, *alicui præfertur, anteponitur*. Sic & alia quædam in allegatis verbis Dionis ſunt intelligenda.

XXI. JOH.

XXI.

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII

DE

LOCO CLASSICO

Gen. XLIX. 10.

לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי
יבא שילה ולו יקהת עמים:

Non deerit ad adventum usque Meſſiæ Legiſlator, ex lumbis, ſeu ſemore, hoc eſt ſemine Judæ, continue naſcendus.

AD

CHRISTOPHORUM ARNOLDUM

Virum Clariſſimum

DISSERTATIO.

Digitized by Google

CHRISTOPHORO ARNOLDO

Viro Clariſſimo

JOH. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS

S. P. D.

CUm per hos dies, in Urbe degens, more meo, ad te, CLARISSIME ARNOLDE, viſerem, producto inter nos per horam unam & alteram de rebus litterariis familiari colloquio, denique id a diſceſſuro ſcire expetebas, quid egerim ego hactenus, quid agam, quid velim agere? Quoniam vero ex jure antiquæ neceſſitudinis noſtræ, mea conſilia omnia tibi credere ſoleo, juſſui tuo me obſequi conveniebat, profeſſusque ſum, in certæ ſpem gratiæ Domini & Servatoris mei, aliis rebus miſſis, hujus me cauſam adverſus ſacrilegum nebulonem R. Lipmannum, defendendam ſuſcepiſſe. Scilicet, fuiſſe me dies pluſculos in eo, atque etiamnum illo labore diſtringi, ut ſolide confutem, impium & ferale illud *ἀνέκδοτον* Carmen, quo, breve quaſi impietatis, ac blaſphemiæ corpuſculum faciens, ſummam abominandi libri נצחון complexus eſt, & quod tu, apud Batavos degens, ex Vorſtiano Lipmanni MS. Codice tibi quondam deſcripſeras, mecumque

communicaveras, quodque uni meorum MSS. pari ratione ſubjunctum deprehenditur. Addebam, hoc opere confecto, recenſiturum me varios libellos Hebraicos Chaldaicosque, multiplicis argumenti & eruditionis, quorum major pars nondum in lucem venerit: quæ omnia in unum volumen compingendo, editurum me non ſpernendam ſcriptorum Judaicorum farraginem. Poſtquam vero tu cœptis noſtris bene ominatus fueras, Lipmannianum Carmen redibat in memoriam, deque eo inter nos convenit; haud alio fine a nequam homine ſcriptum videri, quam ut memoriæ conſuleret tribulium, & ut ſemper in promtu haberent, quod Chriſtianis diſputando moleſtis eſſe volentibus, usque ad aurem oggannirent. Agnoſcebamus ſimile Præſtantiſſimi Viri, Hugonis Grotii, ſed fine contrario, inſtitutum; qui, prorſus eodem modo, ea quæ de Veritate Religionis Chriſtianæ, in carcere ſuo præclare meditatus fuerat, primum vernaculis verſibus, (quorum à Martino Opitio, Germanicæ poëſeos aſſertore, facta translatio apud nos extat) incluſiſſe deprehenditur. Nimirum, id Viri re æque ac nomine Magni, erat conſilium, ut gens ſua, egregium poëma probe ediſceret, ac inſigni illa navigandi ſolertia, qua cæteras omnes totius mundi nationes facile vincit, tanquam divino beneficio, non ad quæſtum tantum, ſed & veræ religionis propagationem uteretur. Atque, ut per longinqua itinera, aut in Paganos, ut in Sina & Guinea, aut in Mahumetiſtas, ut ſub imperio Turcæ, Perſæ, & Pœnorum, aut in Ju-

Judæos, per maximas terrarum orbis partes diſperſos, incidentes Batavi, revincendis erroribus incumberent, aut ſaltem caverent, ne ab infidelibus vincantur. Verum enim vero, cum de præſidiis Judæos impugnandi, poſtea quædam dixiſſemus, & inter reliqua, Dicti Claſſici Geneſ. XLIX. 10. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים: facta eſſet mentio, tu, propemodum aſſentiri Nobiliſſimo cuidam Viro, te dicebas, qui non ita pridem edita Diſſertatione, locum Librariorum vitio corruptum pronunciaverit, & merito cenſuerit, pro רגליו ex Samaritano דגליו reſcribendum eſſe. Quæ aſſertio, cum præter opinionem a me percepta eſſet, ibi, non ego putaram, inquam, hodie nos tam diſcordes ſeparationem ab invicem facturos, parum enim diei quod ſupereſt, vereor ut ſufficiat ad mentem tuam mihi perſuadendam. Non diſſimulo, pergebam, doctam & ingenioſam eſſe hanc conjecturam, meque eam cum ſenſu quodam & voluptate didiciſſe: interim pro vera illam admittere non auſim, imo ne alteram quidem, neſcio cujus Autoris, recentiorem, quæ duritiem prioris, unde nata eſt, ſententiæ emolliens, verbum רגליו retinet, & de pedeſtri exercitu nove exponit. Cæterum, cum tu cauſas rei ſciſcitareris, reſpondi, habere me non frivolas, quin & in ipſa Confutatione Lipmanniani Carminis, quia dictum hoc ab impuri hominis corruptelis vindicandum erat, ex occaſione totum hoc argumentum prolixius

jamdum me perſequutum eſſe, non quidem, quod ſerio teſter, animo cuiquam ægre faciendi, illumque refellendi, (id enim a me alienum,) ſed ſolius veritatis inquirendæ ſtudio. Quibus auditis, ſummopere a me flagitabas, iſta tecum communicarem, ut videas num merito diſſentiam, atque ego pollicitus ſum; deſcripturum me ex ſchedis meis verbo tenus fragmentum integrum, prout illud edere conſtitueram, & curaturum ut mature ad te perferatur. Ecce tibi, VIR CLARISSIME, libero nunc fidem meam, & legas hic licet, quæ pro ingenii mei tenuitate ſum commentatus. Ea vero ſi minus probabis, meum tamen tibi morem gerendi ſtudium utique gratum erit advorſum te; qua fiducia fretus, ipſam Diſſertationem citra ulteriores ambages ſubjicio.

PRopoſitum mihi, cum cura tractare locum Gen. XLIX. 10. inprimis quantum ad verba ומחקק מבין רגליו attinet, circa quorum ſenſum hærent Interpretes, non exigua conſtricti difficultate. Extabant vulgo hactenus inter Chriſtianos pariter Judæosque, duæ præcipue dicti explicationes. Harum una, reſpiciens morem, quo Doctores olim apud antiquiſſimos Judæos in cathedra excelſiore, ab illorum vero ore pendentes Diſcipuli, humi, & ad Magiſtrorum pedes conſediſſe creduntur, locum ſic exponit, quaſi diceretur: *Non deerunt Doctores inter Judæos, ad quorum pedes Diſcipuli ſedeant, donec veniet Meſſias.* Altera, de generandi modo verba accipiens, id ſignificari

ſicari contendit: *Non deerit ad adventum uſque Meſſiæ Legislator, ex lumbis, ſeu femore, hoc eſt ſemine Judæ, continue naſcendus.* Enim vero, utramque hanc opinionem, peculiari Diſſertatione, prolixe eruditeque nuper diſcuſſit, Nobiliſſimus quidam & eximiæ dignationis Vir, multisqve in medium allatis rationibus, ſolide (ſi quid nos judicare poſſumus) oſtendit, neutram ſcopum ferire, nec poſſe eas admitti. Scilicet, reſpectu prioris ſententiæ, merito urget, haud bene de Diſcipulis dici poſſe, quod בין רגלים ſive μεταξύ aut ἐν μέσῳ τῶν ποδῶν *inter pedes*, vel *in medio pedum* Doctorum ſuorum ſedeant, cum potius, ſi hoc intendiſſet Scriptura quod perhibetur, לרגלים hoc eſt παρὰ τοὺς πόδας, quæ in Novo Teſtamento non infrequens locutio ſit, ſive, *ad pedes*, dicere illam oportuiſſet. Tum vero, probe obſervat, etiam admiſſa illa vulgari explicatione, non tam tolli difficultatem, quam augeri. Cum enim non de Diſcipulis, ſed de Doctore ſermonem eſſe, interpretationis iſtius Patroni contendant, & vero pro Juda Judæ poſteros intelligere omnis ratio flagitet, jam minime in Doctorem, phraſin *ſedere ad pedes*, aut *recedere à pedibus*, quadrare ait, quippe, qui ad caput diſcentium Judæ poſterorum, ſeſſitaverit. Eſt proinde dura locutio cum quis id dicere Scripturam contendit: *Non receſſurum Sceptrum à Judæ poſteris, neque Doctorem ab eorundem pedibus, ad Meſſiæ uſque adventum.* Sed, nec minus dura & inſueta eſt illa expoſitio, quæ ex altera ſententia tandem emergit,

ſecundum quam ſermo omnino ita concipiendus fuerit: *Non recedet vel auferetur Sceptrum de Juda, & non recedet ſeu auferetur Doctor, vel, ut aliis placet, Legislator, de medio pedum Judæ, ſeu de genitalibus aut femore Judæ.* Namque verbum סור pertinet ad utrumque orationis membrum, nec aliter exponendum in poſteriore, quam in priore erat factum. Atque his, aliisque argumentis, nos plane acquieſcimus, iisque quatenus prior ſententia impugnatur illud ſuccenturiatum addi poteſt, quod in Commentario ad Sotam p. 993. ſeqq. idoneis veterum Talmudiſtarum teſtimoniis oſtenſum nobis eſt, inde, a Moſis temporibus, ad ætatem usque R. Gamalielis, atque ſic ad Meſſiam usque exhibitum & amplius, ſtantes in pedibus diſcipulos, a ſedendibus Præceptoribus ſuis fuiſſe edoctos, & incongrue accepiſſe pleroſque Interpretum verba Pauli Act. XXII. 3. Ἐγώ μέν εἰμι ἀνὴρ Ἰουδαῖος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας, ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ, πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου: quorum, apud veterem Vulgatum, hæc verſio eſt & vulgo interpunctio: *Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis.* Neque vero aliam ob cauſam, quam quod pleriſque creditum eſt, profiteri Apoſtolum, ſe ad Gamalielis pedes ſedentem, legi divinæ diſcendæ operam navaſſe, illa prior Jacobæi Oraculi explicatio

tanto-

tantopere ſe videtur noſtris Expoſitoribus commendaſſe. Cum igitur verborum ומחקק מבין רגליו communia interpretamenta, locum non inveniant, nova ratione, Vir laudatus, rem illuſtrare aggreſſus eſt, ac Hebræum textum, quem hic corruptum opinatur, emendando, legendum eſſe cenſet, prout Samaritanus Codex habet, ומחקק מכין רגליו levi unius elementi immutatione. Iſto fundamento ſubſtrato, porro מחקק de *Belli Duce*, רגליו ceu res ipſa poſtulat, de *vexillis* & *ſignis militaribus* accipit, ut ita ſenſu plano facilique in integro illo Scripturæ dicto id doceatur: *Non ablatum iri Sceptrum ſive Principatum de Juda, neque Ducem belli de vexillis ejus, inter quæ ſcilicet verſari ſolet, donec venerit Siloh.* Sive, quod idem eſt: *Tribum Judam tam diu habituram ſuos Principes ac Duces, aut jura pacis & belli, donec venerit Meſſias.* Equidem, non diffiteor, ſolertem, ingenioſamque eſſe hanc conjecturam, & omnino talem, ut ejus nunquam autorem pœnitere debeat. Quamobrem, ſi de ullo alio, præter Sacras Literas, Scriptore ageretur, citra hæſitationem aſſenſum præberem, nec verbum ullum commutarem amplius. At enim, quia ipſius Sacri Codicis lectio in controverſiam venit, nemo æquus rerum æſtimator mihi vitio, quod ſpero, vertet, ſi caute & cum circumſpectione hic verſor, nec tam facile a conſtanti omnium Hebræorum Codicum, tot inſuper vetuſtiſſimorum Interpretum teſtimoniis confirmata ſcriptura, me dimoveri patior. Iterum enim iterumque hoc publice profiteor,

me illi Sectæ nomen dediſſe, cui religio eſt, citra antiquorum Codicum, aut Tranſlatorum fidem, & præſentem ac urgentiſſimam inſuper neceſſitatem, vel apicem minimum in Sacris Literis Antiqui, imo & Novi fœderis, ex ingenio immutare. Interim, non id velim ego, omnes Scribas, quorum opera hodiernus Veteris Teſtamenti Codex ad nos pervenit, fuiſſe ἀναμαρτήτους & θεοπνεύστους, quin potius olim Codices Hebræos inter ſeſe alicubi variaſſe non ibo inficias: At nego, tam corruptam, in claſſico præſertim loco, noſtrorum librorum eſſe uſpiam lectionem, ut nobis ſine antiquitatis præſidio, ex ſola conjectura emendanda veniat, idque cœleſtem in his rebus Providentiam, ea qua par eſt pietate ſuſpiciens, firmiſſime ſum perſuaſus. Cæterum, hæc minime adverſus Virum Nobiliſſimum faciunt, eadem enim nobiſcum in ipſa, quam prædicavimus Diſſertatione animatus eſt, nec ex ſeſe novam lectionem comminiſcitur, verum illam ſuggerit, quam Samaritani exemplaris tuetur autoritas. Ut ergo propius ad rem accedam, jam iſtud indicandum venit, nondum vel ſic comprobatum eſſe, variantem fuiſſe quondam in bonis & probis Hebræorum Libris, hoc loco lectionem. Nam, ut unus ſolusque Samaritanus Codex ſe mihi commendet, & adverſus innumeros alios, turbamque Paraphraſtarum & Tranſlatorum veterum conſiſtat, prius certus eſſe debeo, ex optimo Codice Hebræo fuiſſe expreſſum; non deceptum fuiſſe exſcriptorem ſimilitudine elementorum Daleth &

Reſch

Reſch; idem prorſus legi in omnibus Samaritanis exemplaribus, nec in his potuiſſe confundi duas has ר & ר æque ac in Hebræo admodum affines literas; denique probandum, a mendis cæteroquin Samaritanum exemplar plurimùm immune eſſe. Hæc omnia inquam ſolide mihi demonſtrentur opus eſt, antequam ſuſpicionem admittam, minus olim quam nunc inter ſe concordaſſe Hebræos Codices; quæ probatio, difficilis futura eſt, imo in tantâ exemplarum Samaritanorum, quæ nobis ſuppetunt, paucitate, παρὰ τῶν ἀδυνάτων. Sed eſto, fuerit in Antiquorum libris diſcrepantia, neutiquam tamen a trita uſitata totque ſuffragatoribus confirmata lectione diſcedo, niſi me hinc abigat, & ad Samaritanum confugere compellat ultima neceſſitas, quali nos nondum urgeri, ex dicendis patebit. Addo illud quoque, quod, ſi maxime in alio Scripturæ loco facilis eſſem ad acumini critico quid indulgendum, non id tamen in hoc præſenti facturus eram, quando ad Judæos confutandos illo mihi ſummopere opus eſt. Hi vero, ſi receptam lectionem me ſolicitare deprehendant, Dei hominumque fidem continuo inclamabunt, & tam deſperatam cauſam noſtram eſſe criminabuntur, ut neceſſe ſit a Scripturæ depravatione remedium petere. Ne igitur Claſſicum dictum, quo veritas Chriſtianæ religionis adverſus infideles Judæos quam maxime confirmatur, nobis fiat inutile, & offendiculo iis ſimus, retinenda eſt vetus lectio, & potius de commoda ejus interpretatione diſpiciendum. Et vero, videntur hoc agere eruditi

eruditi: Etenim, non multo poſt editam illam, quæ nos hactenus occupavit, Diſſertationem, continuo circumferri cœpit alia, incertum cujus autoris, ex priore nupera ſine dubio enata, nova rurſus & elegans expoſitio, quæ cætera alterius veſtigia premens, רגליו de *peditatu* ſive *pedeſtri exercitu* accipit, atque ſic vulgatam ſcriptionem ſervando, eundem prorſus ſenſum exhibet, quem ſecundum Samaritanum immutata lectio progeneraret. Veriſimile eſt, hanc explicationem multos reperturam adſtipulatores, & ipſe eam propemodum amplecterer, niſi quidam ſcrupuli obſtarent, qui mentem inquietant, nec plene planeque aſſentiri permittunt. Scilicet, nondum a me impetro, ut credam, de Belli Duce Jacobo ſermonem fuiſſe, eumque, niſi me omnia fallunt, excludit quodammodo contextus συνάφεια. Nimirum, de *Sceptro* mentio præcedit, quod quatenus inſigne Principum eſt, (prout hoc loco accipi debet,) neſcio an ullis Scriptoribus, de poteſtate, ſolam togatam Rempublicam, & prout a bellico imperio diſtinguitur, adminiſtrandi, fuerit uſurpatum. Imo, ſi rem recte reputemus, militarium magis Ducum, quam in pace regentium Rempublicam, Sceptrum apud veteres fuit ſymbolum. *Per ea adhuc tempora*, inquit, l. 43. c. 3. de incunabulis Romæ loquens Juſtinus, *Reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci ſceptra dixere.* Atque cum Homerus Iliad. 4. v. 218. ſeqq. ſic nobis Ulyſſem belli Ducem figuraſſet:

Στάς-

Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας·
Σκῆπτρον δὲ ὄτ' ὀπίσω ὄτε προπρηνὲς ἐνώμα,
Ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν·

Stabat, ſubtuſque cernebat, in terram oculos defigens:
Sceptrum vero neque retrorſum neque in anteriorem partem movebat,
Sed immobile tenebat.

Ad iſta obſervat Scholiaſtes: Σημειωτέον, ὅτι ἕκαστος τῶν ἡγεμόνων σκῆπτρον εἶχεν ἴδιον· ὡς καὶ Ἀχιλλεὺς ἐν τῇ α ὄμνυσι κατ' αὐτοῦ. *Indicio eſt, Imperatorum militarium cuique ſuum Sceptrum fuiſſe, unde & Achilles in Iliade* I. *per illud jusjurandum fecit.* De Romanis, Servius: *Apud majores, omnes Duces cum Sceptris ingrediebantur curiam.* Et Iſidorus l. 18. c. 11. *Namque & purpuream, & palmatam togam, triumphantes induebantur; & ſcorpionem cum Sceptro in manu tenebant.* Quo in loco, vitioſe, *ſcorpionem*, pro *ſcipionem* legi, ad Themiſtii Orat. 11. recte monuit Dionyſius Petavius. Nolim tamen negare, etiam in pace jus ſubditis dicentes, eosque imperio regentes, Sceptro uſos eſſe, quod inprimis de Ægyptiorum antiquiſſimis Regibus affirmandum videtur. Sed, iſtis, omnimodam poteſtatem notabat Sceptrum, tam ad belli, quam pacis jura, ſeſe porrigentem. Unde Plutarchus de Ægy-

Ægyptiis: Τὸν δὲ Ὀσῖειν ὀφθαλμῷ καὶ σκή-πτρῳ γράφουσι, ὧν τὸ μὲν τὴν πρόνοιαν ἐμφαί-νει, τὸ δὲ τήν δύναμιν· *Oſirim, oculo, & ſce-ptro pingunt, oculo, providentiam, ſceptro, po-tentiam indicantes.* Sic apud Perſas quoque, Sceptrum ſupremum potentiæ, αὐτοκρατορίας, & majeſtatis fuiſſe argumentum, ex Eſtheris libro perſpicue diſcimus. Non tantum enim, prout eſt ibi c. IV. 11. Eſther nunciari juſſit Mardochæo: כל עבדי המלך ועם מדינות המלך יודעים אשר כל איש ואשה אשר יבוא אל המלך אל החצר הפנימית אשר לא יקרא אחת דתו להמית לבד מאשר יושיט לו המלך את שרביט הזהב וחיה: *Omnes ſervi Regis, etiam populus provinciarum Regis ſciunt, quicunque vir aut mulier ingreſſus fuerit ad Regem in atrium interius qui non fuerit vocatus, unum eſſe jus de eo morte afficiendo, præterquam cui extenderit Rex Sceptrum aureum eum vivere.* Sed & cum Mardochæus ſummis honoribus admotus, & משנה למלך אחשורוש *ſecundus a Rege Abasvero* conſtitutus eſſet, ſane quidem יצא מלפני המלך בלבוש מלכות תכלת וחור ועטרת זהב גדולה ותכריך בוץ וארגמן *Egrediebatur a conſpectu Regis cum indumento regio, hyacinthi-no, coronaque aurea magna, & ſtola byſſina aut purpurea*: atque ſic omnia ornamenta regia, ipſamque adeo coronam auream ingentem ca-pite geſtabat: nihilominus Sceptrum manu non tenuit, regiæ dignitatis ſignum proprium, & peculiare. Atque hæc Sceptri ſignificatio, po-ſtea apud pleraſque gentes invaluit, & ad hanc uſque ætatem conſervata. Quippe, veteri ævo, cum

cum primum Germani Imperatores Eccleſiaſticos Imperii Status, Sceptro de majoribus Feudis inveſtire conſueverunt, non pacatas tantum regiones gubernandi, verum & bellum adminiſtrandi facultatem largiebantur. Et apud Bochellum, l. 5. Decr. Eccleſ. Gall. tit. 2. c. 1. legitur, Regibus Galliæ, quando conſecrantur, Sceptrum in manus tradi cum hac ſolemni verborum præfatione: *Accipe Sceptrum regiæ poteſtatis inſigne, virgam ſcilicet regni rectam, virgam virtutis, qua teipſum bene regas, ſanctam Eccleſiam populumque videlicet Chriſtianum tibi a Deo commiſſum, regia virtute ab improbis defendas: pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere poſſint, tuo juvamine dirigas, quanto de temporali regno ad æternum regnum pervenias: ipſo adjuvante, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum.* Nihil abludit ab hactenus dictis ſtylus Sacrarum literarum, in quibus ſimili modo, Principale Sceptrum, aut militaris imperii, aut αὐτοκρατορίας pacisque ac belli ſupremi juris ſymbolum eſt, nusquam, quod ſciam, ad ſolam gubernationem tranquillæ Reip. pertinet. Prius, reſpiciunt loca Pſal. II. 9. תרועם כשבטכרול ככלי יוצר תכפצם *Confinges illos Sceptro ferreo, ut vas figlinum diſsipabis eos.* Num. XXIV. 17. דרך כובב מיעקב וקם שבט מישראל ומחץ פאתי מואב וקדקד כל בני שת Id ſecundum Tremellianam verſionem eſt: *Procedit ſtella ex Jacobo, & exſurgit Sceptrum ex Iſraële, quod franget latera Moabitarum, & deſtruet omnes eos qui pone ſunt.* Ad poſte-

poſterius, præter alia dicta, infra allegand,a, revoco illud Amoſi I. 5. ושברתי בריח דמשק והכרתי יושב מבקעת און ותומך שבט מבית עדן וגלו עם ארם קירה אמר יי׳ : *Et confringam vectem Damaſci, exſcindamque habitatorem è convalle Avenis, & tenentem Sceptrum e domo Hedenis: migrabuntque populus Syriæ in Kirum ait Dominus.* Eadem mox commate 8. loquendi ratio iterum repetitur. Proinde colligas, vocem שבט in Jacobæo oraculo haudquaquam ad ſolam civilem, vocem מחקק vero, ad ſolam militarem gubernationem reſtringendam eſſe, & duriuſculum evadere ſermonem quo dicitur: *Non auferetur Sceptrum e Juda, neque Dux ex peditatu ejus:* non enim apud Judæos alii Sceptrum tenebant, alii exercitui præerant, ſed iidem, qui Sceptrum moderabantur, bella quoque gerebant, ducebant agmen, & cum hoſte præliabantur. Quod ſi vero omnino quidam ex Regibus non ipſi copias in expeditionem educebant, ſed per Duces cum inimicis decertaverunt, tum ſaltem, non ſuis ſed Regum auſpiciis Duces militaſſe deprehenduntur, nihilque iis relictum erat præter obſequii gloriam, omnis rerum geſtarum eventus Regibus tribuebatur. Neutiquam igitur ſegregare licet ab eo, qui pacis jura in Judæorum Republic. habebat, bellicam poteſtatem, quæ ne apud eos quidem populos, ubi Reges multum reſtricta & limitata potentia utebantur, imperantibus fuit ademta. Nam, de Lacedæmoniis, ſic eſt apud Philoſophum 3. pol. c. 14. H γὰρ ἐν

τῇ

τῇ λακωνικῇ πολιτείᾳ δοκεῖ μὲν εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν κατὰ νόμον. οὐκ ἔστι δὲ κυρία πάντων. ἀλλ᾽ ὅταν ἐξέλθῃ τὴν χώραν ἡγεμὼν ἐστι τῶν πρὸς τὸν πόλεμον. *In Lacedæmoniorum Repub. videtur Rex eſſe maxime ſecundum leges, neque enim poteſtatem habet omnium. Sed, cùm egreditur regionem, imperium habet eorum quæ pertinent ad bellum.* Subdit poſtea Ariſtoteles eodem loco, Homeri fretus autoritate, ſimilem regiminis formam apud antiquos obtinuiſſe. Quanquam, non opus eſt, ut de aliarum gentium inſtitutis hic ſimus ſoliciti, quia controverſia caret, ſaltem inter Judæos, id obtinuiſſe quod diximus, unde de illorum Rege in Miſchna Sanhedrin c. 2. §. 4. quoque traditur: מוציא למלחמת הרשות על פי בית דין של שבעים ואחד *Educit copias ſuas ad bellum αὐθαίρετον, ſuaſu tamen magni Synedrii.* Etſi Sacras literas ſequendo, fortaſſe ſatius fuerit aſſerere, ne Synedrii quidem aſſenſum, Reges bella gerere volentes, requiſiviſſe, ac illud Thalmudis dictum, uti alia ibi multa, non ex vero, ſed ex poſtremorum temporum Judaicæ gentis inſolentiſſimo faſtu profectum eſſe, quo, ne ſuis quidem Regibus ſubditi fuiſſe, ſed liberiore ſemper Repub. uſi eſſe, videri volebant, ſic apud Johannem c. VIII. 33. quoque crepantes: Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε. Hæc igitur ſola cauſa eſt, quare de veterum Regum poteſtate tam abjecte ſentiunt Thalmudiſtæ, eamque exiguis cancellis circumdant. Quod, uti eos facere minime diffiteor, ita cavere tamen

jubeo ne quis porro (quando id jam Cl. Salmaſio in Defenſ. Reg. c. 2. accidiſſe obſervamus) Summi Viri, Hugonis Grotii in lib. I. de Jure Belli & Pacis c. 3. §. 20. autoritate deceptus, exiſtimet, id quoque eos tradidiſſe, de quo ipſe *conſentire Hebræos* aſſerit, *quod nimirum Regi in eas leges quæ de officio Regis ſcriptæ exſtabant peccanti, inflicta fuerint verbera.* Enim vero, hoc apud Thalmudiſtas non legitur, nec adeo comparet in univerſo Thalmude, ille quem ter exinde nobis, in laudato opere Grotius teſtem citat, de *Rege Titulus.* Siquidem, ceu ad oculum oſtendere nobis in promtu eſt, fraudi fuit Viro Magno, quod Schickardi in Miſchpat Hammelech ex Maimonide allegationes, non recte accepit. Atque, apud Maimonidem quoque etſi Regiæ caſtigationis mentio aliqua, ſed paucis verbis injicitur, nempe tantum, ex canone quodam antiquo per meram conſequentiam ineptiſſime ſic illata; non tamen, id aut a Maimonide, aut ab ullo unquam Hebræorum proditum eſt *Regem in ſignum pœnitentiæ verbera ſponte ſuscepiſſe, ideoque non a lictore, ſed ab eo quem legiſſet ipſe, cæſum fuiſſe, & ſuo arbitrio verberibus ſtatuiſſe modum*, prout illam ſententiam Grotius recitat. Interea loci, ut diſcamus quæ vere Regis apud Judæos poteſtas, quod hujus jus fuerit, illud 1. Sam. VIII. 11. deſcriptum משפט המלך ſive *Jus Regium*, quia in eo Eruditi diſputant, in præſentia minime attendentes, ipſum illum qui Sceptra gentis tenuit, & habenas rexit eorundem Reip. ut libentes auſcultemus conſultiſſimum fuerit. Salomon is eſt,

eſt, cujus in Eccleſiaſte II. 2. ſeqq. gravis exhortatio, uno Deo minores fuiſſe Hebræorum Reges, cætera nullis legibus ſubjici, a nemine in ordinem cogi potuiſſe, ſed omnia pro lubitu geſſiſſe, manifeſte comprobat. אני פי מלך שמור ועל דברת שבועת אלהים: אל תבהל מפניו תלך אל תעמד בדבר רע כי כל אשר יחפץ יעשה: באשר דבר מלך שלטון ומי יאמר לו מה תעשה: Recentior Interpres tranſtulit: *Præſtitutum meum, præſtitutum Regis obſerva, ſed pro ratione juramenti Dei. Ne perturbate a facie ejus abito, ne perſiſtito in re mala: nam quicquid volet, facturus eſſet. Ubicunque verbum Regis eſt, ibi dominatio: ecquis dicit ei quid facis?* Cæterum, ut e brevi diverticulo redeam jam in viam, iſtud quoque minime prætereundum videtur, vix eſſe, ut vocem מחוקק de *Duce bellico*, commode, & ex genuino ſuo ſenſu, interpretari nobis liceat. Eſt enim מחוקק participium verbi חקק, quod *decernere, ſtatuere*, atque quia antiquorum leges tabulis inciſæ publice exſtabant, *inſculpere*, & *exarare* ſignificat. At ſtatuendi & decernendi in Repub. facultas, ſive quod idem eſt, legislatoria poteſtas, ad togatam illius adminiſtrationem pertinet, unde etiam τὸ חקים quod τῦ חקק & effectum, & (ceu Dialectici loquuntur) correlatum dicere licet, quodque ſexcenties credo, in Scripturis legitur, haud fere unquam aliud quam leges & inſtituta pacatæ Civitatis denotat. Equidem, ultro conceſſerim, in uno alterove Scripturæ loco non abſurdum & abſonum enaſci ſenſum ſi מחוקק

de Imperatore exercitus inrerpreteris. Sed utique ſic exponi oporteie, neſcio an ſolide evinci queat, certe nemo antiquorum Interpretum (ut recentiores, eosque qui Lexica conſcripſerunt, Rabbinos quoque Commentatores nunc taceam) uspiam in Scripturis ita accepit. Etenim, pro מחוקק apud LXX. nunc *ἄρχων*, nunc *βασιλεύς*, aliàs *ἐξερευνῶν* legitur. Chaldæi Paraphraſtæ ספרא *Scribam*, item מלפנא *Doctorem*, & in plurativo numero, ספרין vel ספרין מלפי מאלפי אורייתא אוריתא *Scribas docentes legem*, nec minus ספריא דבית אולפנא *Doctores Academiarum*, interpretati ſunt. Semel apud Chaldæum, nimirum Jud. V. 14. pro ירדו מחוקקים ad bellum attinens eſt expoſitio, quippe מרשמין בקרבא ibi offendas, ſed, qua explicatione nihil juvatur adverſa ſententia, quippe מחוקקים hoc loco, paſſivo ſenſu, de *conſcriptis in militum matriculam*, ſive *gregariis militibus*, non vero de agminum ductoribus & Chiliarchis Paraphraſtes intellexit. Denique, Veteri Latino Interpreti מחוקק eſt *Doctor*, *Doctor legis*, *Rex*, *Legifer*, *Princeps*, & in loco præſenti Geneſ. XLIX. 10. quidem *Dux*, verum non ideo ſtatim Dux belli. Nam veriſimile eſt, voluiſſe illum exprimere Græcorum Ἀρχων, quæ appellatio Civilis maxime poteſtatis propria, unde notum eſt, eos, qui poſt Codrum Athenienſium Reipublicæ præerant, *Archontas* dictos eſſe, pro quo verbo, quod Latinorum plerique retinuerunt, Hieronymus tamen

&

& Plinius, etſi nimis lata voce, *Magiſtratus* dixerunt, ceu clariſſimæ memoriæ Vir Joh. Henricus Bœclerus, in Vellejano Indice annotavit. Cum igitur interpretum circa vocem מחוקק expoſitiones, in eo unanimi conſenſu conſpirent non proprio & nativo ſuo ſenſu ipſum Belli Ducem ſpectare, nolim per vim quandam hanc ſignificationem illi obtrudere. Quin potius, ſi quis iſta, aliaque quæ hactenus diſſeruimus, λογισάμενος ſecum probe diſcutiat, illud aliqua ratione conſequitur, ut ſi omnino, Jacobæum Oraculum de ad adventum uſque Meſſiæ, duraturis pacis bellique inter Judæos juribus exponendum ſit, tum ὕστερον πρότερον facere forſitan ſatius fore, & converſo rerum ordine, σκηπτροῦχον de belli Duce, τὸν מחוקק autem, de cuſtode & gubernatore pacatæ Reip. interpretari. Supereſt, ut quid mihi hunc locum meditanti, in mentem venerit præfiſcini proponam, idque exequar, ſingulas prius voces ſeparatim examinando. Ante omnia vero, illud præmonuiſſe operæ pretium eſt, perperam iſtos hoc vaticinium tractare, qui initium impletionis ejusdem ſtatim in id tempus quo editum eſt aut paulo poſt defigunt, & ſic per continuationem ſucceſſionis, ad Meſſiæ adventum uſque producunt. Præterquam enim, quod ſecundum Theologorum regulam, etiam prophetias quæ aliquid brevi & e veſtigio quaſi eventurum prænuntiant, tamen cum temporis aliqua mora, & tali, qualem res ipſa efflagitat, accipere opor-

ret, ut idem tanto magis de hac noſtra pronuntiare conveniat: Tum vero inſuper ipſe entheus Vates noſter Jacobus, cum oracula ſua edere vellet, ſignanter ita filios ſuos alloquutus eſſe deprehenditur, האספו ואגידה לכם את אשר יקרא לכם באחרית הימים Vulgatus tranſtulit: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis, in diebus noviſſimis.* Non igitur in eo laborandum nobis, ut vaticinium hoc ad ætatem Jacobo proximam accommodemus, ad quam minime pertinet, cum res ipſa loquatur, proprie, conſtitutam & adultam inter Judæos Rempublicam id reſpicere, prout aliæ in eodem loco prophetiæ collimant ad conſtituendam. Quo velut fundamento *jacto*, nunc, ad ipſa verba Claſſici noſtri dicti progrediendo, non eſt quod circa vocem לא ſubſiſtamus, nam, eam *negandi particulam* eſſe, nemo ambigit. Verbum יסור futurum tempus eſt radicis סור quæ *diſcedere, recedere, ceſſare auferri*, hoc loco ſignificat, prout alibi in Scripturis paſſim. II. Sam. VII. 15. חסדי לא יסור ממנו *Benignitas mea non auferetur, non recedet ab eo.* Job. XV. 30. לא יסור מנו חשך ינקתו תיבש שלהבת ויסור ברוח פיו: *Non recedet a tenebris, tenerum ramum ejus areſaciet flamma: denique recedet ſpiritu oris illius.* שבט generatim, *Virgam* ſive *Baculum*, ſpeciatim, eam *virgam baculumque quo paſtores, cædentes, milites ordinum anteſignani* utuntur, & exinde per transnominationem, ipſos *Ordines Tribuſque* innuit

innuit: ſed, hoc loco, שבט aut שבט מלכות שבט מושלים ſive למשול quæ Eſaiæ XIV. 5. Ezech. XIX. 11. & 14. ac Pſ. XLV. 4. pleniores ſunt locutiones, hoc eſt, *virga imperantium, virga Regum, ſive Sceptrum*, & μετωνομασμένως, ſumma regia poteſtas, ἀνυπεύθυνος ἀρχὴ, & monarchicum imperium notantur. Aliter vocem interpretari non ſinunt nos ea, quæ proxime præcedunt, & cum quibus ſermo continuatur. Ecce enim præmittitur;

יהודה אתה יודוך אחיך ידך בערף איביך ישתחוו לך
בני אביך גור אריה יהודה מטרף בני עלית כרע רבץ
כאריה וכלביא מי יקימנו: Quod eſt ſecundum Veterem Interpretem: *Juda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Nihil intelligat oportet, qui non agnoſcit, iſtis verbis, dignitatem longe maximam, τὰ κύρια τῆς πολιτείας, ſupremum belli jus, & dominium non tantum in externos hoſtes, ſed & in fratres & tribules promitti; hoc eſt, promitti Regum futurum Judam jure optimo maximo. Sequitur eapropter deinde, de illius dignitatis duratione, & fatalis termini quo Judas poteſtate excidere debebat, fit indicium. Quamobrem, ut paucis me expediam, haud aliud hoc loco mihi ſignificat phraſis לא יסור שבט מיהודה quam id quod alibi eadem exprimit. Dixit enim, ſimili

prorſus ratione Zacharias etiam, cap. X. 11. ושבט מצרים יסור *Et Sceptrum Ægypti amovebitur*: quibus polliceri DEUM, ceſſaturum ſupremum illud dominium quod Ægyptii tum in exules & ſibi ſubjectos Judæos exercebant, nemo qui locum inſpexerit, ibit inficias. Quin, nec alio quam, quo nos accipimus ſenſu, vocem שבט in Jacobæo vaticinio, Judæorum interpretata eſt antiquitas. Etenim, pro ea Onkelos habet שולטן *Dominum*, Jonathan מלכין ושליטין *Reges & Dominatores*. Hieroſolymitanus Paraphraſtes ſimpliciter מלכין ſive *Reges*, expoſuerunt. His accedit liber antiquiſſimus Rabbot, ubi fol. 113. col. 2. diſerte legas; לא יסור שבט מיהודה זה כסא מלכות: i. e. *Verba*, Non recedet Sceptrum a Juda, *folium regium innuunt*. Omitto Recentiores, quos inter, Obadias Sephorono, Chaskuni, Bechai, Iſaacus Abarbenel, R. Moſes Nachmanides, alii. Hoc ergo εὔδηλον, voce שבט Regnum ſignificari. De verbo מיהודה probatione non indiget, *Judæ poſteritatem* illo notari, nam id inter omnes conſtat: & quidem proprie attinet iſta appellatio, tum primum ad tribum Judæ, eosque qui hanc ſectabantur, tum deinde ad illos, qui ex Babylonica captivitate in Palæſtinam facti ſunt reduces, quorum major pars, ex tribu Judæ genus ducebat, ut ideo omnes merito Judæi audiverint, duraturo in ævum nomine. Nunc vox מחוקק nobis trutinanda eſt, quam, radicem ejus, verbaque inde deflexa, tum & alia Scripturæ loca, Veterum denique

in

interpretationes perpendendo, intrepide inſignem quidem Magiſtratum, ſed tamen ὑπεύθυνον, & ſuperiorem majeſtatem recognoſcentem exponimus, talem nimirum, quali priſci Rerumpub. Legumlatores, aut apud Athenienſes Ἄρχοντες functi ſunt, quas voces priſci interpretes in hac re quoque adhibuerunt. Nam leges condere, jura exercere, & quidem in integra gente, non niſi Magiſtratus, & poteſtatis ampliſſimæ proprium eſt, ea tamen facultas neutiquam ſummi imperii ſignum habetur, quippe quam ſupremi Domini iis qui poſtquam devicti fuerant, poſtea precario regnare permittuntur, vel vices ſuas in adminiſtrandis provinciis gerentibus, ſolent concedere. Aliquibus ea poteſtas a libero populo tribuitur, retenta ſibi legum approbatione, ſuprema provocatione, aliiſque majeſtatis juribus. Eſt igitur מחקק cum ſolitarie vox adhibetur *Legislator*, ἄρχων, *& Dux Regulusque in Republica*, non tamen omnibus numeris abſolutus Princeps, & Sceptro utens, ſed qui ab alia poteſtate dependet, eamque vereri cogitur, quales Duces in omni memoria multi fuerunt, plurimi quoque in orbe ſuperant. Atque hunc quidem ſenſum plerunque gignit de hominibus & nude, ceu jam prædictum, uſurpata vox, nam ad Deum translata, æque ac aliæ omnes, a ſuis liberanda eſt impuritatibus. Quin imo & Regibus ſupremiſque dominis tributa appellatio, ampliorem habet ſignificatum, quatenus omnem Regem, Ducem & Legislatorem quidem dicere licet, cum

tamen hi iſtius nomine non cenſeantur. De reliquo, ſignificare veriſimiliter verbum מחוקק proprio ſenſu, illud quod contendimus, conſentientes rurſus habemus Judæorum Magiſtros primarios. R. Salomo Jarchi, vel, uti Judæi communiter nuncupant, R. Salomo Iſacides in Comment. ad Sanhedrin fol. 5. a. cum in locum de quo disquirimus incidiſſet, ſic annotat: ושבט לשון שררה ויש להן רשות להפקיר דהפקר בית דין הפקר דכתיב וכל אשר לא יבא וגו׳ מחוקק שררה מועטת שרודים את העם שיש להם כח ורשות מאת מלכי פרס: i. e. *Vox* שבט *notat Principatum, atque ei Magiſtratui fas eſt bona ſubjectorum publicare, nam quod Magiſtratus in hac re ſtatuit, id ratum eſt: unde* (Eſræ X. 8.) *legitur:* Et quisquis non venturus eſſet &c. *Vox* מחוקק *notat minorem Magiſtratum, qui autoritate & venia Regum Perſicorum populo* (Judaico) *præerat.* Non me nunc movet, quam bene aut ſecus R. Salomo has voces applicet, illud enim ſufficit, eo autore שבט *Magiſtratum ſummum,* מחוקק *inferiorem*, exponendum eſſe. Idem faciendum, ſi Kimchium ſequimur, cujus hæc ſunt in libro Radicum; מחוקק הוא מושל ונקרא כן כי הוא משים החוקים בארצו: i. e. *Verbum* מחוקק *Rectorem notat, qui ſic vocatur, quia in ditione ſua legum ferendarum jus habet.* Abarbenel Commentario in Pentat. fol. 121. col. 2. de verbo מחוקק inter cætera annotavit: אפשר לפרש על המושל שהוא מחוקק ומסדר חקים נגיד ומצוה לאומים: *Poteſt exponi de Dominatore, qui leges condit & promul-*

mulgat : *item de Principe, qui gentibus imperat.* Hæc autem, cum ita ſe habeant, conſequens eſt, ut *Conjunctionem Vau*, quæ verbo ומחוקק præfigitur, diverſa disjungendi potius, quam eadem copulandi vim habere, ac pro *aut* adhibitam eſſe, fateamur: nec enim ſimul & eodem tempore Judæorum tota Reſpublica, vel nobilior ejus pars, Judaica ſcilicet tribus cum ſociis, & a Regibus, & a Ducibus gubernari poterat. Eſt igitur hoc loco, ejusmodi locutio, qualis Ex. XXI. 15. מכה אביו ואמו מות יומת *Qui percutit patrem ſuum & matrem ſuam morte morietur*: ubi *&* pro *aut* poſitum eſſe, ipſe Spiritus Sanctus nos edocet, dum apud Matth. XV. 4. locus ſic exprimitur: O *κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω.* Idem fecit quoque Divinus ille Magiſter circa locum 2. Sam. II. 19. cum enim ibi per conjunctivam particulam dicatur וירדף עשהאל אחרי אבנר ולא נטה ללכת על הימין ועל השמאל *Et perſequebatur Haſael Abnerum, nec diclinabat eundo ad dextram & ad ſiniſtram*: mox commate 21. cum disjunctione ſermo concipitur: ויאמר לו אבנר נטה לך על ימינך או על שמאלך *Et dixit Abner: declina tu, ad dextram tuam*, aut *ad ſiniſtram tuam.* Simile exemplum Deuter. XVII. 9. & 12. commatibus occurrit. Idcirco, cum Salomo Prov. XXX. 8. dixit: ראש ועשר אל תתן לי Recte vertit recentior Interpres: *Paupertatem, aut divitias ne des mihi*; & melius præ Antiquo, apud quem eſt: *Mendicitatem & divitias ne*

ne dederis mihi. Plura ejusmodi loca Glaſſius ὁ μακαρίτης in Grammat. Sac. l. 4. tract. 1. Obſ. 7. collegit, cujus verbis unum adhuc per appoſitum adſcribimus: Eſ. VII. 6. *Aſcendamus contra Judæam, ut fatigemus eam, & dividemus inter nos,* ונמליך *aut præficiamus Regem in ea filium Tabeelis: q. d. aut certe, ſi non poterit inter nos convenire de regno partiendo communi nomine præficiamus illi Regem.* Succedit in textu vox מבין quam, quia commodius Latine non licet, uti vulgo receptum eſt, *a*, *ex*, interpretamur, ſunt cæteroquin non contemnenda, quæ circa hoc vocabulum Bellici Ducis defenſor nobilis, obſervat. Jam offert ſe vexatiſſimum illud verbum רגלין quod non admodum torquebimus. *Pedes* enim nobis ſignificat, & per translationem, plerisque gentibus familiarem, id quod eſt in re quaque ultimum, quod eſt rei finis, quod poſtremum poſt aliud conſequitur. Ariſtophanes in Pluto: Ἄκουσε τοίνυν ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα, ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ. *Audi igitur, quomodo ego negotium, a pedibus usque ad caput totum tibi enarro.* Apud Latinos Scriptores, *a capite usque ad calcem, a ſummo capillo ad imum usque calcaneum, calcem operis, extremum literarum calcem, ad calcem venire*, atque id genus alias loquendi formulas, paſſim legimus. Sed, magis eſt, ut has Scripturæ notemus, uti cum Ex. XI. 8. de Moſe adhibetur phraſis: צא אתה וכל העם אשר ברגליך *Exi tu, & omnis populus, qui eſt in pedibus*

dibus tuis. Item cum 2. Reg. III. 9. dicitur: וילך מלך ישראל ומלך יהודה ומלך אדום ויסבו דרך שבעת ימים ולא היה מים למחנה ולבהמה אשר ברגליהם: *Profecto itaque Rege Iſraëlis cum Rege Jehudæ & Rege Edomæorum circumiverunt itinere ſeptidui: deinde non erat aqua pro agmine, & pro jumentis quæ erant in pedibus eorum.* Ergo hi, qui Duces ſuos ſequuntur, qui noviſſimi incedunt, qui agmen claudunt, qui pediſſequi ſunt, eos Scriptura ait *in pedibus*, aut, *inter pedes eſſe.* Inſuper, illud quoque ſedulo obſervandum, ſtatum futurum Reipublicæ Judaicæ, in vaticinio Jacobi quaſi perſonam quandam induere, quæ manu Sceptrum geſtat, quæ pedibus conſiſtit, & juxta eos Duces & ἀρχοντας habet. Ergo, ut *Pedes* non minus hic, quam in illa Nabuchdonoſoris apud Danielem cap. II. celebri ſtatua, de ultimis & poſtremis temporibus, rei ad quam inſtitutum pertinet, accipiamus, aut valde fallor, aut omnis cogit ratio: ut proinde *a pedibus*, aut *ex pedibus* Judæ, ii auferendi dicantur, quibus ſeri illius nepotes carituri erant, quos ultima Reipublicæ ætas amiſſos luxit deſideravitque. Quod in prophetia Jacobi ſupereſt, levi negotio expediemus, עד כי יבא *donec veniat* quidam explicant, alii, *donec venerit*, levi diſcrimine, malim tamen amplecti poſteriorem expoſitionem, quæ eventibus rerum magis reſpondet. Per שילה *Meſſiam* intelligi, dudum ab aliis eſt probatum, allatis ad rem confirmandam, trium *Targumim*, *Talmudis in Sanhedrin cap.* XI. nec non τῶν

Baal

Baal Hatturim*, *Raſchi*, *Kimchi*, *R. Moſis Gerundenſis*, *R. Ioelis ben Sueb*, *Iſaaci Abarbenelis & Bechai teſtimoniis, quæ, ne actum agamus, iterare ſuperſedemus. Quin, nec ea producimus, quæ poſt alios, in *Talmude*, *Sohar*, & *Rabbot*, nobis ſunt obſervata, ipſe enim Lipmannus hoſtis noſter, nihil refragatur, & manus victas dedit veritati. Suprema ſacri commatis verba ſunt: ולו יקהת עמים quæ, varii varie expouunt: Καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν habent LXX. quos ſequutus vetus Latinus Interpres, tranſtulit: *Et ipſe erit expectatio gentium*. Propius ad verum eos accedere exiſtimaverim, qui Onkeloſi & Hieroſolymitani Paraphraſtarum veſtigia legentes, vertunt: *Et ei erit obedientia populorum*: ut ſenſus ſit: Eius doctrinam populi recipient & amplectentur, illius præceptis & mandatis morem gerent ac obtemperabunt. Namque vocem יקהה etiam Prov. XXX. 17. quo ſolo loco in Scripturis repetitur, *obedientiam* ſignificare, fit veriſimile. Atque hæc Kimchii quoque in libro Radicum eſt expoſitio, ubi ſcripſit: ופירוש ולו יקהת עמים אליו ישמעו העמים לקבל עליהם מה שיצוס: ולו יקהת עמים i. e. *Senſus verborum* ולו יקהת עמים *is erit: Populi ei obtemperabunt, ut in ſe recipiant, quæ ipſe eis eſt imperaturus*. Neque vero recedunt ſummopere ab hac interpretatione ii, quibus R. Salomonem autorem ſequi, ac, *& ei erit aggregatio populorum*, reddere placet, prout Pagninus, Munſterus, Tigurini & Vatablus expreſſerunt, res enim tandem eodem recidit.

cidit. Atque ſic omnibus in ſacro noſtro vaticinio minutatim diſcuſſis, totam nunc rationem colligendo, ſequens ſenſus, ſi paulo verboſius παραφράζειν velimus, ſeſe exinde nobis aperit. *Ea, quam prædixi Iudæ poſteris obventuram, regia poteſtas & αὐτοκρατορία, non auferetur ab iis, aut ſane, attritis jam ab exterorum potentia eorundem rebus & inclinante ſe pedetentim ad interitum Republica, ſaltem non deſtituentur Ducibus & Rectoribus ſuis, ad adventum usque Meſſiæ. Iſte vero poſtquam advenit, tum ceſſabit denique illud diſcrimen, quod inter Iudæos, cæteraſque gentes hactenus in orbe fuerat, atque tam hæ, quam illi, Meſſiam conſectabantur, ejus monitis obſequium præſtabunt, fietque ex Iudæis & gentibus, unius paſtoris, unus grex, unum ovile. Proinde carebit poſtea Iudæ poſteritas, non Regibus tantum, ſed & Ducibus propriis, totaque Iudaica Reſpublica omnem formam amittet, ad nullam unquam amplius reducenda.* Videlicet, graphice, viviſque coloribus, quaſi in tabella, depingit nobis Jacobus, univerſam Judaicæ Reipublicæ, quatenus ex Judæ maxime poſteris conſtabat, & ex quo ſemel poſt Judices, nova forma fundata fuerat, ad ejus usque interitum, faciem. Nimirum, cœptum ſemel in tribu Judæ a Davide Regnum, ſecundum Joſephi l. 11. Antiq. c. 4. calculum, per quinque ſecula integra, non interrupto ordine continuandum in hac ſtirpe erat, ad Zedekiam usque, qui fatalis ultimusque terminus huic ſupremæ poteſtati ac dominatui ſtatutus fuerat, ipſius DEI apud Jerem. XXII. 30. graviſſima præ-

prædictione, quam ad Regem illum perferri juſſit. כה אמר ייי כתבו את האיש הזה ערירי גבר לא יצלח בימיו כי לא יצלח מזרעו איש יושב על כסא דוד ומושל עוד ביהודה: *Sic ait Dominus, ſcribite virum iſtum liberis carentem fore, virum non proſperaturum unquam: nam non proſperabitur de ſemine ejus quiſquam ſeſſurus in ſolio Davidis, & dominaturus amplius in Iudam.* Sequuta deinde eſt anno decimo nono Zedekiæ, Hieroſolymitanæ urbis expugnatio, & deportatio Judæorum in Babyloniam. Ex ea cum poſt LXX. annorum exilium, in avitas ſedes Judæi reverſi eſſent, propriis quidem legibus inſtitutisque vivere permiſſi ſunt, ſed regiam & abſolutam imperandi formam nunquam revocare licuit, nempe, quia ſui juris nunquam amplius erant, nec plena libertate utebantur. Etenim, primum Perſarum Monarchis parebant, ad quos ſummum imperium a Babyloniorum & Aſſyriorum Rege ultimo Belſazare, cum Darius Medus, ope Cyri Perſarum Regis, generi ſui, illum viciſſet, transierat. Poſtea, quia Alexander Macedo, Dario Codomanno, & Perſarum ſimul imperio deleto, omnem hujus gloriam ad Græcos transtulerat, ei obſequium Judæi præſtare coacti ſunt. Exinde, Aſiæ minoris, & Ægypti Regibus fuere ſubditi; donec a Romanis initio illis ſervitus impoſita eſt, deinde vero Reipublicæ, ſacris, gentique propemodum univerſæ, excidium illatum. Res omnis certa eſt, nec eget teſtimoniis: de Romanorum tamen in Judæos dominio, notanda Abrahami Sacuti con-

confeſſio , ex Juchaſin p. 15. a. ומאז התחילו
הרומיים לכבוש ישראל שיהיו תחת ידם כי יהודה
התחיל אהבה עמהם ולגדלם כי הם החיה הרביעית
שראה דניאל תקיפה ובעבור שהשכיד יהודה ליונים עשו
ברית ועמדו בו כו שנים ואחר זהה קפ שנים קודם
חרבן הבית בראיתא בעבודה זרה ובפרק קמא
דשבת וכטלו הברית ומשם ואילך היו משועברים
לרומיים ואז התחיל גלות ארום׃ Id eſt : *Dehinc*, (loquitur de Jonathanis & Simeonis Chasmonæorum ætate ;) *cœperunt Romani debellare Iudæos, eoſque ſuæ poteſtati ſubjicere. Et vero, Iudas* (Maccabæus) *amicitiam cum iis contraxerat, iiſque ad res augendas fuerat præſidio. ipſi enim, ſunt quarta illa & robuſta beſtia, quam conſpicatus eſt Daniel. Atque quia Iudas Græcos ſuperaverat, fœdus cum ipſo pepigerunt, illoque fœdere ſteterunt annis* XXVI. *At poſtea, anno ante deſolatum templum noſtrum centeſimo octogeſimo, ceu in Avoda Sara, & in cap. 1. Maſſichtæ Schabbat ſcriptum eſt, rupere fœdus, atque ab hoc deinde tempore,* (Judæi) *Romanis ſervitutem ſervierunt, eſtque hoc initium captivitatis Edomiticæ.* Sic peregrinorum Regum jugo preſſi Judæi, habebant tamen in omni illo temporis, quod inter reverſionem ex captivitate, & natum Servatorem interceſſit, intervallo, Duces ſuos, ſemperque unus aliquis in illa Republica eminebat, qui ad clavum ejus ſedens, poteſtatem adminiſtravit. Primus ho-

rum fuit *Zorobabel* Salathielis filius, פחת יהודה *Princeps Judæ* Haggæo I. 1. dictus; quo Duce, Cyri Regis indultu, Judæi ex Babylonia in patriam profectionem adornarunt, & templum ac Hieroſolymas cœperunt reſtituere. Sequuti ſunt *Esdras*, & *Nehemias*, & fortaſſe ante hos alii, ceu Scaligero non immerito viſum eſt, ob iſta Nehemiæ V. 15. והפחות הראשונים אשר לפני הכבידו על העם ויקחו מהם בלחם ויין אחר כסף שקלים ארבעים גם נעריהם שלטו על העם: *Nam Principes priores qui anteceſſerant me, prægravabant populum, accipientes ab eis de pane & vino, præter argenti ſiclos quadragenos, etiam pueri eorum dominabantur in populo.* Et vero, ſi fides habenda Judæorum Annalibus, quos Autor libri Olam Suta compilavit, reverſus ex Judæa in Babyloniam Zorobabel, ibi fato functus eſt, ſuccedente in principatu apud Judæos *Meſullam* filio, & poſt hunc *Chananja* nepote, quæ nos, uti parum comperta, in medio relinquimus. Mortuo Nehemia, ad Pontifices rerum ſumma pervenit, ceu ex hiſtoria apud Joſephum lib. 11. Antiq. cap. 8. de *Jaddo* Pontifice, qui Alexandro M. obviam proceſſit, apparet. Hæc poteſtas, in illo ordine, per *Chasmonæos*, uti Judæi vocant, (noſtri enim Maccabæos appellare ſolent,) eſt confirmata. Cœpit ea in *Mathatia*, cujus fortitudo bellica, & zelus in reſtaurando cultu divino 1. Maccab. 2. & apud Joſephum l. 12. cap. 9. prædicantur. Is, ante obitum, filium *Judam* ſucceſſorem conſtituit, qui,

ut ii, quos modo allegavimus, Scriptores, narrant prolixius, fœdus cum Romanis pepigit, multaque prælia cum Syriæ Regibus feliciter commiſit, ad poſtremum vero a Bacchide, Demetrii Syriæ Regis Duce, victus & vita exutus eſt. Judam, *Jonathas* frater excepit, quem fœdus cum Romanis, imo & Lacedæmoniis redintegraſſe, ex 1. Mac. XII. conſtat. Huic, tertius fratrum *Simeon* ſurrogabatur, cujus auſpiciis recepta arx Hieroſolymitana eſt, Syrorum inde præſidio ejecto. Atque in hoc Simeone, Principatui quo priores functi erant, multum ſplendoris, autoritatisque acceſſit, ſolemni Judæorum Plebiſcito, quod, quia tabulis æreis inciſum, in loco publico Hieroſolymis fuit propoſitum, dignum quoque eſt ut hic ex 1. Macc. XIV. legatur: *Judæi & Sacerdotes eorum, conſenſerunt Simonem eſſe Ducem ſuum, & ſummum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis: & ut ſit ſuper eos Dux, & ut cura eſſet illi pro ſanctis, & ut conſtitueret præpoſitos ſuper opera eorum, & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia: & cura ſit illi de ſanctis: & ut audiatur ab omnibus, & ſcribantur in nomine ejus conſcriptiones in regione, & ut operiatur purpura, & auro; & ne liceat ulli ex populo, & ex Sacerdotibus, irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione ſine ipſo, & veſtiri purpura, & uti fibula aurea. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.* Atque hinc nepos Simeonis *Ariſtobulus*, ad quem intercedent-

cedente *Hircano* filio transmiſſa eſt ab avo dignitas, occaſionem ſumſiſſe videtur, pro Rege ſe gerendi, idque nomen ſimul cum ornatu regio affectandi, etſi Regis potius imaginem referebat, quam ut examuſſim verus, & quales priores erant, Rex dici queat. Interim poſteri quoque Ariſtobuli, regium nomen, ad *Herodem* usque retinuerunt, a quo poteſtas Chasmonæis eſt erepta, & genus extinctum, ipſo ſeſe in eorundem locum ingerente. Herode morte ſublato, regnum ejus in Tetrarchias ab Auguſto Cæſare ſciſſum eſt, *Archelao* Judææ Tetrarcha conſtituto; reliqua regione inter *Philippum* & *Antipam* diviſa Archelaus cum impotenter dominaretur, inde extruſus, Viennamque Galliæ urbem relegatus eſt. Atque hac tempeſtate, Judæa in provinciæ formam redacta, Syriæ accedens, a Cæſaribus Procuratores accepit, per quos deinde regebatur, nullusque unquam poſtea Judææ neque Rex fuit, neque Ethnarcha, Philippus tamen & Antipas ſuæ quisque Tetrarchiæ res adhuc curabant. Hoc igitur tempore Judæi poſt Sceptrum pridem ablatum, nunc Duces quoque & Regulos ſuos cœperunt amittere, omnique jure adminiſtrandæ Reipubl. quod utcunque hactenus ſervaverant, paulatim exciderunt. Ea tempeſtate vero jam in orbem venerat ſacroſanctus divinusque Siloh, novi, cœleſtisque Regni futurus conditor. Itaque nihil reſtabat, quam ut paulo poſt, ſupremus prædictis rerum eventibus cumulus accederet, quod tum factum eſt, quando poſt Meſſiam cruci affixum, urbe Hieroſo-

roſolyma capta, & cum templo funditus everſa, omnino omnis ſimul eſt deleta totius Judaicæ Reip. forma ac ſpecies, non profana minus quam ſacra. Sic poſtea, quod futurum Hoſeas III. 4. prædixerat, *ſederunt filii Iſraëlis*, אין מלך ואין שר *nec Rege, nec Principe* porro gaudentes, qui locus, neſcio quomodo noſtræ, quam dedimus Jacobæi oraculi expoſitioni favere parumper videtur, & hoc nunciaſſe, nunquam amplius, non Reges tantum ullos apud Judæos, ſed ne Duces quidem regnaturos: hoc eſt, neutram illarum Reipublicæ formarum revocatum iri, quæ pridem obtinuerant, &, quæ, arcano cœleſtis Providentiæ decreto, per Jacobum manifeſtato, ſe invicem conſequi debebant.

Atque iſta, quæ hucusque differui mus, ſimul multum quoque faciunt, ad abſtergendas diſſipandasque futiles nimium ineptias Lipmanni, quibus fucum nobis facere, & glaucoma ob oculos objicere, ne Jacobæi hujus vaticinii verum ſenſum pervideamus, annititur. Ceſſavit ſane Regnum domus Davidicæ, cum Nebucadnezar Judaicam gentem patria mulctatam, in Babyloniam deportaſſet, nec unquam poſtea Sceptrum & vera regia poteſtas, etiam poſt ſolutam captivitatem, & poſtliminii quodam jure, in priſtinas ſedes reverſionem ei fuit reddita. Nihilo minus, finito exilio, reſtaurata eſt Reipublicæ forma, ſemperque unus aliquis ad clavum ejus ſedens, eximia poteſtate functus eſſe deprehenditur. Ablato igitur Sceptro, ſaltem מחקקים ſive

Duces, Judæis relicti ſunt, atque ſua ſic per omnia conſtat veritas Jacobææ prædictioni, haud enim alios rerum eventus ipſe prænunciaverat, ceu nobis eſt demonſtratum. Poſtquam vero Duces quoque inter Judæos eſſe deſierunt, tum ut adventaret Siloh æquum erat, atque id quoque hercle factum eſt, adfuit in tempore. Manent igitur, manebuntque, nequicquam frementibus inferorum portis, ſua connexio, vis & robur, argumentum noſtrum, quando legitime & ex neceſſitate ſic inferimus: *Quem venire neceſſe fuit, antequam Regia, aut ſaltem, quæ in locum ejus ſuccedere debebat, Ducalis dignitas, apud Judæos interiret, illum veniſſe comprobat Regiæ non minus, quam Ducalis pariter poteſtatis, a tot jam ſeculis ceſſatio. Atqui venire debuit Silo ſive Meſſias, antequam Regia vel Ducalis dignitas apud Judæos interiret. Venit igitur, quando a longo ſeculorum decurſu, illæ dignitates inter Judæos ceſſaſſe deprehenduntur. Næ! venit* DOMINUS JESUS *noſter! Sit nomen ejus benedictum in ſecula!* Eſt hoc argumentum, ſi quod aliud, utile & efficax, ad Judæos impugnandos, neque ejus autoritatem elevat, quod Chriſtus & Apoſtoli, eodem minime uſi eſſe leguntur. Nam, non ſuperſtite tantum Servatore, ſed & poſt ejus in cœlos aſcenſum, eludere poterant Judæi vim ratiocinii, cauſando, etiamſi Ducibus careant, ſalvam tamen adhuc eſſe Reipubl. formam, ſalvum eſſe templum, vivere ſe ſuis legibus, poſſe fieri, ut Romanorum dominatione excuſſa, tempora in priſcum aurum redeant, & avita

αὐτο-

ἀυτοκρατορία recuperetur: nondum igitur in eo ſtatu rem eſſe, ut Meſſiam veniſſe neceſſe ſit. Et vero, Caſauboni, Exerc. 16. adv. Baron. n. 70. aliorumque diſſentientium exiſtimatione ſalva, ſic mihi videtur, diutine gaviſos fuiſſe Judæos, etiam ſub ipſis Romanis Procuratoribus, non tantum immunitate ſacrorum, ſed & politica aliqua poteſtate, quæ adeo ad jus vitæ & necis ſe extendebat, fere quoad templum ſuperfuit incolume. Equidem agnoſco, ipſos, cum de Servatore occidendo ageretur, profeſſos eſſe apud Johannem XVIII. 31. Ἡμῖν ὀυκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ὀυδένα. *Nobis non licet interficere quenquam.* Enim vero, expendendum quoque eſt, quod ibidem præcedit, nimirum, poteſtatem facere Pilatum Procuratorem Judæis, ut de eo ſecundum patrias leges ſupplicium ſumant, dixiſſeque illum: Λάβετε ἀυτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε ἀυτόν. *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum.* Et iterum, cap. XIX. 6. verbis enunciaſſe fertur. Λάβετε ἀυτὸν ὑμεῖς καὶ σαυρώσατε. *Accipite eum vos, & crucifigite.* Nunquid autem veriſimile eſt, voluiſſe Pilatum derogare hactenus ſupremæ juriſdictioni Romanorum Imperatorum, eumque, ſi omnino a Cæſaribus facultas capitaliter animadvertendi in ſontes Judæis ademta erat, hanc illis exercendæ gratiam ſuo auſu indulgere ſuſtinuiſſe? Imo vero nec poterat per leges & inſtituta Romanorum id facere, ſi maxime voluiſſet. Præſides enim Provinciarum, *habebant quidem*

P 4 *jus*

jus gladii, & in metallum dandi poteſtas eis permiſſa erat l. 6. §. 8. D. de Offic. Præſ. ſed hanc poteſtatem, quæ aliis vocibus in jure Quiritium, & nominatim l. 3. D. de jurisd. *Merum Imperium* appellatur, mandari non potuiſſe, certum eſt, & nota in hanc rem l. 1. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. *Qui mandatam jurisdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet: ſed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. Verius eſt enim, more majorum jurisdictionem quidem transferri: ſed merum Imperium, quod Lege datur, non poſſe tranſire.* Utique, ſi his advorſum facinus Pilatus cœptaſſet, merito ei objectum fuiſſet, ὐκ εἶ φίλος τῦ Καίσαρος. *Non es Cæſaris amicus*: quæ, Judæorum apud Johannem XIX. 12. vel, τῦτο ὕβριν Καίσαρι φέρειν, *hoc cum Cæſaris injuria conjunctum eſſe*, quæ, ipſius Pilati apud Joſephum l. 18. Antiq. c. 4. phraſis eſt, cujus rei ſuſpicionem tantopere a ſe amotam volebat. Porro, ecquis ignorat, ex Actorum VII. etiam poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem, criminalem jurisdictionem, & merum imperium vere Judæos exercuiſſe, ferendo adverſus Stephanum capitalem lapidationis ſententiam? Minime enim eorum placet opinio, qui illud factum ad zeli judicium referunt, quomodo præter alios, Hugo etiam Grotius, graviſſimus cæteroquin Vir, l. 4. de Jure Belli & Pac. cap. 20. §. 9. animatus fuiſſe deprehenditur. Nam, ſi verum eſt, quod ait illo loco Grotius: *Hebræorum moribus, Hebræus a Deo & Dei lege deficiens, aut Ducem ſe*

ad

ad falſos cultus præbens, illico a quovis homine poterat interfici. Judicium zeli id vocant Hebræi, quod a Phinea primo exercitum ajunt, & inde abiiſſe in morem. Si, inquam, hæc ita ſe habent, ecquomodo ad hoc judicium ulla ratione quadrat Stephani hiſtoria, in qua nos legimus Stephanum ab accuſatoribus coram Synedrii Judices fuiſſe deductum; ibi blaſphemiæ criminis cum reus factus eſſet, dixiſſe teſtimonium teſtes etſi falſos, Stephanum contra inſigni oratione ſe ſuamque innocentiam defendiſſe: Cum vero nihil promoveret, capitis damnatum, ejectum fuiſſe ex civitate, atque pœna blaſphemis debita, lapidatione nimirum, & quidem more majorum affectum eſſe, ita, ut ſecundum Dei Deut. XVII. 7. præceptum, primi in eum ſaxa teſtes jecerint, quippe de quibus ſcriptum extat: Απέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν παρὰ τοὺς πόδας νεανίου καλουμένου Σαύλου. *Depoſuerunt veſtimenta ſua, ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus*: ut ideo Actor. XXII. 20. ipſe Paulus Deo fateatur: Οτε ἐξεχεῖτο τὸ αἷμα Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστὼς, καὶ συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, καὶ φυλάσσων τὰ ἱμάτια τῶν ἀναιρούντων αὐτόν. *Cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego adſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.* Quæ omnes circumſtantiæ, ipſo ſole, cum ſudum eſt, clarius oſtendunt, legitimum judicii criminalis proceſſum obſervatum eſſe, nihilque minus, quam zeli judicium obtinuiſſe. Scilicet, in zeli ju-

P 5 dicio,

dicio, nec judex, nec accuſator, nec teſtis, nec ſententiæ pronunciatio, nec denique ſupplicii forma conſueta locum habebant, ſed, uti recte obſervavit Seldenus, l. 4. de Jur. Nat. & Gent. juxta diſc. Hebr. cap. 4. ex zeli judicio *ſupplicium capitale* בשעת מעשה id eſt, in ipſo dum committebatur facinus duntaxat momento, *ſeu homini*, ἐπαυτοφώρῳ deprehenſo, *a zelotis, id eſt, privato zelo ductis, infligi permittebatur. Nempe homines pii, qui zelo Numinis accenderentur, jus ejusmodi habebant, ut ſi viderent* בפרהסיא palam *ſeu* in publico, *id eſt, ut recepta fertur ſententia, præſentibus coram decem minimum Iſraëlitis, quempiam Hebræum, aut circumciſum alium, ſeu in Judaiſmum cooptatum, adverſus ſanctitatem ſive Numinis, ſive Templi, ſive Gentis, aliquid commiſſurum, ipſo eodem momento fas eis eſſet incurrendo ſeu aggrediendo eum, aut verbere aut vulnere præpedire ac cohibere, aut etiam cæde perſeverantem e medio tollere. Nam, ſi intermitteret, occidendus non erat ſine judicio forenſi.* Convenit cum his apprime, Phineæ Num. XXV. factum, dum Simri filium Salu, Ducem Simeoniticæ tribus, & Cozbi, paganam mulierem, filiam Zur Principis Midianitarum, in ſtupro palam deprehenſos, eveſtigio, ſolo zelo ductus, haſta confodit, idque zeli judicio originem dedit formamque. Sed, operæ pretium eſt, ipſos Judæorum Magiſtros de hac re audiamus, quorum verba, & Grotius, & Seldenus, afferre ſuperſederunt. Maimonides, Hilchot Iſsure Bia cap. 12. כל הבועל

בותית

כותית בין דרך חתנות בין דרך זנות אם בעלה
בפרהסיא והוא שיבעול לעיני עשרה מישראל או יתר
אם פגעו בו קנאין והרגוהו הרי אלו משובחין וזריזין
ודבר זה הלכה למשה מסיני הוא ראיה לדבר זה
מעשה פנחס בזמרי ואין הקנאי רשאי לפגוע בהן
אלא בשעת מעשה כזמרי שנאמר ואת האשה אל
קבחה אבל אם פירש אין הורגין אותו ואם הרגו
נהרג עליו ואם בא הקנאי ליטול רשות מבית דין
להרגו אין מורין ואף על פי שהוא בשעת מעשה
ולא עוד אלא אם בא הקנאי להרוג את הבועל
ונשמט הבועל והרג הקנאי כדי להציל עצמו מידו
אין הבועל נהרג עליו: Id eſt: *Quisquis paganam mulierem init, ſive id fiat ob ſponſalia quæ præceſſerunt, aut ſolius libidinis explendæ cauſa, ſi iſtud propalam faciat, hoc eſt, decem vel pluribus Judæis ſcelus inſpectantibus, tum, ſi zelotæ hominem adoriantur, & impigre trucident, laudantur. Eſt hoc inſtitutum, traditio Moſis, inde a monte Sinai ad nos derivata, ejusque argumentum habetur cædes, quam Phineas circa Simri peregit. Veruntamen, haud aliter licet zelotæ impetum in concubitores facere, quam ſi ipſi venereo operi ſint intenti, prout de Simri res ſe habet, unde Scriptura* (Num. XXV. 8.) *ait*: Et mulierem, in locis genitalibus. *Quod ſi ab opere ceſſent, tum porro trucidare nefas eſt, ſe:us enim qui facit, ipſe poſtea capitis ſupplicium ſubire cogitur. Quod ſi magiſtratum adeat zelotes, veniam occidendi concubitores petiturus, non eam indulgent, etiamſi maxime inceſtus rei genialem rem adhuc peragant. Quin imo, non hæc tantum venia*

non

non conceditur, ſed &, ſi dum zelotes concubitorem occidere molitur, ipſe ſurgens zeloten interimat, ut vitam ſuam adverſus aggreſſorem tueatur, non id ei capital fuerit. Et re, & verbis propemodum, conveniunt, quæ habet Codex noſter MS. ineditus Ez Hechajim Hilchot Nidda c. 10. אם בא ישראל על הגויה בפני עשרה מישראל או יותר משהיה * קנאי לשם יהרגנו כמו שעשה פנחס לזמרי ואין רשאי להורגו רק בשעת מעשה כמו שני אל קבתה אבל אם פירש אם הרגו נהרג הקנאי עליו ואפילו בשעת המעשה אם בא לשאול הוראה מבית דין לא יורו לו להרגו וגם אם עמד הבועל להציל נפשו והרג הקנאי פטור והבועל בת גר תושב הקנאי לא יהרגנו: *Si quis Judæus, cum pagana muliere, in decem, aut plurium Judæorum præſentia, rem habeat, tum ſi adſit zelotes, trucidato illum, & imitator factum Pinchaſi cum Simri. Sed, nefas eſt aliter occidere, quam* ἐπαυτοφωρῳ μοιχευόμενον, *unde dicitur (* Num. XXV. 8. *)* In genitalibus. *Quod ſi enim a ſcelere ceſſantem interficiat zelotes, viciſſim capitali ſupplicio afficiendus fuerit. Quin &, ſi facinus patrante homine, zelotes Magiſtratum adeat, ejusque ſententiam perquirat, nequaquam is ei autor eſt occidere. Adde, quod ſi concubitor conſurgat, & vitæ defendendæ cauſa zeloten perimat, immunis ipſe ſit, &, quod cum filia proſelyti domicilii concumbentem, zelotes vita privare non debeat.* Paria leguntur apud Moſen Kozenſem Præc. Negat. CXII. eſtque illorum fundamentum in Sanhedrin

* fortaſſe legendum אם הה

drin cap- IX. ſive fol. 82. a. & exinde apud. Coccejum in Excerptis p. 293. unde locum transſcribimus: אמר רבה בר בר חנה א׳ד יוחנן הבא לימלך אין מורין לו ולא עוד אלד שאם פירש זמרי והרגו לפנחם * נהרג עליו נהפך זמרי והרגו לפנחס אין נהרג עליו שהוא † רודף הוא: Laudatus Coccejus vertit: *Rabbabarbar Channa* (mallem, *Rabba nepos Channæ*) *refert dixiſſe R. Iohannem. Si petat* (*zelotes*) *conſilium*, *non datur*: *imo etiam ſi Zimri a ſcorto ſe abduxiſſet*, *capite plectendus fuerit. Atque adeo ſi converſus Zimri Pinchaſum vita privaſſet, capitis pœnam luendam non habuiſſet.* Nihil igitur in univerſum eſt manifeſtius, quam, Stephani cædem nullo prorſus modo ex zeli judicio profectam eſſe, tantumque diſcrimen inter hæc intercedere, quam quod maximum. Ut vero cum hactenus traditis, Judæorum illud: Ημῖν ȣ̓κ ἔξεςιν ἀποκτεῖναι ȣ̓δένα, conciliemus, exiſtimaverim, id hac ratione commode fieri poſſe, ſi dicamus, Romanos Cæſares, cum, (quæ Joſephi 2. contra Apionem verba ſunt, & vulgo tantum Latine in noſtris Codicibus extant) *pro magnanimitate & modeſtia ſua, qua non cogebant ſubjectos patria jura transſcendere*, Judæis, quod apud Joſephum l. 14. Antiq. c. 17. eſt vetus privilegium, τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσαι *patriis moribus & ſacris uti*, ſalvum & incolume conſervarent, ſimul id quoque poteſtatis, primario eorundem Magiſtratui gentili, ſive Synedrio reliquiſſe, ut, ſi quis popularium, ſacra temeraret,

* legendum פנחס † legendum שררי

ret, DEUMque patrium violare, & ejus religionem profanare, impio auſu præſumeret, in hunc non tantum carcere, flagris, aliiſque minoribus pœnis, ſed &, ſi facinoris id poſtularet enormitas, ſupremo ſupplicio animadvertere poſſet. Eſtque obſervatu dignum, quod Joſephus l. 18. cap. 4. retulit, eos, qui Pilatum præceſſerant Præſides, tantum Judæis tribuiſſe, ut in illorum gratiam, a militaribus cum effigie Cæſarum ſignis, abſtinuerint, quod, magno argumento eſt, ſedulo ipſos caviſſe, ne Judæorum ſacris ulla ratione obeſſe, aut offenſionem præbere viderentur. Atque ipſe adeo Pilatus, qui noctu illatas effigies Hieroſolymis ſtatuerat, cum Judæos potius extrema quæque pati, quam illas tolerare velle animadverteret, θαυμάσας τὸ ὀχυρὸν αὐτῶν ἐπὶ φυλακῇ τῶν νόμων, παραχρῆμα τὰς εἰκόνας ἐκ τῶν ἱεροσολύμων ἐπανεκόμισεν εἰς Καισάρειαν. *admirans tam conſtans legum ſtudium, continuo reportavit eas imagines Cæſaream a Hieroſolymis.* Quin, nec fieri adeo commode poterat, ut Præſides Romani, de ſacris Judæorum contaminatis, cognitionem inſtituerent, quippe qui cæremoniarum divinarum apud ipſos, juriſque Eccleſiaſtici, penitus erant ignari, imo omnem Numinis in illa gente colendi rationem, ridiculiſſimam & ineptiſſimam reputabant. Facit huc apprime, illud Portii Feſti Præſidis, ad Agrippam Regem, & Bernicen, Actor. XXV. 19. 20. de Judæorum & Pauli coram ſe diſceptatis litibus. Ζητήματα δέ τινα περὶ τῆς ἰδίας δει-

σιδαι-

σιδαιμονίας εἶχον πρὸς αὐτὸν, καὶ περί τινος Ἰησοῦ τεθνηκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν· Ἀπορούμενος δὲ ἐγὼ εἰς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν, ἔλεγον εἰ βούλοιτο πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλὴμ κἀκεῖ κρίνεσθαι περί τούτων· *Quæſtiones vero quasdam, de ſua ſuperſtitione habebant adverſus eum, & de quodam Ieſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. Hæſitans autem ego de hujusmodi quæſtione, dicebam, ſi vellet ire Hieroſolymam, & ibi judicari de iſtis.* Quamobrem, ſalva adhuc utcunque Judæorum Republica, & cum nondum ſumma imis permiſcuiſſet temporum fatalitas, ſacras cauſas ad Synedrii tribunal pertinuiſſe affirmandum eſt, atque licuiſſe huic, ſontes, tum leviori caſtigatione, tum pœnis capitalibus coërcere. De priore dubitare nos non ſinit, illud Pauli, de ſuo adverſus Chriſti ſectatores (quos pro veteris Judaicæ Religionis profanatoribus habebat,) odio extremo, & auſibus, in allocutione publica civium Hieroſolymitanorum, quæ Actor. XXII. refertur: Ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα ἄχρι θανάτου, δεσμεύων καὶ παραδιδοὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, ὡς καὶ ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι, καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον· παρ' ὧν καὶ ἐπιστολὰς δεξάμενος πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, εἰς Δαμασκὸν ἐπορευόμην, ἄξων καὶ τοὺς ἐκεῖσε ὄντας, δεδεμένους εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἵνα τιμωρηθῶσιν· *Hanc viam perſecutus ſum, usque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias, viros ac mulieres, ſicut princeps Sacerdotum mihi teſtimo-*

nium

nium reddit, & omnes majores natu, a quibus & epiſtolas accipiens, ad fratres Damaſcum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jeruſalem ut punirentur. Jungendus his locus Act. IX. 2. & adeo ipſum Servatoris Matth. X. 17. huc pertinet dictum: Παραδώσουσι ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς. *Tradent vos Synedriis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.* Nec deſunt exempla, quippe Synedrii juſſu, Petrus aliique Apoſtoli vapularunt, ſimulque denuntiatum iis fuit, ne omnino loquerentur in nomine Jeſu, Actor. V. 40. & Paulus 2. Corinth. XI. 14. a Judæis, quinquies, quadragenas plagas, una minus ſe accepiſſe gloriatur. Enim vero, ultimo inſuper ſupplicio Synedrium eos quos religionis avitæ violatores credebat affeciſſe, non ſolum quæ de Stephani lapidatione jamdum adducta nobis ſunt, perſpicue comprobant, ſed etiam idem adhuc amplius confirmat, Tertulli, Judaici Oratoris, nomine Ananiæ Pontificis, & Seniorum, apud Felicem Præſidem, adverſus Paulum inſtituta accuſatio, Actor. XXIV. memoriæ prodita. Εὑρόντες γὰρ τοῦτον τὸν ἄνδρα λοιμὸν, καὶ κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην, πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως· Ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. Παρελθὼν δὲ Λυσίας ὁ χιλίαρχος, μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγε, κελεύσας τοὺς

κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπί σε. *Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Judæis in univerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum: qui etiam templum violare conatus eſt, quem & apprehenſum,* voluimus ſecundum legem noſtram judicare. *Superviniens autem tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris, jubens accuſatores ejus ad te venire.* Conſtitutum igitur fuerat Judæis, *ſecundum patrias leges* in Paulum animadvertere, quod clariſſimo indicio eſt, fas illis fuiſſe, jus adminiſtrare, & quidem jus necis vitæque, nec enim aliam, quam capitalem pœnam, ſecundum mores & inſtituta gentis, meruerat *homo*, qui ipſis videbatur, *peſtifer, concitans ſeditiones omnibus Iudæis in univerſo orbe, & auctor ſeditionis ſectæ Nazarenorum, quique templum etiam violare conatus erat.* Imo Lyſias tribunus, diſerte in ſuis ad Felicem literis, Act. XXIII. 27. Τὸν ἄνδρα τοῦτον συλληφθέντα ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν, ἐπιστὰς σὺν τῷ στρατεύματι ἐξειλόμην αὐτόν, μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι: *Virum hunc, comprehenſum a Iudæis, cum jam futurum eſſet*, ut ab eis interimeretur, *ſuperveniens cum militum manu, erui, edoctus Romanum eſſe.* Ex quibus, id ſimul diſcimus, niſi Lyſias compertum habuiſſet, Paulum civem Romanum eſſe, non eum impediturum fuiſſe, quo minus e medio tolleretur. Liberavit igitur Paulum ab imminente exitio, illud civitatis Romanæ jus, ut tanto magis credibile evadat, id, quod ſupra tacite

tacite innui, ſcilicet, non licuiſſe Synedrio, in plane peregrinos, etiamſi ſacris Judæorum contumeliam feciſſent capitaliter animadvertere. Atque ſane miles ille, qui, celebrantibus Judæis in templo azymorum feſtum, ſtans ſuper porticum, reductis turpiter veſtimentis, προσαπέστρεψε τοῖς Ἰουδαίοις τὴν ἕδραν, καὶ τῷ σχήματι φωνὴν ὁμοίαν ἐπεφθέγξατο, *poſticas corporis partes nudas populo obverterat, & huic ſchemati convenientem ediderat vocem*, de quo eſt apud Joſephum l. 2. de Bello cap. 11. & l. 20. Antiq. cap. 4. minime Judæis caſtigandus tradebatur, quamvis tota multitudo Cumanum Præſidem circumſtaret, ac inverecundum hominem ad necem depoſceret. Quin &, (quod, ex iiſdem Joſephi locis conſtat) cum alius miles, libros Moſaicos in vico quodam inventos, protuliſſet, eosque laceraſſet in conſpectu omnium, multis debacchatus, & in Legem, & in gentem totam convitiis; ſimiliter facinus Judaico Magiſtratui vindicare non licuit, ſed, Cumani Præſidis juſſu, miles ſecuri percuſſus eſt. Cæterum, ſi quæ crimina, ab ipſiſmet Judæis, non adverſus ſacra ſua proprie commiſſa viderentur, ſed civilem quietem turbarent, Reipublicæ detrimentum afferrent, aut læderent Imperatoriam majeſtatem, in his nullam Judaici Magiſtratus fuiſſe cognitionem, ſed omnem rem ad Præſidis tribunal pertinuiſſe, juvat credere; ut de his caſibus vere dicere poſſent Judæi: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Verum, non iſtud tantum pronunciatum, ſed &

alia

alia multa Paſſionis Domini & Servatoris noſtri, ex hactenus dictis lucem accipiunt, eademque viciſſim illuſtrant, quæ, ſcelus eſſet negligere. Scilicet, a manipulo furum, quos Summi Sacerdotes, Scribæ, & Seniores, ad illum prehendendum miſerant, captus Servator, ante omnia ad Senatum Synedrii, (quam vocem Matthæus XXVI. 59. Marcus XIV. 55. Lucas XXII. 66. ſignanter uſurpant) eſt pertractus. Etenim, ad hoc forum ſpectabant, crimina quæ intentabantur, violata nimirum blaſphemiis religio, ſeductio plebis, & templi profanatio. Unde, præter alios, duo quoque teſtes contra illum producti, aſſeverantes: Οὗτος ἔφη. Δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτόν. *Ille dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud*: Matth. XXVI. 61. Cumque inſuper, in ipſo illo conſeſſu Judicum, blaſpheme ſe filium Dei jactaſſe videretur Dominus noſter, jure ſuo, quod in ſacra hac cauſa ei competebat, uſus eſt Senatus, & capitalem ſententiam pronunciavit. Cum enim Pontifex, qui ſuffragia colligebat, ſententiam rogaſſet, verbis conceptis, Τί ὑμῖν δοκεῖ; *Quid vobis videtur?* inquiens; omnes concordibus votis clamitabant: Ενοχος θανάτου ἐςί *Reus eſt mortis*, uti Matthæus XXVI. 66. in literas retulit. Quæ verba, ſecus quam Cl. Caſaubonus loco ſupra citato cenſuit, non de privata opinione, ſed, de vero jure pronunciandi ſententiam cum effectu, accipienda eſſe, fit ve-

riſimile. Atque, ne hac in re tergiverſemur, Marcus XIV. 64. facit, quando paulo diſtinctius ait: Οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου. *Omnes* condemnaverunt *eum eſſe reum mortis*. Non igitur animo tantum & voto, ſed ſolemni validaque judicum condemnatione, Servatori noſtro mortem irrogatam fuiſſe crediderim, qua affici potuiſſet quoque, niſi alia obſtitiſſent. Nempe, erat tum Paſchatis feſtum, confluxeratque ejus celebrandi cauſa Hieroſolymas infinita hominum multitudo; inter hos, cum innumeri eſſent, quos Chriſtus doctrina & miraculis ſuis ſibi obnoxios reddiderat, itaque verebatur Magiſtratus, ne qua ingens ſeditio in urbe oriretur, ſi ipſe de Chriſto ſupplicium ſumeret, quem metum Matthæus XXVI. 5. Marcus XIV. 2. Lucas XXII. 2. expreſſerunt. Ergo remedium aliquod reperiendum erat, ut, ſine Synedrii culpa, Chriſtus interimi crederetur, & ſceleris invidia in alios omnes potius, quam in ejus autores redundaret. Poſt longam deliberationem, callide placuit Pilati Procuratoris uti opera, atque in id loci illum redigere, ut Chriſtum ſuis præjudiciis jam damnatum, ipſe interimere cogeretur. Ita geſtum eſſe negotium, Matthæus, & Marcus Evangeliſtæ, fidem faciunt, qui, cum narraſſent, pridie a Synedrio CHRISTUM jam condemnatum fuiſſe, poſtridie in conſultationem veniſſe referunt, quomodo id quod decreverant, reddi poſſet effectum. Matthæi c. XXVII. 1. 2. verba ſunt: Πρωΐας δὲ γενο-

γενομένης, συμβούλιον ἔλαβον πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν. Καὶ δήσαντες αὐτὸν, ἀπήγαγον, καὶ παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι. *Mane autem facto, conſilium inierunt omnes principes Sacerdotum, & ſeniores populi, adverſus Ieſum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* Pro iſtis, Marcus XV. 1. habet: Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωῒ συμβούλιον ποιήσαντες οἱ ἀρχιερεῖς μετὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, δήσαντες τὸν Ἰησοῦν ἀπήνεγκαν, καὶ παρέδωκαν τῷ Πιλάτῳ. *Et confeſtim mane conſilium facientes ſummi Sacerdotes, cum Senioribus, & Scribis, & univerſo Synedrio, vincientes Ieſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.* Atque hos dolos, uti verſutiſſimi Judæorum Judices, quibus mala mens, malus animus, machinati ſunt, quo deſtinata redderent effecta: ita agnoſcimus tamen in iſtis, & devote veneramur, cœleſtis Providentiæ diſpoſitionem. Non enim Judæorum tantum, ſed & gentilium calculis, damnandus erat, qui utrorumque ſanguine cretos, morte ſua, æterno Patri propitiare, illorumque crimina expiare inſtituebat. Ad Pilatum vero, cum ſaxum quod ſatis diu volutabant, devolviſſent Judæi, quoniam ad impetrandum ab eo, quod volebant, neceſſe erat, ut ipſe Pilatus quoque Chriſtum capitis damnaret, idcirco apud hunc ſimiliter accuſationes ſuas factitant.

 Sed

Sed enim, non hic falſæ & avitis præceptis contrariæ doctrinæ, Servatorem noſtrum inſimulant, non queruntur, illum extremâ quæque templo atque ſupremo Numini dicatis ædibus comminatum eſſe, non affectatam divinitatem exprobrant; quippe, prævidebant facile, reſponſurum Pilatum, procul faceſſere ipſos debere, cum iſtius generis querelis, & operam dare, ut hæc ſua iſta miſcerent, ne ſe admiſceant, neque enim ſui muneris eſſe, lites circa ſuperſtitiones ipſorum enatas, componere. Nequaquam igitur illa criminum capita, quæ coram Synedrio in disquiſitionem venerant, ultimisque pœnis digna judicata fuerant, apud Pilatum recenſentur, ſed mutato ſtylo, eorum malefactorum Chriſtus reus fit, quorum cognitionem ſubterfugere non poſſe Præſidem, accuſatores certo ſciebant. Nimirum ſeditio, & læſæ majeſtatis crimen, ſcelerum omnium, quæ committi inter mortales poterant, longe atrociſſima, objectabantur. Lucas teſtis, cum cap. XXIII. 1. 2. ait. Καὶ ἀναςὰν ἅπαν τὸ πλῆθος αὐτῶν, ἤγαγεν αὐτόν ἐπὶ τὸν Πιλάτον. ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐτοῦ λέγοντες: Τοῦτον εὕρομεν διαςρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν Χριςὸν βασιλέα εἶναι. *Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Sane, cum nihilo ſecius Pilatus, judicis officio

officio fungi detrectaret, ac ſententiam pronunciare nollet, verbaque ſequentia quæ Johannes cap. XIX. annotavit, proloqueretur: Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ ϛαυρώσατε, ἐγὼ γὰρ οὐχ εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν. *Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.* Reſpondebant quidem Judæi: Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Non tamen ideo, conceſſam a Pilato poteſtatem ſibi vindicant, & Chriſtum neci tradere ſuſtinent, ſed iſta tantum dixiſſe eos apparet, ut ſignificarent, bis illum mortem promeritum eſſe, contemnendo videlicet, & violando, tam ſuas, quam Romanorum leges, temerandoque, & Numinis, & Imperatoriam majeſtatem. Proinde, nec inſiſtunt huic rei, ſed, cum paulo poſt Pilatus Chriſtum tanquam inſontem liberare conaretur, ad antiquum redeunt, & ſublata voce, illud fere ſupra jam a nobis allatum, immodice clamitant, quod, ideo nunc Nonni verbis exprimere placet:

—— —— Ἀπήμονα τοῦτον ἐάσας,
Καίσαρος οὐ φίλος ἐσσὶ μονοσκήπτρου βασιλῆος.
Πᾶς γὰρ ἑαυτὸν ἄνακτα λέγων ψευδήμονι μύθῳ.
Καίσαρι Τιβερίῳ ψευδώνυμος οὗτος ἐρίζει.

--- --- Illæſum hunc relinquens,

Cæſaris non amicus es, ſolius ſceptriferi Regis.

Omnis enim ſeipſum Regem dicens, mendaci ſermone,

Cum Cæſare Tiberio falſo nominatus hic contendit.

Sic igitur poſtremo effectum eſt, ut gloriæ Dominus a Pilato condemnaretur, & ageretur in crucem; namque, ut Theophylactus notat: Οἱ Ρωμαῖοι ςαυρῶ τὰς ἀνθαρ᾽ ἂς δικάζουσι. *Romani, regni affectati reos, cruci affigunt.* Quemadmodum vero in prædictis probatum dedimus, ſub Felice Præſide, penes Judæos jus vitæ ac necis, in ſacris cauſis adhuc fuiſſe; ita nolim contendere, diſcrimen illud juriſdictionis, omni retro tempore tam exacte fuiſſe obſervatum, ut non aliquando Judæorum immunitates detrimentum paſſæ ſint. Quippe, Præſides, pro ſuo erga Judaicam gentem odio, aut affectu, ſæpe res temperaſſe, dubitari nequit, eoque factum eſſe, ut Synedrium modo liberiore modo reſtricta poteſtate, etiam circa ſacra uteretur. Hinc, ex Joſephi l. 20. Antiq. c. 1. colligas, Cuſpium Fadum Claudio Cæſari conſilium dediſſe, ſacræ Pontificis ſtolæ, itemque coronæ illius cuſtodiam Judæis adimeret; atque morem geſturum fuiſſe Cæſarem, niſi Agrippa Junior deprecator interceſſiſſet, effeciſſetque, ut gratiâ,

quam

quam Vitellius Syriæ Præſes in reddendo Pontificio ornatu, cujus cuſtodiam, poſt Herodem, & Archelaum, Romani ſibi vindicarunt, Judæis conceſſerat, adhuc porro fruerentur. Sic, Pilatum contra anteceſſorum inſtituta, imagines in Hieroſolymas inferre conatum eſſe, paulo ante indicavimus. Nunc porro, haud difficile nobis apparet, definire, quando, & qua occaſione, Synedrium poteſtatem judiciorum capitalium, in rebus ad ſacrum forum pertinentibus, amiſerit. Etenim, poſtquam Claudius Imperator, Herodi, Chalcidis Dynaſtæ, poteſtatem in templum Hieroſolymitanum, & ſacrum ærarium, facultatemque eligendorum ſummorum Pontificum, hæreditario jure conceſſiſſet, (quod ita factum eſſe aſſeverat Joſephus l. 20. Antiq. cap. 1.) is gradus fuit, ad Judæos ſacra autonomia privandos. Accidit poſtea, cum Portius Feſtus, Felicis Succeſſor, fato functus eſſet, atque ſic Judæi Præſide carerent, ut interea temporis Ananus Pontifex, & Synedrium, in aliquammultos, & inter cæteros, in Jacobum quoque, fratrem Domini noſtri, quos violatæ religionis damnaverunt, lapidationis ſupremo ſupplicio animadverterent. Nempe, quantum ſuſpicor, occaſionis commoditate utendum eſſe rati ſunt, cavendumque, ne novus adventans Præſes, religioſæ cauſæ ſe ingereret, illamque ſub quodam prætextu ad ſuum tribunal evocaret; atque habebant fortaſſe in memoria, quæ circa Paulum non ita pridem acciderant, & quomodo is a Felice, Judaici Magiſtratus poteſtati ſubductus, prome-

 ritas

ritas ipſorum opinione pœnas, apud γνησίους judices effugiſſet, quamobrem maturarunt ſupplicia. Ea res, peſſime habuit cordatiores inter ipſoſmet Judæos, tanquam quibus minime obſcurum erat, per meram injuriam & impotentiam, homines nullorum ſcelerum reos, e medio ſublatos eſſe, & ideo de facti hujus indignitate, tum apud Agrippam Juniorem, Herodis modo dicti e fratre filium, Trachonitidis Tetrarcham, tum & apud novum Præſidem Albinum, in itinere conſtitutum, graviſſime conqueruntur. Hos, cum auſi offendiſſet temeritas, eam ſevero exemplo vindicandam eſſe ſtatuerunt: Itaque Anano ab Agrippa ablata eſt Pontificalis dignitas, Synedrio vero autoritas tantum non omnis, tum videtur ſimul eſſe ademta. Sed, ipſe Joſephus lib. **20.** Antiq. cap. 8. hanc hiſtoriam referens, audiendus eſt, &, confert ad veritatem, ipſis Scriptorum, iisque plenis, uti teſtimoniis. Ο δὲ νεώτερος Ανανος, ὃν τὴν ἀρχιερωσύνην ἔφαμεν παρειληφέναι, θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὴς διαφερόντως, αἵρεσιν δὲ μετήει τὴν σαδδουκαίων οἵπερ εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους, καθὼς ἤδη δεδηλώκαμεν· ἅτε δὴ οὖν τοιοῦτος ὢν ὁ Ανανος, νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον, διὰ τὸ τεθνᾶναι μὲν Φῆστον, Αλβῖνον δὲ ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν· καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ιησοῦ τοῦ λεγομένου χριστοῦ, Ιάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάν-

πάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευσθησομένους· ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι, καὶ περὶ τοὺς νόμους ἀκριβεῖς, βαρέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ, καὶ πέμπουσιν πρὸς τὸν βασιλέα κρύφα παρακαλοῦντες αὐτὸν ἐπιστεῖλαι τῷ Ἀνάνῳ, μηκέτι τοιαῦτα πράσσειν, μηδὲ γὰρ τὸ πρῶτον ὀρθῶς αὐτὸν πεποιηκέναι. Τινὲς δὲ αὐτῶν καὶ τὸν Ἀλβῖνον ὑπαντιάζουσιν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ὁδοιποροῦντα, καὶ διδάσκουσιν ὡς οὐκ ἐξὸν ἦν Ἀνάνῳ, χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσαι συνέδριον. Ἀλβῖνος δὲ πεισθεὶς τοῖς λεγομένοις γράφει μετ᾽ ὀργῆς τῷ Ἀνάνῳ, λήψεσθαι παρ᾽ αὐτοῦ δίκας ἀπειλῶν. Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας διὰ τοῦτο τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπελόμενος αὐτὸν ἄρξαντα μῆνας τρεῖς, Ἰησοῦν τὸν τοῦ Δαμνέου κατέστησεν. *Junior autem Ananus, is, quem nunc ſummum Pontificatum accepiſſe diximus, audax erat, & ferox ingenio, ſecta Sadducæus, quod hominum genus apud Iudæos in judicando eſt ſeveriſſimum, ut ante docuimus. Talis igitur cum eſſet, tempus opportunum ſe nactum ratus, mortuo Feſto, Albino ad huc agente in itinere, Synedrium advocat: ſtatutumque coram eo fratrem Jeſu Chriſti, Iacobum nomine, & una quoſdam alios, reos impietatis peractos, lapidandos tradidit: quod factum, omnibus in ea civitate bonis, & legum ſtudioſis, vehementer diſplicuit: miſſisque ad Regem clam nunciis, rogaverunt, mandaret Anano, ne*

quid

quid tale poſthac ageret ; nam , ne nunc quidem recte egiſſe. Quidam etiam Albino occurrentes , venienti ab Alexandria , docuerunt eum , non licuiſſe Anano ſine ipſius conſenſu advocare Synedrium. Horum verbis ille perſuaſus , iracunde ſcripſit Pontifici , daturum ſibi pœnas minitans : & Agrippa Rex , eam ob cauſam , poſt tertium menſem ablatum ab eo pontificatum Jeſu Damnei filio conceſſit. Poſt hæc , ſequuntur quædam apud Ioſephum , de ſicariis , quibus tum plenæ erant Hieroſolymæ. Sequuntur item lamentabiles ejus queſtus : Ἐξ ἐκείνου μάλιστα τοῦ καιροῦ συνέβη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσεῖν , προκοπτόντων πάντων ἐπὶ τὸ χεῖρον. *Atque ex illo maxime tempore, labare cœpit noſtra Reſpublica, & indies in deterius ruere.* De reliquo , non diſſimulandum , acerrime cum noſtra hypotheſi , de capitalium judiciorum apud Judæos ad poſtrema usque urbis tempora duratione , pugnare illud in Schalſch. Hakkab. pag. 26. b. ex Avoda Sara cap. 1. & aliunde ; ארבעים שנה קודם החרבן גלתה סנהדרין ממקומה מפני שרבו הרוצחים ובטלו דיני נפשות מישראל ואז נפתחו שערי ההיכל מעצמן וגער בהם רבי יוחנן בן זכאי׃ i. e. *Quadraginta annis ante excidium urbis Hieroſolymitanæ , pulſum eſt Synedrium loco ſuo , quia auctus fuerat numerus homicidarum , atque ceſſaverat inter Judæos cognitio de criminibus capitalibus , tum quoque ſponte ſua adapertæ fores templi ſunt , quas R. Jochanan Saccai filius , increpuiſſe dicitur.* Sed hæc , non tam nobis adverſantur , quam ipſi rerum veritati. Joſepho enim , fideli , diſerto,

ſerto, & æquali iſtorum temporum ſcriptori, citra hæſitationem credendum eſt, Synedrium paulo ante Albini Præſidis adventum, capitalem lapidationis ſententiam adverſus aliquos & pronunciaſſe, & adimpleri curaſſe, quo ſupplicio nullum aliud apud Judæos erat gravius. Nam, de capitalium pœnarum inter illos receptarum gradibus, ſic eſt in Codice noſtro MS. Ez. Hechajim Hilch. Dine Mam. Vneph. cap. 6. & apud Moſen Kozenſem fol. 188. col. 3. סקילה חמורה משריפה ושריפה מסייף וסייף מחנק: *Lapidatio, gravior eſt Combuſtione, Combuſtio, atrocior eſt pœna gladii. Gladii pœna, mitior eſt Strangulatione.* At, ceu calculum in Annotat. ad Euſebii Hiſtoriæ Eccleſiaſt. l. 2. cap. 23. inivit, Inſignis Vir, & quem in Gallia non ſuſpicere tantum, ſed & complecti nobis licuit, Henricus Valeſius, Albinus anno Neronis quarto adminiſtrare Judæum cœpit, manſitque usque ad annum decimum. Ergo conſequitur, decennio adhuc ante urbis deſolationem Synedrium meri Imperii jus exercuiſſe. Amplius, nec poſtremum membrum Talmudici dicti, de Templi portis ultro patefactis, anno quadrageſimo ante Hieroſolymarum everſionem convenit. Non me fugit quidem, Buxtorfium avum, in ſua Operis Talmudici Recenſione, iſtud aſſertum tueri conatum eſſe, atque de Templi velo, quod patiente Chriſto ſciſſum fuit, accepiſſe, ut ſic ille annorum numerus non magno abſurdo obnoxius, & propoſito congruere videtur. Verum, quod pace Manium Doctiſſimi in his literis viri, dixerim,

fruſtra

fruſtra fuit, & decepit illum opinio. De velo Templi apud Talmudiſtas crebra mentio & ſermo multus, at nunquam, ſi bene memini, nominibus שערים aut דלתות quæ in hac hiſtoria narranda adhibent, illud deſignant; nam, iſtæ voces, *portas*, atque *oſtia*, omnino innuunt. Et vero, an dubium cuiquam eſſe poteſt, illud prodigioſum oſtentum ſignificare Talmudiſtas, quod, inter cætera, quæ Urbis & Templi excidium, Albino adhuc Præſide, præceſſerant mala omina; his nobis verbis narrat Joſephus l. 7. de bello cap. 12. Η δὲ ἀνατολικὴ πύλη τȣ̃ ἐνδοτέρȣ, χαλκὴ μὲν ȣ̃σα καὶ ϲιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλης μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις, καὶ καταπῆγας δ' ἔχȣσα βαθυτάτȣς, εἰς τὸν ȣ̓δὸν ὄντα διηνεκȣ̃ς λίθȣ καθιεμένȣς, ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην, αὐτομάτως ἠνεωγμένη· *Orientalis autem porta interioris templi, cum eſſet ænea atque graviſſima, & ſub veſperam vix a viginti viris clauderetur, ſeriſque ferro vinctis obſeraretur, peſſulosque altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis hora ſexta pateſcere.* Ad tollendum igitur ſcrupulum, quem jam modo allatum Talmudiſtarum effatum injicit, illud ſuſpicor maxime utile eſſe, ſi dicamus, corruptam eſſe in Codicibus noſtris lectionem, librariorum vitio, eosque cum ארבע שנים *Quatuor annos* ſcribere deberent, ארבעים שנה *Quadraginta annos* expreſſiſſe, facili & obvio lapſu,

ſive

ſive integras in ſuis, quibus utebantur exemplaribus habebant voces, ſive ſuo fine truncas. Hanc emendationem ſi admittimus; ſalva omnis res eſt, & pulchre ac probe, imo ad amuſſim conveniunt Talmudiſtæ cum Joſepho, & in veritate utrique conſpirant. Nam, quarto anno ante Urbis expugnationem, aut circiter, cum Præſidem etiamnum Albinus ageret, & nondum Geſſius Florus, ultimus Præſidum ſucceſſiſſet, ſuam formam vultumque perdidit Judaica Respub. periitque Synedrii honos & autoritas. Tum temporis inſuper ſicarii & latrones omnia cædibus & rapinis complebant, tum Templi fores ſua ſponte patuerunt, tum, re hac inſolita exterritus R. Jochanan Saccai filius, quippe qui in Roſch. Haſch. fol. 31. b. & Zemach David part. 1. fol. 37. a. Templi excidio ſuperfuiſſe legitur, hanc in Joma fol. 39. b. literarum monumentis conſignatam vocem, emittere potuit: היכל היכל מפני מה אתה מבעית עצמך יודע אני בך שסופך עתיד ליחרב ותאכל וכבר נתנבא עליך זכריה בן עדוא פתח לבנון דלתיך ותאכל אש בארזיך: *Heus Templum! heus, tibi dico Templum! Quare temetipſum territas? Satis ſcio te manere excidium, ſic enim pridem vaticinatus eſt Zacharias filius* Iddo (c. XI. c. 1.) Aperi Libane januas tuas, ut conſumat ignis cedros tuos. Poſtquam ab Urbe exulare cœpit Synedrium, non pertinaciter refragabor aſſerentibus, incertis ſedibus huc illuc migraſſe, & receptaculum quæſiviſſe, nec tamen potuiſſe reperire; usque donec, dilapſis, mortuisque antiquis

tiquis Senatoribus, & nullis aliis in locum ſurrogatis, cum re, quæ pridem funditus perierat, periit quoque Magiſtratus illius vanum & inutile nomen. Atque ſic poteramus videri defuncti eſſe labore noſtro, & difficultates, quæ circa durationem pœnarum capitalium apud Judæos, illarumque limites, ſe offerebant, expediviſſe. Sed enim, intercedit, de Republ. Literaria optime meritum nobile par virorum, & Anglicani orbis decora, qui in tota hac controverſia longe aliter verſati eſſe deprehenduntur, ac nos fuimus, ut eapropter neceſſitas nobis imponatur, illorum dicta ad animum revocandi. Horum alter, Clariſſimus *Johannes Lightfootus*, in egregiis illis ſuper Evangeliſtas lucubrationibus, quæ, Horæ Talmudicæ inſcribuntur, quæque nuper Lipſiæ, a Reverendo & Celebri Fautore noſtro, *Jo. Benedicto Carpzovio*, junctim editæ, mihique, multo cariſſimum munus, dono datæ ſunt, ad Matthæi c. XXVI. 3. & Johannis c. XVIII. 31. id nobis perſuadere nititur, Romanos, rerum apud Judæos dominos, nequaquam iis ademiſſe judicia capitalia etiam in ullo crimine, verum fuiſſe integrum Judæis, in latrones, homicidas, alioſque Reipublicæ turbatores animadvertere. Cæterum, cum ex inepta lenitate, de ſceleratis ejuſmodi ſupplicium ſumere neglexiſſent, tantopere auctum eſſe latronum numerum, ut jam cum vellent, non amplius eos in ordinem cogere, & meritis pœnis afficere poſſent. Ex hac igitur ſola oſcitantia, periiſſe poteſtatem, qua præditum fuerat Synedrium,

um, judicium faciendi de rebus capitalibus, idque quadrageſimo anno ante templi excidium, ſive ſeſquianno ante Servatoris noſtri crucifixionem, & tum poſtea Senatores, nefandorum atrocitate, quibus mederi non poterant, permotos, non conclave tantum Gaſith ſed & urbem deſeruiſſe, atque Jafnen ſe recepiſſe, ibique exulaſſe; inde tamen Hieroſolymas ante illarum excidium, ad feſta rediiſſe, ſediſſeque ut antea. Iſta, ſummatim Viri Docti eſt ſententia, cujus pleraque autoritatibus Talmudiſtarum ſtabilivit, unum illud ſi demas, quo Synedrium ex Jafne circa ſolemniora feſta Hieroſolymas reverſum fuiſſe, ibique jus dixiſſe arbitratus eſt, nam id ſola conjectura ductus ſic cenſuit, ut Talmudiſtarum placita, qui perhibuiſſe creduntur, Synedrium quadrageſimo anno ante urbis excidium, aut non multo poſt, Hieroſolymis exceſſiſſe, cum Actorum c. XXIII ubi Paulum Hieroſolymis coram Synedrio cauſam dixiſſe legitur, conciliaret. Circa hæc autem, multa ſeſe offerunt monenda. Eſt principio falſiſſimum quod Talmudiſtæ credi ſibi poſtulant, penes Synedrium, tum quoque, cum Judæa in provinciæ formam eſſet redacta, poteſtatem omnium judiciorum capitalium fuiſſe, eſtque mendacium profectum ex illo faſtu, quo ſemper majorum ſuorum conditionem extollunt, & res beatas ipſorum deprædicant, etiam cum illi parce & duriter vitam egiſſe noſcuntur. Atqui ex Joſephi l. 14. Antiq. c. 17. hoc diſcere licet, ne in liberiore quidem Judæorum Republ. & cum Judæa nondum in pro-

vinciam redacta eſſet, Magiſtratui eorundem de quibuscunque cauſis cognoſcendi, a Romanis conceſſam fuiſſe veniam. Huc enim tendit illa C. Jul. Cæſaris reſtricta ibi verborum conceptio, quibus Hyrcanum Judaicæ genti Rectorem conſtituit. Poſtquam fidelem ab eo ſibi navatam operam ſedulo collaudaſſet, porro ait: Διὰ ταύτας τὰς αἰτίας Ὑρκανὸν Ἀλεξάνδρου καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ ἐθνάρχας Ἰουδαίων εἶναι βούλομαι, ἀρχιερωσύνην τε Ἰουδαίων διὰ παντὸς ἔχειν κατὰ πατρία ἔθη, εἶναι τε αὐτὸν καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ συμμάχους ὑμῖν ἔτι τε καὶ ἐν τοῖς καθ' ἄνδρα φίλους ἀριθμεῖσθαι· ὅσα τε κατὰ τοὺς ἰδίους αὐτῶν νόμους ἐστὶν ἀρχιερατικὸς ἢ πιλάνθρωπος (Recte emendant Viri docti, & legunt, ἀρχιερατικὰ ἢ φιλάνθρωπα) ταῦτα κελεύω κατέχειν αὐτὸν καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ, ἂν δὲ μεταξὺ γένηταί τις ζήτησις περὶ τῆς Ἰουδαίων ἀγωγῆς, ἀρέσκει μοι κρίσιν γενέσθαι παρ' αὐτοῦ. *Has ob cauſas, Hyrcanum filium Alexandri, & ejus liberos, Ethnarchas Judæorum eſſe jubeo, & Pontificatum Judæorum perpetuo retinere more patrio, eſſeque ipſum & filios ejus, noſtros ſocios, & in amicorum noſtrorum recipi numerum. Jura quoque omnia pontificalia habere ipſum & filios decerno*, & ſi qua controverſia exorta fuerit, de Judaica diſciplina, *judicium penes ipſum eſſe.* Igitur, pateſcit, judicium de gravioribus cauſis, &, quæ Judaicam diſciplinam proprie non concernebant, jam tum Romanos ſibi vindicaſſe, & voluiſſe, ut de iis Hyrcanus, ejusque ſuc-

ſucceſſores poſteri, ad ſe referrent. Neque aliud ſibi vult privilegium, quod, multis interjectis, Cæſar amplius Hyrcano, ejusque filiis tribuit: Αἰτησαμένους παρὰ δικτάτωρος ἢ παρὰ ἱππάρχου παρελθεῖν ὅταν εἰς τὴν σύγκλητον εἰσάγωσι· καὶ τὰ ἀποκρίματα αὐτοῖς ἀποδίδωσιν ἐν ἡμέραισι ταῖς ἁπάσαις ἂν τὸ δόγμα γένηται· *Ut quotiescunque poſtulaverint a Dictatore, aut Magiſtro equitum, in Senatum introducantur, & reſponſum eis omnibus intra decem dies reddatur, ſi quid a Senatu decretum fuerit.* Hæc jam obtinebant, cum nondum plane libertas Judæis ademta eſſet, non igitur credibile, meliore uſos fuiſſe conditione, & omnia ex arbitrio gerere ipſos potuiſſe, quando ſervitus imponebatur, ac Præſidem acceperant, cum autoritate juris dicundi miſſum. At, non Talmudiſtarum primum nata eſt ævo, ſed vetus inter Judæos fuit illa hæreſis, qua multi eo pervicaciæ progreſſi ſunt, ut, quamvis victa & ſub jugum miſſa gente ſua, tamen victores Romanos, dominos & ſuperiores recognoſcere detrectarent, quidvis potius perpeti quam veritatem fateri parati. Oſtendimus ſupra rei indicium in ipſius Novi Teſtamenti ſacris literis; ſed Joſephus. l. 7. de Bello c. 29. clare & aperte memorat, fuiſſe plurimos, quibus infixum & implantatum quaſi erat, ῥωμαίους μὲν μηδὲν κρείττους ἑαυτῶν ὑπολαμβάνειν, θεὸν δὲ μόνον ἡγεῖσθαι δεσπότην· *Romanos nihilo ſe meliores putare, Deum vero ſolum Dominum dicere.* Idque adeo, *ut cum, omni genere tormentorum & vexatione corporum in*

eos excogitata cruciarentur, ob hoc ſolummodo, ut Cæſarem dominum faterentur, nemo ceſſerit, neque dicere velle viſus ſit: ſed omnes illa neceſſitate validiorem ſententiam conſervarent, tanquam brutis corporibus, non animis etiam, cruciatus ignemque ſuſciperent. Quin, ne puerorum quidem quiſquam commotum eſt, ut Dominum Cæſarem nominaret. Enim vero, quicquid tergiverſentur Judæi, nunquam tamen ipſorum ἀναισθησία, & mendacia conficta dolis, veritatem e medio tollent, atque ea quæ facta ſunt, nobis reddent infecta. Bene Literatiſſimus Caſaubonus Exerc. I. adv. Baron. Obſ. 2. *Unus quaſi gradus ad perniciem ultimam eſt factus, anno. poſt natum Dominum circiter decimo, cum Archelao Viennam relegato, Judæa in formulam provinciæ eſt redacta: quod, quam vim habeat, peritis rerum Romanarum ſatis eſt compertum.* Imo vero, mediocriter in hiſtoria Romana verſati, ſciunt, in Provinciæ formam redigere, olim non conſtitiſſe intra tributi impoſitionem, ſed, cum id fiebat, patriam libertatem, & leges inſuper domeſticas, fuiſſe ademtas, ſubſtitutasque in locum Romanas leges cum Prætore, qui ex illis Rempubl. inſtitueret, & jus diceret, inſuper imperium belli gerendi cauſa haberet. Quocirca, rem ipſam premit Critognatus, cum apud Cæſarem 7. de Bello Gall. ſic verba facit: *Romani vero quid petunt aliud, aut quid volunt, niſi invidia adducti, quos fama nobiles, potentesque bello cognoverunt, horum in agris, civitatibusque conſidere, atque his æternam injungere ſervitutem? neque enim unquam alia condi-*

tion

tione bellum geſſerunt. Quod ſi ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis; reſpicite finitimam Galliam, quæ, in provinciam redacta, jure, & legibus commutatis, ſecuribus ſubjecta, perpetua premitur ſervitute. Videlicet, Senatus Romanus, acceptis ab Imperatore ſuo literis, quibus de ſuperatis hoſtibus, & regione aliqua in poteſtatem redacta certior reddebatur, quid de devictis ſtatuendum eſſet, ſecum deliberabat; ac quicquid decretum fuerat, Imperatori ſignificavit, decem aut quinque Legatis ad eum miſſis, ut ſecundum conſulta, de hoſtibus, & eorum regione, ſtatueret. Iis mandatis acceptis, Imperator victis gentibus aut ignovit, aut regionem in formam provinciæ redegit. Ignoviſſe dictus eſt, cum liberas reliquit, ac ſuis uti legibus, ſuoſque creare more patrio Magiſtratus permiſit, impoſitis tantum vectigalibus: In provinciæ formam redigere, cum ademtis aut immutatis legibus, eas omnino, Magiſtratui Romano quotannis ab Urbe mittendo, ſubjecit, ac vectigalia conventuſque conſtituit. Eam ſententiam Imperator in concione Præconi pronunciandam mandavit, ſicque Romam, relicto aliquo Præfecto Provinciæ, deceſſit. Hac de re Carolus Sigonius in libro de Antiq. Jur. Civ. Rom. penſiculate agit, enucleateque. Et vero, eccui non liquet ex divinis tabulis, Præſides Romanos capitalia judicia in Judæa extra ſacras cauſas exercuiſſe? Etenim, Pilatus miſcuit ſanguinem Galilæorum cum ſacrificiis eorundem, Luc. XIII. 1. Idem, Servatorem noſtrum cruci affixit, eidemque

pænæ latrones duos ſimul ſubjecit, Barrabæ vero ſceleris fecit gratiam. Jam, de Fado Præſide, Joſephus l. **20.** Antiq. c. **1.** memorat: Ἀναιρεῖται δὲ καὶ θολομαῖος ὁ ἀρχιληστὴς μετ' οὐ πολὺ χρόνον, ἀχθεὶς δέσμιος ἐπ' αὐτὸν, διατεθεικὼς μέγιστα κακὰ τὴν ἰδουμαίαν καὶ τοὺς ἄραβας· ἐκαθάρθη τε λῃστηρίων ἅπασα τοὐντεῦθεν ἡ Ἰουδαία· *Nec ita multo poſt capitis damnavit Tholomæum latronum principem, vinctum ad ſe perductum, qui plurima damna intulerat Idumæis & Arabibus: deditque operam, ut tota Judæa purgaretur a latrociniis.* De Felice Præſide, l. **2.** de Bello c. **12.** ſcribit: Οὗτος τὸν ἀρχιληστὴν ἐλεάζαρον ἔτεσιν εἴκοσι τὴν χώραν λῃσάμενον, καὶ πολλοὺς τοὺς σὺν αὐτῷ ζωγρήσας, ἀνέπεμψεν εἰς ῥώμην· τῶν δὲ ἀνασταυρωθέντων ὑπ' αὐτοῦ λῃστῶν, καὶ τῶν ἐπὶ κοινωνίᾳ φωραθέντων οὓς ἐκόλασεν, ἄπειρόν τι πλῆθος ἦν· *Hic, principem latronum Eleazarum, qui, per viginti annos regionem fuerat deprædatus, aliosque cum eo multos cepit, vinctosque Romam miſit: aliorumque quos in crucem ſuſtulit, latronum, vel in communione ſceleris deprehenſorum popularium, fuit pæne innumerabilis multitudo.* Omitto alia, quæ ad confutandos Talmudiſtas afferre licebat, cum iſta ſufficiant oſtendendæ falſitati. Ex dictis vero ſimul intelligere datur, non convenire temporibus paſſionis Chriſti noſtri, tantam latronum in Judæa multitudinem, quæ coërceri amplius non poſſet. Videmus enim, & tum, & poſtea

quoque,

quoque, latrones, pœnas dediſſe graviſſimas, atque ab iis repurgatam fuiſſe regionem, etſi radicitus id nebulonum genus exſtirpari non potuit, unde paſſim crebræ ſunt in eam rem querelæ apud Joſephum. Dum autem iſta ſic everſa ſunt, eadem opera Cl. Lightfooti conjectura vacillare itidem occipit. Atqui, ſi omnino Synedrium præ juſti doloris impatientia, quoniam quidlibet audendi quibusvis poteſtas erat, nec facinoribus ſceleribusque ulla jam fibula poterat imponi, jamdum quadrageſimo ante urbis excidium anno, aut paulo poſt, inde exceſſit, Jaſnenque exulatum abiit, non capio, quomodo circa ipſa ſolemniora feſta, Senatus ille Hieroſolymas, ad officium priſtinum faciendum, aſſidue rediverit. Nam, ſi judiciis locus ſupererat, æque bene ante feſtum exercere illa licebat, quam ſub ipſam publicam panegyrin: imo longe felicius tutiusque inter paucos jus reddere valuiſſet Senatus, quam inter innumeros. Nec aliud vel ipſi fuiſſe perſuaſum, metus arguit, quo Servatorem noſtrum circa paſchatis feſtivam lucem neci tradere formidabat, qua de re antea nonnihil diximus. Sed enim, ſi unquam latrones ac prædones Hieroſolymas infeſtabant, feſtis utique diebus quam maxime id evenit, cumque reliquo tempore, ſoli domeſtici, ut ita dicam, nebulones graſſarentur, in feſtis ſolemnibus undecunque locorum nequam & nullius frugis homines factis agminibus in urbem irrupiſſe, nemo inficiabitur. At, ego firmiter perſuaſus ſum, Synedrium ſemper Hieroſolymis perduraſſe, ad

poſtrema usque tempora · faventque huic opinioni, præter quædam jam ante in hanc rem ex Joſepho allata, multa alia quoque, ejusdem incomparabilis Scriptoris. Exempli gratia Epiſtola Claudii Cæſaris, quæ l. 20. Antiquit. cap. 1. ſuperat, dum ei præſcribitur: Κλαύδιος Καῖσαρ γερμανικὸς δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον, ὕπατος ἀποδεδειγμένος τὸ τέταρτον, αὐτοκράτωρ τὸ δέκατον, πατὴρ πατρίδος, ἱεροσολυμιτῶν ἄρχουσι, βουλῇ, δήμῳ, ἰουδαίων παντὶ ἔθνει χαίρειν. *Claudius Cæſar Germanicus Trib pot. V Cos deſignatus IV. Imp. X P P. Hieroſolymitanorum Magiſtratibus Senatui, & Populo, totique Judæorum genti ſalutem.* Accedit illud, de ſeipſo, in vita: Ἐπεὶ δ' εἰς τὴν γαλιλαίαν ἀφικόμην ἐγὼ, καὶ ταῦτα παρὰ τῶν ἀπαγγειλάντων ἔμαθον, γράφω τῷ συνεδρίῳ τῶν ἱεροσολυμιτῶν περὶ τούτων, καὶ τί με πράττειν κελεύουσιν ἐρωτῶ. *Interea, cum veniſſem in Galilæam, certis nunciis ſuper his rebus edoctus, ſcripſi Hieroſolymitano Synedrio, quid me juberent ſciſcitans.* Tandem, etſi ſupra, dignitatis poteſtatisque amiſſionem, quam Synedrium paſſum eſt, in adventum Albini Præſidis conjecimus, tamen non diffitemur, coiviſſe illud adhuc, paulo ante quam Albinus provincia deceſſiſſet, non tamen coivit ſponte, verum juſſu & autoritate Agrippæ Junioris, teſte iterum Joſepho l. 20. Antiq. cap. 8 ut merito tum ad ſummas anguſtias redactum eſſe, & mox plane exſpiraſſe opineris. Ad eam

rem,

rem, ſi latronum immanis licentia, magis magiſque indies aucta, aliquid contulit, & denique Synedrium prorſus Hieroſolymas & tribunalia ſua fugere coëgit, illud temporibus Geſſii Flori, ultimi Præſidis, accidiſſe ſuſpicio eſt, ob iſta Joſephi l. 20. Antiq. cap. 9. Γέσσιος δὲ Φλῶρος καθάπερ εἰς ἐπίδειξιν πονηρίας πεμφθεὶς, τὰς εἰς τὸ ἔθνος ἡμῶν παρανομίας ἐπόμπευε, μήτε ἁρπαγῆς παραλιπὼν μηδένα τρόπον, μήτε ἀδίκου κολάσεως· ἦν γὰρ ἄτεγκτος πρὸς ἔλεον, παντὸς δὲ κέρδους ἄπληστος, ᾧγε μηδὲ τὰ πλεῖστα τῶν ὀλίγων διέφερεν, ἀλλὰ καὶ λῃσταῖς ἐκοινώνησεν· ἀδεῶς γὰρ οἱ πολλοὶ τοῦτο ἔπραττον, ἐξέγγυον παρ' ἐκείνου τὴν σωτηρίαν ἐπὶ τοῖς μέρεσιν ἔχειν πεπιστευκότες· καὶ τοῦτο μέτριον οὐκ ἦν, ἀλλ' οἱ δυστυχεῖς Ἰουδαῖοι, μὴ δυνάμενοι τὰς ὑπὸ τῶν λῃστῶν γινομένας πορθήσεις ὑπομένειν, ἠναγκάζοντο τῶν ἰδίων ἐξιστάμενοι ἠθῶν φεύγειν ἅπαντες, ὡς κρεῖττον ὁπουδήποτε παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις κατοικήσοντες· *Florus quaſi ad oſtentandam miſſus malitiam, publice traducebat noſtræ gentis injurias. nihil ſibi ad ſummam in rapinis & ſuppliciis iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad miſericordiam, nullis unquam lucris ſatiabilis, undecunque parva æque captans ac magna, ut etiam latronum eſſet particeps: multi enim illum quæſtum exercebant de incolumitate, quam ab eo redimebant deciſis prædarum partibus: adeoque nullus erat injuriarum vel modus, vel finis, ut miſeri Judæi, non ferentes rapacem latronum inſolen-*

inſolentiam, cogerentur laribus relictis, & patriis cæremoniis, ad exteros fugere, judicantes, ubivis, etiam apud barbaros, ſe vivere poſſe commodius. Quicquid de hoc ſit, ſaltem nemo æquus rerum arbiter negabit, Synedrium Hieroſolymis circa ultima urbis illius tempora adhuc fuiſſe, cum Ligtfooti conjectura, ad faciendum adverſus ea, quæ attulimus, exceptionem, non quadret. Nec muto opinionem, qua ſtatui, ne quidem ipſos Talmudiſtas aliud prodidiſſe, ac, quadraginta annorum numerum, per vitium, & ἀβλεψίαν meram librariorum irrepſiſſe in textum. Nam, ſic alibi in Talmude Synedrii ceſſatio & urbis excidium ita conjunguntur, ut, velle Magiſtros, utrumque prope eodem tempore eveniſſe, liquido appareat. Inquiunt in Sota pag. 123. noſtræ edit. in Sanhedrin pag. 208. edit. Cocc. & in Ketuvot fol. 30. a. non ſententia tantum, ſed & verbis concordiſſime: מיום שחרב בית המקדש אף על פי שבטלה סנהדרי גדולה ארבע מיתות לא בטלו: *Licet ab eo die, quo templum ſolo æquatum eſt, Synedrium magnum perierit, non tamen quatuor ſupplicia capitalia interciderunt.* Nempe, uti porro explicant, manet ſceleſtos aliquid ἀνάλογον illis pœnis, ſi non aliunde, ſaltem θεήλατον.

Atque ſane, conſentit hactenus nobiſcum, ille alter, &, cui nunc opera danda, Anglus eruditiſſimus Johannes Seldenus, in diffuſæ & multiplicis doctrinæ opere, quod, de Synedriis veterum Ebræorum ſcripſit, & morte præventus, non abſolvit. Quippe, & ipſe, Sine-

Synedrium, ad Hieroſolymarum excidium uſque in ea urbe manſiſſe perhibet; ut proinde hoc ratum eſſe videri queat. At vero, in reliquis, fruſtra fuerim, ſi ad ejus autoritatem confugiam, nihil enim fere præterea cum eo mihi commune. Nam, ut & hujus mentem breviter eloquar, ſic ipſi, Talmudiſtarum ſimiliter veſtigia ſolicite legenti, viſum eſt, fuiſſe penes Synedrium, etiam poſtquam in Provinciæ formam redacta erat Judæa, poteſtatem ſupremam judicandi, de quibuscunque criminibus capitalibus. Habuiſſe illud ſedem in Liskat hagazit, ſeu conclavi ſaxeo, quod ex ipſa Synedrii origine ita ei proprium credebatur, ut judicia capitalia extra illud rite exercere, ſeu de re capitali ſententiam ferre Synedris ejuſdem non liceret. Cæterum, ſub annum ante excidium templi quadrageſimum, qui anno Chriſti trigeſimo, vel triennio aut biennio ante ejus mortem, juxta calculum ſcilicet vulgarem, reſpondeat, cum ob ſicariorum frequentiam, qui ſæpius Præſidis favore, aliterve tuti, etiam Synedrii judicio procul dubio eripiebantur, illud nec homicidia compeſcere poſſet, nec cædis reos morte plectere, viſum eſſe e loco judiciis hujuſmodi adeo proprio, ut alibi rite exerceri ab ipſis nequirent, migrare locum in alium, ibique ſedes ponere, ubi ex ipſa ſeſſione manifeſtum redderetur, tum homicidas ſe in ius vocare nolle, quia plane fruſtra fieret, tum pudere ſe in loco judiciis capitalibus ita proprio ſedes habere, cum tot homines rei capitalis damnandi, ultimoque afficiendi

ciendi ſupplicio, poteſtatem ſuam ac ſententiam quotidie eluderent. In Tabernas igitur primo migraſſe, ſeu locum illum Hanoth, ſeu Chanoth dictum; dein in alias urbis ædes, prout Principi placuit, aut commodius eſt viſum, non tamen extra Hieroſolyma, ante excidium. Sic vero, quoniam ſupremum hoc tribunal carebat extra locum proprium imperio ac jurisdictione, unde appellatum a Judicibus minoribus juxta Legem ſacram rite poſſet in capitalibus cauſis reſpondere, ideo nec Minoribus Synedriis, quæ paſſim in Judæa erant, manſiſſe rerum capitalium jurisdictonem, poſt Synedrii magni migrationem, ne cum Appellationis legitimæ effectui locus non eſſet, temere nimis & contra majorum inſtituta, quis morte plecteretur. Interim, teſtimoniis ex Toſephot ſeſe muniens, illud de capitalibus judiciis quadraginta annis ante excidium ſublatis, ſic intellectum vult, ut non prorſus & penitus ea ceſſaſſe quis opinetur, rediiſſe enim quandoque Synedrium Magnum in Liskath hagazith tempore opportuno, ibique capitalia judicia exercuiſſe, unde præter alia, id, quod in Toſiphtha ad Gemaram Babylonicam Sanhedrin cap. 4. fol. 37. 2. in hanc ſententiam ſcriptum eſt, laudavit: *Quoties decernerent ipſi eſſe opportunum, rediiſſe dicuntur in Liskath bagazith, quemadmodum ob cauſam Jeſu, & quæ ſimilia ſunt.* Hæc, plurimum ipſius præſtantiſſimi Seldeni verbis, ſed hinc & illinc ex laudati Operis l. 2. c. 15. varie excerptis, ſummus effati; in quibus, ſuis erga Talmudiſtas propenſiſſimis

mis affectibus nimium indulſiſſe, nec, quæ ipſi crude aſſerebant, vel leviter expendiſſe videtur vir πολυμαθέστατος· Faciunt vero ad iſta impugnanda, multa quæ jam præoccupavimus, nec fieri poteſt, ut qui ſacras literas, & Joſephum (cujus, ut Dei verbum taceam, utique longe major quam Talmudiſtarum, præſertim Gemaricorum, autoritas, ſine præjudicio legerit, aliud exinde colligat, quam, tempore mortis Servatoris, & ſequenti deinde ætate, omne jus in ſicarios & latrones, adde & alios in politico foro facinoroſos, animadvertendi, aut capitale ſupplicium iis remittendi, penes Præſides fuiſſe. Scilicet, ſi quem necis candidatum, Senatus Populusque Judæorum circa feſta ſua exitio ereptum cupiebant, nihil pro imperio & autoritate, ipſis agere, ſed tantum precibus ſupplicibus fidem & clementiam Præſidis obteſtari licuiſſe, ex hiſtoria Evangelica omnibus eſt perſpectiſſimum. Matthæum c. XXVII. 15. & 20. tantum audiamus, cujus verba ſunt: Κατὰ δὲ ἑορτὴν εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον, ὃν ἤθελον· Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἔπεισαν τοὺς ὄχλους, ἵνα αἰτήσωνται τὸν Βαραββᾶν, τὸν δὲ Ἰησοῦν ἀπολέσωσιν· Vetus Interpres tranſtulit: *Per diem autem ſolemnem conſueverat Præſes populo dimittere unum vinctum, quem voluiſſent. Principes autem ſacerdotum, & Seniores, perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Jeſum vero perderet.* Omnis igitur, tum judicii capitalis in Barabbam latronem exercendi

facul-

facultas, penes Pilatum erat, citra ullum dubium. Ne vero quis effugium quærat, objectando, fieri potuiſſe, ut hoc jus ſolo ſesquianno, vel triennio, ante Chriſti crucifixionem, tum ſcilicet, cum capitalia judicia in Judaica gente ceſſaſſe dicuntur, Præſes nactus ſit; hanc rimam præcludemus, urgendo, conſtare ex allato Matthæi teſtimonio, veterem fuiſſe Pilati conſuetudinem, captivum aliquem ſtatis temporibus liberandi imo ſi Marcum XV. 8. conferimus, cum hujus officio cœptam: Καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς. *Et vociferans turba cœpit petere* (ut faceret) *prout* ſemper *ipſis fecerat*. Unde manifeſte inferimus, ſi maxime quis de Coponio, M. Ambivio, Annio Rufo, & Valerio Grato, qui Pontium Pilatum in officio præceſſerant, idem aſſerere hæſitet ac cunctetur, ſaltem Pilatum nunquam meri Imperii jure caruiſſe, qui tamen, cum generis humani Salvator perimeretur, Judæam provinciam, jam per univerſum ſeptennium rexerat. Porro, meram utique fabulam ſapit, ita affixum glebæ, ſive Conclavi ſuo, fuiſſe Synedrium, ut nusquam alibi convenire ei & officium ſuum facere licuerit. Novi optime, prohibitos fuiſſe Judæos ſevero Dei mandato, extra locum ab ipſo demonſtratum, victimas offerre, & ſacras cæremonias peragere; non dubitarunt tamen vel ſic viri pii, ita flagitante evidenti cauſa, migrare hanc legem, idque factum ab iis, citra Numinis offenſam. At, Judiciis, æque ac ſacrificiis,

ciis, Deum locum proprium & peculiarem deſignaſſe, nuſpiam proditum eſt, & ideo, quomodo credemus Talmudiſtis, ſummum tribunal, è loco, in quem mero hominum arbitrio, & fortaſſe recenter admodum collocatum fuerat, minus avelli potuiſſe quam hoſtias a ſibi unice dicatis aris; & maluiſſe Senatum, ut potius in tota, quanta quanta erat, Judæa regione, jus, ſanctitas, pietas, fides perirent, ſupera inferis permutarentur, & in ultimum diſcrimen deduceretur Reſpublica, quam ut ipſe extra ſuum Liskat Haggaſit coiret, unde tamen nulla vi fuerat pulſus, ſed ſua tantum voluntate coactus exceſſerat? Atqui, ſi nulla ibi capitalia judicia exercendi dabatur facultas, tamen locum hunc tueri debebat Synedrium, in ſpem temporis melioris, & interim minoris momenti negotia expedire. Pernimium inter veterum Romanorum Conſulum, & eorum qui noſtro ævo creantur, poteſtatem, intereſt, vixque σκιᾶς ὄναρ antiquæ dignitas relinquitur. Nihilo minus, non ſuos tantum Faſtos condunt, auro & purpura veſtiuntur, auream catenam collo geſtant, (quomodo priores ornati fuiſſe perhibentur,) ſed & in Capitolio conſident, nec locum illum averſantur, cum, ſi potentiæ parum, honoris tamen & autoritatis aliquid conciliet. Quo ſpectat Nova Inſcriptio, quæ ibidem in aula, CHRISTINÆ, Sueciæ quondam Reginæ, & Heroinæ, marmoreo vultui, parieti inſerto, ſubjicitur, & quam cum Lectore, prout eam deſcripſimus, communicare non gravabimur.

CHRI-

CHRISTINÆ
SUECORUM GOTHORUM ET
VANDALORUM
REGINÆ
QUOD INSTINCTU DIVINITATIS
CATHOLICAM FIDEM REGNO
AVITO PRÆFERENS POST ADORATA SS. APOSTOLORUM LIMINA ET SUBMISSAM VENERATIONEM ALEXANDRO VII.
SUMMO RELIGIONIS ANTISTITI
EXHIBITAM DE SEIPSA TRIUMPHANS IN CAPITOLIUM
ASCENDERIT
MAJESTATISQUE ROMANÆ
MONUMENTA VETUSTIS IN
RUDERIBUS ADMIRATA.
III. VIROS CONSULARI POTESTATE ET SENATUM TECTO
CAPITE CONSIDENTES
REGIO HONORE FUERIT PROSECUTA VIII. EID. QUINCTIL.
AN. MDCLVI.

S. P.

Digitized by Google

S. P. Q. R.

STEPHANO PETRUCCIO
JOSEPHO DE ANNIBAL DENSIBUS EX DOMINIS CASTRI ZANCATI
FABRICIO DE MAXIMIS EX DOMINIS CASTRI ARSULI
CONSERVATORIBUS.
JO. CAROLO DE PICCOLOMINIBUS EX DOMINIS CASTRI BALZERANI
CAPITUM REGIONUM PRIORE.

Cæterum, ad amplius demonſtrandum ineptias Talmudicæ παρδόσεως, non utar hiſtoria, quam Literatiſſimus Lightfootus in notatis ad Matth. cap. XXVI. ex Sanhedrin Talmudis Hieroſolymitani recenſuit, & e qua probare conatus eſt, ne quidem poſt ipſum Hieroſolymitanæ urbis excidium, Synedrio facultatem & jus capitalia judicia inſtituendi, fuiſſe ademtum. Eam, his Latinis verbis complectitur: *Statuunt* (hæretico & ſeductori populi, cum ejus teſtimonium expiſcari volunt,) *in inſidiis duos teſtes in domo interiori, illumque in exteriori collocant, accenſa juxta eum lucerna, ut eum videant, audiantque. Sic actum eſt cum Ben Sutda in Lydda. Collocarunt ei in inſidiis duos diſcipulos Sapientum, eumque adduxerunt ad Synhedrium,*

hedrium, & lapidarunt. Nolim, inquam, iſta adhibere, ad evincendum, judicaſſe aliquando Synedrium extra Liskat Haggaſit, de cauſis capitalibus, etſi temporibus R. Akibæ, atque ſic longe poſt exciſam urbem, accidiſſe dicuntur. Sunt enim hæc infirma, & ne ipſi quidem Doctiſſimo Lightfooto, ad ſuam tuendam aſſertionem, magnum præbent adminiculum. Quod, clarum reddemus, ſi prius ipſa Talmudis Hieroſolymitani verba adduxerimus. מכמינין עליו שני עדים בבית הפנימי ומושיבין אותו בבית החיצון ומדליקין את הנר על גביו כדי שיהו רואין אותו ושומעין את קולו בן עשו ולבן סוטחא בלוד והכמינו עליו שני תלמידי חכמים והביאוהו לבר וסקלוהו: In his; de Synedrio Magno, ſermonem eſſe, (nam de eo loquitur Lightfootus.) non credo, vix enim unquam, tam humiliter Judæi de eo loquuntur, ut per ſolas voces ב״ת דין quæ generatim, judicium, fere ſemper tamen inferius, Synedrioque, quod diſcriminis cauſa, בית דין של שבעים ואחד aut בית דין הגדול audit, ſubjectum tribunal notant, illud deſignent. Tum vero Lyddæ iſta evenerunt, quo, ne ipſorum quidem Talmudiſtarum ſententia, Synedrium unquam perveniſſe dicitur. Eſt de variis illius e loco in locum migrationibus, antequam plane periret, ac intercideret, narratio in Roſch Haſchana fol. 31. a. Lightfooto quoque laudata, ſed Lyddæ urbis, nulla ibi mentio. Adduxi locum integrum in Commentario ad Sotam p. 938. ſeq. & certe poſcebat jam ſæpe illum ſibi hæc quo-

que

que Diſſertatio, ut eum tandem inſerere ex uſu ſit;

אמר רב יהודה בר אידי א״ר יוחנן עשר מסעות
נסעה שכינה וכולהו מקראי וכנגדן גלתה סנהדרין
מגמרא י׳ מסעות נסעה שכינה מקראי מכפורת
לכרוב ומכרוב למפתן וממפתן לחצר ומחצר למזבח
וממזבח לגג ומגג לחומה ומחומה לעיר ומעיר להר
ומהר למדבר וממדבר עלתה וישבה במקומה אמר ר׳
יוחנן ו׳ חדשים נתעכבה שכינה לישראל במדבר
שמא יחזרו בתשובה ולא חזרו אמרה תיפח נפשן
וכו׳ וכנגדן גלתה סנהדרין גדולה גמרא מלשרש
הגזית לחנויות ומחנויות לירושלים ומירושלים ליבנה
ומיבנה לאושא ומאושא ליבנה ומיבנה לאושא
ומאושא לשפרם ומשפרם לבית שערים ומבית
שערים לציפורי ומציפורי לטבריה: Id eſt: *Tradente R. Juda, filio Iddi, autor fuerat R. Jochanan:* (Stante adhuc primo templo,) *decem quaſi ſtationes*, (uſque & uſque paulatim recedendo,) *feciſſe divinam majeſtatem*, (priuſquam templo, urbe, populoque Judaico relictis, cœlum repeteret:) *Idque in ipſis Scripturæ verbis contineri. Harum autem ſtationum reſpectu*, (cum ſuis jam fatis urgeretur, & ſuccumberet ſecundum templum, toties) *Synedrium exulare coactum eſſe, quod traditione compertum habeatur. Quantum ad prius attinet, meavit ſcilicet divina Majeſtas ab* ἱλαστηρίῳ *ſuper Cherubinos: inde, ad limen: hinc, in atrium: porro, ſuper altare: deinde, in tectum: ulterius, in murum: tum, in urbem: poſtmodum, in montem: denique in deſertum. Quod deſerens, ſuum in locum contendit, ibidemque permanſit.*

manſit. *Si tamen fides R. Jochanani*, (totos) *ſex menſes in deſerto Judæos eſt præſtolata, ſi forte per pœnitentiam* (ad bonam frugem) *redituri eſſent, ſed minime id fecere: dixerat igitur: Male pereant.* (Judæi) *&c.* *Diximus, harum Stationum reſpectu, totidem vicibus Synedrium Magnum in exilium actum eſſe, atque hoc traditione conſtare. Nimirum, e conclavi quod ex cæſo lapide erat conditum, migravit in Tabernas, ex iis, in ipſam Urbem, inde Jabnem, porro Oſcham, ex qua urbe denuo Jabnem, atque e Jabne priſtinam Oſcham repetere compulſum: hinc, Schiphramum fugatum, porro Beth-Schearimum, ulterius Zipporam, tandemque Tiberiadem.* Quamobrem, non potuit Lyddæ a Synedrio ſupplicio affici, quisquis ille fuit Sutdiades, cum in ea urbe Senatus iſte nunquam hoſpitaſſe deprehendatur: ſed, ſi quid veri ineſt narrationi, auſi ſunt aliqui primores ibi Judæorum, cum occaſionem ad id nacti eſſent, (conniventibus ſcilicet iis, qui id prohibere debebant;) de homine pœnas ſumere. Fortaſſe totum id clam factum eſt, eluſeruntque Judæi τῶν ἔξω Magiſtratum, qualia multa in omni memoria ipſos perpetraſſe, & etiamnum ab iis fieri, nemo tam imperitus rerum eſt, qui neſciat. Quantum enim poſſunt, forum peregrinorum judicum declinant, ſæpe extrema potius perpeti parati, quam ut coram iis, de jure injuriisque ſuis experiantur. Atque, habent quoque in hanc rem antiquorum præcepta, de quibus, cui vacat, conſulere licet Gittin cap. ult. Maimonidem Hilchot Talmud

Tora cap. 6. §.9 & Hilchot Sanhedrin c. 26. §. 7. Schulchan Aruch in Hilchot Dajanim num 26. Abarbenel. Comm. in Pentat. p. 365. col. 2. quorum nihil adducimus, niſi quod, quia ſic commoditas fert, huc ſpectantem, memorabilem locum R. Salomonis ad Ex. XXI. 1. in Venetis & Buxtorfianis Bibliis omiſſum, ex noſtro MS. (cum quo Pentateuchi cum tribus Targumim & R. Salomone editio, fere convenit, niſi quod ad Chriſtianorum odium averruncandum mitiora quædam verba, pro durioribus ſubſtituuntur,) producere, & ingentem lacunam ſupplere, operæ pretium eſſe exiſtimo. Poſt verba igitur לאכול לפני האדם ſubjicere oportet ſequentia:
לפניהם ולא לפני גוים a ואפילו ידעת כדין אחד שהגוים b דנין אותו כדיני ישראל אל תביאהו בערכאות שלהם שהמביא דיני ישראל לפני גוים c מחלל את השם ומיקר שם עבודה זרה להחשיבה d שנו כי לא בצורנו צורם ואיבינו פלילים כשאויבינו פלילים זהו עדות לעילוי יראתם : Id. eſt : (Scriptura ait: Hæc autem judicia quæ propones) *coram illis*: (poſtremum ἐμφατικῶς poſitum: notat enim, Hebræis, fidelibusque judicibus, cauſas proponendas) *neutiquam vero Gentilibus. Atque ſi vel maxime conſtet, de controverſia aliqua, quod eodem, quo Iudæi modo, Gentiles eam decidant, non tamen ad illorum tribunalia illa*

S 3 *defe-*

a Pentat. cum 3. Targ. אלילים עובדי
b שהם c כמיהם d האלילים להחשיבם

deferenda: qui enim coram Gentilibus, de judaicis litibus actiones intendit, is profanat nomen Dei, idolorum vero nomen effert, iis dignitatem quandam conciliando Q. S. E. (Deut. XXXII. 31.) Non enim ut rupes noſtra, rupes illorum eſt, ac inimici noſtri ſunt judices. (Senſus:) *Cum ii, qui nos odio habent, judices exiſtunt, id quaſi teſtimonium eſt tributi cultus illorum terriculamentis.* Non igitur admodum juvat me Sutdiadis cædes, ut obtineam, futilem, & abſurdam eſſe illam παράδοσιν, quam per manus nobis tradere Gemarici ſatagunt, quaſi nimirum a religione ſua alienum credidiſſent Synedrii Senatores, foris, extra Liskat Haggaſit, conventum inſtituere, & de cauſa capitali deliberare. Habeo enim longe certius firmiusque argumentum, quo id probatum dabo, dummodo illud prius adjecero, Gemarico commento futilius longe, magisque abſurdum & a veritate alienum eſſe, quod Toſiphtæ autores addunt, ita ceſſaſſe Synedrium, ut tamen ſubinde, per opportunitatem, ad ſuum Liskat Haggaſit, (illorum activitatis ſphæram merito vocaſſent Scholaſtici,) reverterentur, atque in caſu ſimili, JESUM CHRISTUM, Dominum Deumque noſtrum, capitis damnatum eſſe. Medius fidius unice hoc mihi videntur agere voluiſſe homines iſti, ut mendacia mendaciis tegerent, ne perpluat. Nos, contra reputando, fatemur quidem, & falli pridem ſumus, a Synedrio mortis ſententiam adverſus Servatorem fuiſſe pronunciatam, & fuiſſe pronunciatam, non dicis cauſa, ſed vere & cum effectu,

effectu, niſi ad eum rem deducere, metus terrorque obſtitiſſent. Ita enim nos ſentire Marcus compellit, cujus locum ex cap. XIV. 64. in iis quæ præmiſimus, adductum, ut tanto illuſtriorem reddamus, Syriacam nunc ſuperaddimus translationem, quæ habet: ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܟܠܗܘܢ ܕܢܘ ܕܚܝܒ ܗܘ ܡܘܬܐ *Illi vero omnes judicarunt, quod reus ſit mortis.* Proinde, cum nihil aliud obſtet, κατακρίνειν, quod habet fons; & ܕܢ quod ſubſtituit Interpres, id eſt, *condemnandi*, & *judicandi*, de Judicibus pro tribunali ſedentibus, & de vita hominis deliberantibus, enunciatas voces, eo ſenſu accipimus, quem in omnium animis ultro progenerant. Sed, illud præterea Chriſtiani (nam, inter nos hæc nunc aguntur, & ſcio, iſta ad Judæorum linguas compeſcendas non valere) certius certo compertum habemus, quicquid illius negotii geſtum eſt, non accidiſſe in Templo, ubi Liſkat Haggaſit erat, verum ἐν τῇ αὐλῇ τῦ ἀρχιερέως, *in aula Pontificis maximi*, vel, ἐν τῷ οἴκῳ τῦ ἀρχιερέως, *in domo ejuſdem.* Syrus vocat: ܒܕܪܬܗ ܕܪܒ ܟܗܢܐ item ܠܕܪܬܗ ܕܪܒ ܟܗܢܐ ibi enim convenerant, οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, *primarii Sacerdotes, & univerſum Synedrium*, & illuc, præter Johannem, hujus deprecatione apud ancillam oſtiariam, Petrus quoque ingreſſus erat, ſedens ibi cum miniſtris, & ad ignem

ſe calefaciens. Teſtes ſunt Marcus c. XIV. 54. 55. Johannes c. XVIII. 15. 16. Matthæus item cap. XXVI. 58. 59. Lucasque cap. XXII. 54. 55. Apage igitur procul a nobis ineptias de Synedrio non celebrante judicium in capitali cauſa, niſi in Liſkat Haggaſit, & apage præcipue turpiſſimum mendacium quoque, de illic ſedente Synedrio, cum de capite Servatoris noſtri anquireret. Sic falſi criminis manifeſte reos jamdum tenemus Talmudiſtas cum Toſephot, etiamſi minime addam, plane *ἀσύστατα* eſſe quæ tradunt, nec fieri poſſe, ut ſimul & ceſſaſſe dicatur Synedrium ante urbis excidium, & toties rurſum prorſum curſaſſe; ac modo latebras quæſiviſſe; modo ad domicilium munusque ſuum eſſe reverſum; & vixiſſe in claritate. Deprehendit contradictionem ipſe Præclarus Seldenus, quare, ad ejus ſuſpicionem tollendam, hanc illi excuſationem adferre viſum eſt: *Nemo quidem*, inquit, *Ebraicis literis paulo verſatior, neſcit verbum* בטל *tam* impediri, ceſſare, intermittere, *quam* ſufferre, *aut* auferre *denotare. Ita tamen ut ablatio ejusmodi ſignificare commode poſſit temporaneam ceſſationem ſolummodo, ſeu intermiſſionem, aut in deſuetudinem abitionem, non juris omnino ſeu rei ipſius deletionem. In Threnis legitur* זקנים משער שבתו Presbyteri *ſeu* Seniores defecerunt de portis; *ubi Chaldæus* סביא מתרע סנהדרין איתבטלו Presbyteri ex porta Synedrii ceſſarunt: *ſimili* בטל צד *notione.* Sed, non tam facile magnæ lites componuntur, & fruſtra Vir Doctus laborem inſumſit.

ſumſit. Etenim, cum בטל dicunt Talmudiſtæ, fere ſemper ceſſationem omnimodam, & vix, eam quæ eſt longiſſimi temporis, multumque ultra quadraginta annos ſeſe porrigit, ſignificant, nedum, ut eam, quæ intra hunc terminum, varias admittit intercapedines, velint intellectam. Sufficiat provocare ad ſolum ultimum caput Miſchnæ in Sota, ubi toties phraſis repetitur. Ajunt: משמתו נביאים הראשונים בטלו אורים ותומים משחרב בית המקדש בטל השמיר ונופת צופים: *Simul ac Prophetæ priores fato functi ſunt, Oraculum pectorale ceſſavit. Templo deſolato, ceſſavit Schamir, & acœtum mel.* Mox: משמת רבי מאיר בטלו מושלי משלים משמת בן עזאי בטלו השדקנים: *Mortuo R. Meir, ceſſarunt, qui homines erudiebant parabolis. Mortuo* τȣ̃ *Aſai filio, ceſſarunt lucubrantes.* משמת בן זומא בטלו הדרשנים *Mortuo Sumæ filio ceſſarunt interpretes.* Iterum: משמת רבי עקיבא בטל כבוד התורה משמת רבי חנינא בן דוסא בטלו אנשי מעשה: *R. Akiba mortuo, ceſſavit decus legis. R. Chanina Duſæ filio mortuo, ceſſarunt viri thaumaturgi.* Denique: משמת רבן יוחנן בן זכאי בטל זיו החכמה משמת רבן גמליאל הזקן בטל כבוד התורה ומתה טהרה ופרישות משמת רבי ישמעאל בן פאבי בטל זיו הכהונה משמת רבי בטלה ענוה ויראת חטא: *Mortuo R. Johanane Saccai F. ceſſavit ſplendor Sapientiæ. Mortuo R. Gamaliele Sene, ceſſavit honos Legis, ſimulque munditics & ſanctimonia intermortua. Rabbi Iſmaële Filio Pabi defuncto, ceſſavit ſplendor Sacerdotii. Mortuo Rabbi* (Juda Sancto,) *ceſ-*

 ſavit

ſavit, modeſtia, & timor peccati. Non poteſt in his locis omnibus בטל ſive *ceſſare*, alio ſenſu accipi, quam de vera amiſſione rerum, quibus additur; gignit igitur profecto ſenſum eundem, cum in ipſo illo Miſchnæ loco, & alibi, prædicatur de Synedrio. Neque officit nobis quicquam, illud, quod ex Chaldæo Seldenus allegavit. Nam, ut demus Paraphraſten convenienter Hebraica Threnorum eſſe interpretatum, deplorat proinde Jeremias Synedrii omnimodam ſublationem, dum judicibus in exilium deportatis, halcyonia & juſtitium in foro erant, & ſaltem, quoad ille viveret, nullæ amplius actiones Hieroſolymis inſtituebantur: ut ideo Propheta aliud nihil, quam, Synedrium occidiſſe & extinctum eſſe, dicere poſſet. At, de Talmudiſtis, alia res eſt, nec iis licebat hoc ſermone uti, ſi id exprimere volebant, ita ſublatum e medio fuiſſe Synedrium, ut tamen ipſius uſus ſubinde revocaretur. Quod ſupereſt, illud demiror, Viros Eruditiſſimos, Lightfootum & Seldenum, Talmudiſtarum de ceſſatione Synedrii quadrageſimo ante urbis devaſtationem anno, (prout in noſtris Codicibus legitur) aſſertum, tam acerrime tueri, & tamen ne leviter quidem ſolicitos fuiſſe, quomodo reliqua quoque ſalvarent, quæ uno & eodem anno ſimul contigiſſe iidem Scriptores adjiciunt. Atqui, exinde non leve cauſæ eorundem patrocinium acceſſurum erat, ſi oſtenderent, totam παρέκδοσιν ſibi conſtare. Volunt præterea Talmudiſtæ, quod quadrageſimo ante

ante urbis excidium anno לא היה גורל עולה בימין
ולא היה לשון של זהורית מלבין ולא היה נר מערבי
דולק והיו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן: *Non aſcenderit amplius ſors* (hirci DEO ſacrandi) *in manum dextram, neque ligula coccinea albuerit, neque lucerna veſpertina arſerit, &, quod portæ templi, ultro ſua ſponte adapertæ fuerint.* Nimirum, ſine dubio animadverterunt Viri Docti, quam minime hæc ſesquianno aut triennio ante Chriſti crucifixionem conveniant, & non ſatis commode iſta diviſa eſſe temporibus. At, cum noſtra opinione, prout ſupra eam explicavimus, uti optime congruit illud de templi portis ſponte patefactis, ita apte quoque quadrant, in miſera & calamitoſa Reipublicæ Judaicæ, quæ mox ſequentem cito pede πανολεθρίαν fatalemque periodum præceſſerunt, tempora, miracula reliqua; ut ea, excisionis, & omen dici queant, & principium; ac clariſſimis patuerit indiciis, perituras Hieroſolymas perdere prius DEUM. Quanquam, ut verum fatear, quia de iſtis Joſephus ſilet, nec uſpiam portentorum, quæ tamen perpetua, & templo ſuo coæva volunt Judæi, etiam ubi res quibus hi ea adhæſiſſe volunt, ipſe ſermone perſequitur, mentionem ullam fecit, ægre fidem apud me inveniunt. Accedo enim ac libens, ſententiæ Illuſtris Herois Joſephi Scaligeri, quando in Prolegom. æterni Operis de Emendat. Temp. Joſephum, *diligentiſſimum, καὶ φιλαληθέςατον omnium Scriptorum* vocat, *&, non ſolum in rebus Judaicis, ſed etiam in*

tam in externis; tutius illi credi, quam omnibus Græcis & Latinis, aſſeruit. Atque huic effato, illud amplius audacter adjicio, in rebus quidem Judaicis, tutius Joſepho credi, quam Rabbinis & Talmudiſtis omnibus. Quin, & eo præterea ingenio natus ſum, ut non tantum Mirabiliariis (quod S. Auguſtini notum verbum eſt) novis, ſed & antiquis,

Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeam.

KAὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Hæc enim ſunt, ARNOLDE CLARISSIME, quæ circa nobilem Scripturæ locum, nuper ſum commentatus. In quibus, uti illud, inter cætera, vere ac ingenue præſtiti, quod, Vir Ampliſſimus, Bellici Judæorum Ducis, Signorumque ejus πρόμαχος, alios agere, publice cum obtrectatione juſſit; hoc eſt, opinionem illius, ea, qua par erat modeſtia, nihil aliorſum, atque dictum fuerat, detorquendo, non perfunctorie perpendi, rerum ſimul teſtimonia in medium afferens. Ita, cum hæc noſtra olim emittentur, & in manus hominum venient, mutuam ſimilemque æquitatem, tum ab eo, tum ab aliis, qui iſta examinare dignabuntur, non ſpero, ſed plane confido. Neque enim te, VIR OPTIME, id de me arbitrari velim, quaſi veritatem penitus me aſſequutum eſſe exiſtimem: aſſequi tamen illam laboravi, quamobrem, ſi quis rectiora me docebit, huic ego magnam & ſolidam habebo gratiam. Haud alio

alio pretio hæc ſacra conſtant, quam ut cuique citra metum ac verecundiam, profiteri liceat quod ſentit, neque magnum in ea re malum, ſi diverſi, diverſa in talibus perſuaſi ſint; ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι, excitat enim ipſa velut aculeis viros eruditos, ne illorum intentio relangueſcat. Quod de ipſis hominibus nonnemo eleganter dixerat, idem ad eorundem judicia non incommode transferre licet, nempe, pati ea ſæpe ſuos manes, & optima illa eſſe, quæ minimis urgentur. Atque hæc ſola cauſa eſt, cur in ſententias eorum, qui Sacrum textum, ſive ex propria conjectura, ſive ex hariolatione variarum lectionum, præſertim in re gravi (nam, de virorum aut locorum propriis nominibus, aut numeralibus verbis, ipſe non admodum repugno) emendare inſtituunt, invitus deſcendam, cum hac feneſtra patefacta, multa temere irrumpere queant, majeſtati ſacrarum literarum vim allatura & injuriam. Neque vero, quod iterum dico, ſi Gen. XLIX. 10. aliter in Samaritano eſt, ac noſtri nunc legunt Hebræi Codices, continuo id argumentum fuerit variantis olim lectionis. Nam, qui Samaritanum exemplar transſcripſit, potuit hallucinari, potuit recte ſcripta prave legere, potuit opinari aliter legendum eſſe, quam habebat præ oculis. Imo, potuit longe facilius in Samaritanum codicem, negligenter ſemper habitum, ſphalma clam irrepere, quam in Hebraicum, tanta cura, tanta ſolicitudine, ut ex admiratione in ſtuporem omnes rapiantur, cuſtoditum: vid. Arnoldus Bootius in Epiſtola ad Jacobum

cobum Uſſerium, Archiepiſcopum Armachanum, quæ Pariſiis An. 1650. typis excuſa prodiit, narrat illi Præſuli, *ſe Pentateucho Samaritano, quem Cottotiæ Bibliothecæ is donaverit, Londini uſum eſſe, erratisque ſcriptionis tantopere illum ſcatentem deprehendiſſe, ut in ſola Geneſi, præter ſeptuaginta vel leviora, vel talia, quæ pervicacior aliquis negare poſſet in mendo cubare, obſervaverit centum undecim ad minimum vocabula manifeſtiſſime vitioſa, & pleraque admodum monſtruoſa, nihilque omnino ſignificantia; alia autem ſatis uſitata, ac ſuas ſignificationes habentia, ſed a locis illis, in quibus aliorum loco ſcripta ſunt, in totum aliena: & tamen codicem illum non eſſe plebejum aliquem aut rejiculum, ſed unum de melioribus; quippe librum magnum in folio, chartâ pergameni æmulâ, optimo atramento, literis accuratiſſimis, ac fere dodrantalibus, juſto & marginum ſpatio, & vocum ac verſuum intervallo exaratum; idque non a triviali aliquo ſcriba, ſed a primario gentis Sacerdote, qui nomine Ithamar ben Aharon ben Ithamar, eum Anno 764. regni Iſmaelitici, in urbe Damaſco deſcripſerit.* Quæ, ſi vera ſunt, graviter laborat quoque fides cæterorum MSS. (quales equidem me non tractaſſe fateor) Samaritanorum Codicum, ut multum in receſſu eos habere credamus. Porro, nec Samaritanus Codex, quatenus editus extat, magni pretii æſtimandus eſt, juvatque etiam de iſto, Doctiſſimi Bootii, quando jam ſemel ejus opera uti cœpimus, ex eadem Epiſtola audire ſententiam. *Admirabilis*, inquit, *eſt iſtius hominis* (Ludovicum Ca-

cobum pellum

pellum ſermone ſuo notat) *vertigo, adeo parum ſibi conſtantis, ac res adeo inſociabiles penitusque ἀσυςάτους copulantis; ut eodem illo loco, ubi probatos tantum Codices, ut par eſt, ad conferendam hanc ſymbolam admittit, Codicem Samaritanum ac τῶν LXX. in iſto cenſu nominet; a quo illi certiſſime, atque ob rationes graviſſimas excludi merentur. Septuaginta quidem, ob rationem modo allegatam: Samaritanus vero, ob apertiſſima ac prorſus indubitata νοθείας indicia, atque ob plurimas & magni momenti corruptelas data opera in ipſum invectas: quæ clare demonſtratæ a doctiſſimo viro D. Johanne* (Henrico) *Hottingero, in peculiari de ea re tractatu (cui varias adhuc confirmationes, ſi opus foret, adjungere in promtu mihi eſt) omni cum autoritate ſpoliant, ac prorſus ἀπόβλητον & aſpernabilem efficiunt, apud omnes æquos & intelligentes iſtarum rerum æſtimatores; utut Capello viſum fuerit, Morinum ſuum in hoc ſequi potius, corruptumque ac nihili librum, cum elogiis in medium producere, ac pro notabili Hebraici textus exemplari apud imperitos venditare.* De reliquo, illud unum addo, quod dudum viri cordati ante nos ſapienter monuerunt, æquum eſſe, ut ſeri nepotes, S. Patris noſtri Hieronymi ſequamur exemplum, qui quoties veterum Interpretum verſionem ab Hebræo textu diſcrepare deprehendit, non eos aliter atque aliter, ſed vero male legiſſe, ac turpiter lapſos eſſe pronunciavit. Adſcribam unum & alterum locum, eosque appoſitos, dum unice ad permutationem literarum Daleth & Reſch,

V. quæ

quæ nunc quoque in diſceptationem venit, attinent, iisque omnem hanc cauſam finiam. Scilicet, ad Eſ. XXVIII. 9. ſcripſit Hieronymus: *Quod autem verbum Hebraicum,* דעה *quod omnes verterunt* ſcientiam, *ſoli Septuaginta* κακὰ, *id eſt,* mala, *interpretati ſunt: error perſpicuus eſt. Prima enim litera reſch & daleth parvo apice diſtinguuntur.* Sic, ad Ezech. XXI. 2. habet: *Quodque dixere,* Ducem Nageb, *melius habet in Hebræo,* agri vel regionis meridianæ: *non enim* ſar, *ut putaverunt Septuaginta, quod verbum* ducem & principem *ſonat,* ſed ſadeh *ſcriptum eſt, quod proprie* agrum regionemque *ſignat: & propter daleth & reſch literarum ſimilitudinem error inolevit.* Item ad c. XXVII. 15, *Filii Dadan: pro quo neſcio quid volentes Septuaginta, filios Rhodiorum interpretati ſunt, niſi forte primæ literæ falſi ſimilitudine, ut pro* Dadan *legerent* Radan. Et mox, commate 16. *Syrus quoque fuit negotiator Tyri: pro quo in Hebraico poſitum eſt* aram, *in cujus loco Septuaginta* homines *interpretati ſunt, pro* aram *legentes* adam, *daleth & reſch literarum, ut ſupra, decepti ſimilitudine.* Rurſus ad c. XLVII. ejusdem Prophetæ, ait: *Quod in Septuaginta ponitur* φοινικῶνος, *id eſt* palmeti, *in Hebraico non habetur, pro quo nos* metiemini *interpretati ſumus, errorque manifeſtus, quod pro* thamodu, *literæ decepti ſimilitudine, reſch & daleth, legerunt* thamaroth. Paria ad Amos I. 1. commentatur: *In eo autem loco, ubi Septuaginta tranſtulerunt:* in Accarim, *Theodotio ipſum verbum Hebraicum*

braicum poſuit nokedim, *quod Aquila vertit* ἐν ποιμνοτρόφεις, *Symmachus & V. Editio*, ἐν τοῖς ποιμέσιν *id eſt*, *in paſtoribus. Et puto propter daleth & reſch ſimilitudinem hic quoque deceptos*, *pro* nokedim *quaſi* nokerim, *& exinde* accarim *poſuiſſe ſermonem*: *quanquam in principio nominis*, *nun litera*, *nullam relinquit excuſationem erroris.* Iterum, paulo poſt, commate 4. legimus: *Ubi in Hebræo habetur* Benhadad, *& unum nomen eſt*, *Septuaginta interpretati ſunt* υἱὸς ἄδερ *id eſt*, *filii Ader*, *reſch & daleth elementorum falſi ſimilitudine. In eo quoque loco*, *ubi nos dicimus*, de domo voluptatis, *quod Hebraice dicitur mibbeth heden*, *& omnes ſimiliter tranſtulerunt*, *Septuaginta interpretati ſunt* ἐξ ἀνδρῶν χαῤῥὰν, *id eſt*, *ex viris Charran*, *daleth mediam nominis literam reſch arbitrantes.* Sed, de his, jam ſatis dictum eſto, & vereor, ne quid nimis. Tu vero, VIR CLARISSIME, vidiſti ſine dubio, Paradoxa de Nummis Ebræorum, quæ flos eruditorum Germaniæ, HERMANNUS CONRINGIUS ὁ πάνυ, noviter edidit, & quibus, Exercitationem Academicam, de Republica Ebræorum, itemque Commentariolum de initio anni Sabbatici, & tempore meſſis Ebræorum, ſubjunxit. Teneo librum, dono ipſius Incomparabilis Autoris, quo, inſignem perpetuamque apud me inivit gratiam. Magna refertus eſt doctrina, uti ſunt ejus Viri omnia, atque iis, quæ nos de abſoluti imperii forma cum ſub Regibus Judæi eſſent, in Diſſertatione hac, ad-

verſus Talmudiſtas aſſeruimus, ſi addas, quæ Vir, quo πολιτικώτερον neminem cognovimus, ad hanc theſin confirmandam, ex ſuæ diſciplinæ regulis principiiſque ſolertiſſime arguit, non dubitabis de veritate. Licebit igitur, pronunciato noſtro, cum iſta extra limen in aliorum conſpectum prodire volent, robur addere his validis ſuppetiis, quæ porriguntur. Cæterum, partem Præfationis libri, me facere voluit, quatenus & effuſus eſt in noſtras laudes, & cenſura, qua humanior fieri nulla poterat, animadvertit in id, quod ad Sotam commentans ſcripſeram, veriſimile mihi videri, non extare ullam amplius veræ antiquitatis Hebræorum monetam usquam gentium, ſed omnem omnino pridem periiſſe funditus; teſtem & ſuffragatorem deinde allegans, *Carolum Patinum*, Virum eruditiſſime doctum, & expertiſſimum in omni Re Nummaria. Agnoſco ex utroque argumento affectum, & feciſſet me ſuperbum ſuis elogiis, niſi mea me moneret contubernalis tenuitas, quam longe ſupra meritum, prædicatione me extulerit. Vere igitur de illo dici poteſt, quod de Artemidoro ſuo ſcripſit Plinius Junior; Virum alioqui prudentiſſimum, in hoc uno interdum, honeſto quidem, ſed tamen errore verſari, quod eos quos amat, pluris quam ſunt arbitratur. Amat enim profecto nos, & ita velim, promerentem me, ætatem amet. Ad cenſuram quod attinet, dolenter paululum tuli, cum eam legerem, tam male mihi rem ſucceſſiſſe, ut quem patronum & defenſorem meæ de Hebræorum nummis amiſſis

cauſæ,

cauſæ, paraveram, eum nunc vinetis meis nocere, & illa cædere experiar. Nam, in Addendis ad Sotæ Annotata p. 575. cum prius ad noſtram ſententiam, de Hebræorum nummis ad interitum redactis, digitum intendiſſem, hæc ipſa verba poſtea ſubjeci: *Video, idem prorſus placere, Viro, judicio & eruditione inter noſtrates maximo*, Hermanno Conringio, *dum lego Epiſtolam, quam ad Joh. Henricum Hottingerum ſcripſit, quæque inter cæteras p. 413. comparet. Ejus inſignis autoritas, opinionem noſtram vehementer commendabit.* Non igitur diſſentio a Viro in quovis doctrinæ genere excellenti, vel leviter, ipſeque, id quod res erat conjecturavit, cum in mentem ei venerunt, quæ in eruditiſſima illa Præfatione ſic proloquitur: *Fortaſſis etiam elegantiſſimo Patino in animo fuerunt ſoli nummi iſti, qui Ebræos habent characteres inſcriptos, quoniam hi* κατ᾽ ἐξοχὴν *Ebræi audiunt.* Hoc enim mea fide ſerio teſtor, nec alios mihi fuiſſe in animo, quando aut cum Patino agebam, aut in Sotam commentabar, unde & de hujus commatis moneta unice actum mihi, ac ne verbo quidem, ejus, quæ Samaritanas literas inſculptas habet, feci mentionem. Secus ſi ſenſiſſem, qua fronte provocare poteram ad illam Hottingero ſcriptam Epiſtolam, nam in ea, charactere Samaritano inſignitos nummos, tanquam veros & genuinos vindicari, cernebam oculis. Nolim tamen vitio vertere Viro Celeberrimo, quod aliter dicta noſtra accepit, ſunt enim, fateor, expreſſa negligentius, &, quod ipſe voluit,

ſignificare videntur, eamque ob incuriam merito fero pretium. Sed, more hominum loquutus ſum, quibus vulgo, ſoli Hebræi nummi ſunt, qui quadratas literas exhibent, & quibus, elementis Samaritanis notati, Samaritani quoque audiunt. Atque ſane, priores ſemper curavi unos, illi ad me attinent, a reliquis, occulto odio, alieniore fui animo, quia inſanum difficilem de veterum Hebræorum literis controverſiam, & ad quam ego nunquam acceſſi, ut non incertior multo rediverim, quam dudum fueram, mihi magis intricant, nec me eo pervenire ſinunt, quo libenter vellem. Inſeruerat Clariſſimus Patinus, libello, quem de Cognitione Numiſmatum Gallice edidit, caput de Hebræorum, Pœnorum, Hiſpanorum, & Gothorum Nummis, quod ibi eſt duodecimum numero, aſſerens inter alia, Siclos Judæorum, in una parte referre Virgam Aaronis, in altera Calicem cum Manna, cuſtoditum in ſanctuario. Quoniam vero ſubjecerat ectypam ſcalpturam Sicli, quales paſſim cum literis quadratis, & non (qui mannæ convenire videbatur) rorato, ſed fumigante cratere, circumferuntur, judicium ſuum ſuſpendens, verumne an adulterinum illum crederet, hinc, cum Præſtantiſſimus Virorum nos viſitaret, de Siclis ejusmodi ſermones miſcuimus, & quid iſte fumus in mannæ vaſculo ſibi vellet? quærebam. Addidi, hanc exhalationem, in oculis virorum acutum cæteroquin cernentium, id progeneraſſe, ut alia omnia potius, quam mannæ calicem, ſe intueri arbitrarentur.

Scrip-

Scripſiſſe Calvinum in Lexico Juridico: *Quod ad Sieli, dum moneta eſt, figuram attinet, in una facie habebat Aram cum circumſcriptione* שקל ישראל *in altera facie virgam Aaron, cum circumſcriptione* ירושלים קדוש Jeruſalem Sancta. *Voluerunt autem duabus illis picturis, Ara & Virga, tanquam ſymbolo ſignificare Sacerdotium & Regnum.* Scripſiſſe Theologum non infœcundum, in Homiliis: Der Tempel zu Jeruſalem hatte ſeine beſondere ſilberne Müntze / nemlich den Seckel des Heiligthums / und galt ohngefehr einen halben Thaler. Da lieſſen ſie auf einer Seiten pregen / die Ruthe Aarons / die gegrunet und Mandeln getragen hatte: Auf der andern Seiten aber einen Kelch / mit rauchenden Weprauch: die Uberſchrifft war auf der einen Seiten: Die heilige Stadt Jeruſalem: Auf der andern: Seckel in Iſrael. Cum neutrum probaremus, & nec Aram, aut Aaronis baculum, (dubium enim eſt quo reſpexerit Calvinus) pro Regni ſymbolo, neque calicem, pro incenſa adolendi vaſe capere poſſemus, poſt multa tandem aſſeverabat Patinus non eum tantum, quem dediſſet nummum, ὑποβολιμαῖον eſſe, ſed omnes præterea, quos uſpiam gentium, in Cæſaris, Regum, & Principum gazis, cum Hebraicis viderit literis, ejuſdem judicare ſe commatis. Haud aliter animatus eſt Celeberrimus Conringius, palam pronuncians, probansque argumentis: *Nullum nummum characteribus Hebraicis vulgo jam uſitatis ornatum, eſſe*

bonæ notæ, aut multum vetuſtum. Proindeque, idem p. 67. Paradoxorum, optime conjecit, in Siclis cum charactere Aſſyriaco, ex imperitia rudis rerum ſacrarum hominis alicujus, ſive Judæi, ſive Chriſtiani, mannæ urnam, quam fidei indubitatæ cum Samaritana inſcriptione Sicli conſpiciendam præbent, in thuribulum mutatam eſſe, quæ mutatio, poſt pari imperitia fuerit propagata. Enim vero, multum omnino debet Respub. Literaria Conringio, qui nunquam deſinit bene de ea mereri, atque poſt tot alia, admirandi ingenii monumenta, quæ in omne ævum perennabunt, hoc novum ſpecimen, conſummatæ ſuæ doctrinæ edidit. At plura ab illo exſpectat, & jure ſuo videtur poſcere flagitareque, ut, quod poteſt, & poteſt ſolus, quæ ad veterem noſtræ gentis Rem Nummariam, cujus ignorantia nos tam graviter exercet, pertinent, libens volens nos tandem doceat. Squalet non tam ævo & macie, quippe ætate juvenior, DEA MONETA noſtra, quam mœrore, quod propemodum ſola deſeritur, cum illæ quæ aliis olim gentibus obtigerunt ſorores Divæ, non in minore etiamnum ſint veneratione, quam olim fuerant, cum pecuniam ſuam inter mortales ſpargerent. Agam vero hanc cauſam, apud Venerabilem Præſulem noſtrum, & primarium in hac Academia Theologum, *Johannem Saubertum*, Conringii Generum, cujus benevolentia pleniſſima fruor, rogaboque, ut ad cultum & ornatum Divæ conciliandum, Optimum Socerum ſuis precibus permoveat. Certe nihil ſe dignius unquam molietur

molietur Conringius, nihil gratius & acceptius Patriæ, eruditis, poſteritati denique, præſtabit. Sed, quorſum abripit me, O NOSTER ARNOLDE, dulcedo quædam tecum loquendi? Modum, quem etiam in libro tenere præcipiunt, ego ne in Epiſtola quidem, obſervo. Verum, id ſi peccatum eſt, peccatum tamen non magnum eſt, eique apud te, jam paratam ſpero veniam. Scis enim probe, non cuivis datum eſſe, quod Lucilio ſuo tribuit Seneca: *Habere verba in poteſtate, non efferri ab oratione, nec trahi longius quam deſtinaveris.* Nondum tamen linguam cum ſtylo inhibeo, & prius tibi, quem ſcio mea ſolide ſolum gaviſurum eſſe gaudia, narrandum eſt, quantum boni fors fortuna improviſo & inopinanter mihi ante paucos dies objecerit. Præter prægrandem enim faſcem Arabicorum, & recentium Latinorum ac Italorum librorum, quos Florentiâ mihi miſiſſe noviſti, *Antonium Magliabechium*, Ampliſſimum Clariſſimumque Virum, & quem jam ubique terrarum, non ut humanum & eruditum hominem, ſed, ut humanitatem & eruditionem ipſam deprædicant: donavit inſuper mihi, eodem tempore, (uti ſolent fata, & res ſecundas & adverſas meas, opportune in unum concludere diem) Nobilis & Conſultiſſimus Amicus noſter, *Joh. Elias Keslerus*, Sereniſſimi Ottingenſis Principis Conſiliarius, Codicem veterem MS. Spiræ repertum, quem ego maximi facio, licet opiſtographus ſit, & minutiſſimis literis, aciem fere oculorum effugientibus, perſcriptus. Com-

plectitur enim principio, Commentarium in priores duas Terentii fabulas, & tertiæ partem, reliqua, eheu! deſiderantur. Succedit poſtea eorum quæ Servius in Virgilii libros Æneidos, uberius fuſiusque commentatus eſt, ſcita & elegans contractio ſive epitome. Neuter horum librorum, quod equidem ſciam, publice extat, atque ſi hæc ita ſe habent, vehementer ambo digni ſunt, ut ab interitu vindicentur. Illæ imprimis in Terentium notæ, mihi pulchræ & luculentæ videntur, ac præcipue τὸ σεμνὸν, quod huic Comico eximium ineſt, perpetuo oſtendunt. Ex indiciis quibusdam colligo, Seculo IX. circiter poſt Chriſtum natum vixiſſe Autorem, ſed, de quo amplius deliberandum fuerit. Nunc, Vale multum, VIR CLARISSIME, & nos, ceu ſoles, ama. Altdorfi Noricorum a. d. XX. Novembris A. C. cIↄ Iↄc. LXXV.

Ebodum ARNOLDE Doctiſſime!

CRedebam, me nihil ad ſcribendum habere reliquum, & jam in occludenda epiſtola occupabar. Sed, commodum venit mihi in mentem, fieri poſſe, ut ipſum ἀπόσπασμα Lipmanniani Carminis, ad rem præſentem faciens, requiras, atque, ut illud ad quædam, quæ diſſeruimus, intelligenda, non utile tantum, ſed & neceſſarium judices. Quamobrem, quia reſtat aliquid pagellæ, id, quod fortaſſe præmiſiſſe ſatius fuiſſet, dabo hoc, etſi alie-

ſi alieno nonnihil loco, cum verſione, vel potius paraphraſi. Eſt enim profecto dirum illud poëma difficillimum, nec percipi ſenſus poteſt, niſi multa ex Libro Nizachon, cujus ſummam conficit, ſuppleantur. Fateor quoque, circa exponendum verbum אונציון quod in iſtis adhibuit infamis Poëta nebulo, aquam mihi plane hærere, nec poſſe me conjectura aſſequi, quid vere ſibi velit. Latinum *Unctio* videtur valere vox, & *Chriſtus* noſter, ſive *Meſſias*, qui ab *ungendo* nomen habent, innui: at, non admodum cohæret ea ſignificatio cum orationis contextu. Si quis tamen acriter contendat, eſſe omnino illud vocabulum, non litigabo adverſus eum, & mirum non eſſet, ſi etiam hic, prout alibi, in adhibendis Latinis verbis, ſe turpiter dediſſet Lipmannus, qui, Latinæ linguæ peritiam venditans, ita voces effert, uſurpatque,

ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Vale iterum, ARNOLDE mi, Vale ex animo.

ויען המין וישא מושלו:
עד כי יבא שילו:
משיב על הקללה:
הקהה את שיניו למען תיורא:
למי אונציון אתה קורא:
למלכות בית דוד שבטלה:
ארבע מאות שנת נעצר:
קודם לידה ותלייה:
משהגלם נבוכד נצר:

ועיור

ועיור עיני צדקיה:
תען לפסיל כאולתו:
שבט נשיא שילה
שליטו הוא בן דוד לעת הגאולה:

Sed, inſtat Hæreticus, atque nobis parabolas ſuas occentare occipit:
(*Cum illo Gen.* XLIX. 10.) Donec venerit שילו (*mire paratragœdians, quaſi exinde neceſſario conſequatur, Meſſiam pridem veniſſe.*)
Tu vero, dilue iſta maledicta,
Et hebeta homini dentes, (*obtundeque os,*) ut totus contremiſcat.
(*Dicito*:) Quid exiſtimas innui iſtis verbis?
Anne Regnum Domus Davidicæ? At vero, iſtud deſierat.
Univerſos quadringentos annos.
Anne nativitatem & ſuſpenſionem (*veſtri Redemtoris,*)
Cum Nebucadnezar Judaicam gentem in captivitatem abduceret,
Et Zedekiæ erueret oculos.
Reſponde ſtulto ſecundum fatuitatem ejus,
(*Inquiens*: *Vox*) שבט Principem (*deſignat, qualem noſtra gens in Ægypto, ex ſtirpe Davidica deſcendentem, adhuc habet. Falſum igitur, Judæos* שבט *amiſiſſe. Verbum*) שילה
Λ שליה (*quod* Secundinam *ſignificat, deflexum eſt, idque innuit Meſſiam*) Davidis filium, futurum noſtrum Salvatorem.

XXII.

MAGNI

THOMÆ BARTHOLINI,

S. Regiæ Majeſt. in Academia Hafnienſi Profeſſ. Honorarii, Collegiique Medici Anteceſſoris & Decani perpetui

PARALYTICI NOVI TESTAMENTI

Medico & Philologico

COMMENTARIO

illuſtrati.

Digitized by Google

Viro Celeberrimo

DN. THOMÆ BARTHOLINO
Præceptori Fideliſſimo.

S. P. D.

GEORGIUS SEGERUS
Thorunenſis.

TUUM quod eſt, Tibi reddo. Commentarium ſcil. Medico-Philologicum, in Novi Teſtamenti Paralyticos conſcriptum; quem ante hos novem annos mihi aliisque Tuis Auditoribus, etiam præſente Ipſo Auguſtiſſimo Veſtro MONARCHA, *plurimisque Regni Proceribus, tripartitò ventilandum propoſueras. Hunc quia hactenus plurimi Magni deſiderarunt Viri, ut eorum votis ſatisfacerem, exemplar illud, quod ex Tua poſſedi liberalitate, quamvis auro pretioſius habuerim, rubricæ tamen Typographicæ lubens ſubjeci. Tu, quæ animus devotus perpetravit, pro innatâ Tuâ comitate æqui bonique conſule; & affectui juſto, quem, corpore licet abſens, mente tamen gratâ ſemper præſens, fovet diſcipulus, adſcribe. Quod reliquum*

reliquum eſt, Deum *Ter. Opt. Max. ſubmiſſo veneror animo, ut Te Orbi literato non tantum naſcente hoc Anno, ſed & adoleſcente & ſeneſcente, innumeriſque aliis, ſalvum ac incolumem conſervet. Dabam* Basileæ *ipſis Kalend. Januar. Anni* cIↄ Iↄc Lxii.

EPIGRAMMA

in Virum

Πανάρετον & Πανίσοφον

D. D. THOMAM BARTHOLINUM.

Theiologi quæcunq; ſciunt, Medicique Sophiq;,
Uno Barthlinus pectore clauſa gerit.

CÆSO GRAMM Tonningenſis
Lib. Art. Mag. φιλίατρος.

Thomæ

THOMÆ BARTHOLINI

PARALYTICI N. T.

Medico & Philologico Commentario illuſtrati.

HISTORIA PARALYTICI PRIMI ex Quinto Joannis Evangelio.

SEcundus hic eſt, ſed primus ſecundi anni, quem miraculoſa vi curavit Servator, ideò hic à nobis excutiendus, quod inter capitis morbos hoc anno 1653. explicandos primus ſe offerat. Seriem brevi Analyſi ſequemur ab hiſtorico ſacro obſervatam, qui curationis per piſcinam meminit, mox planè Divinæ per verbum Chriſti. A piſcinæ loco ſeu ſitu ita orditur: Comm. II. Ἐ'ςι ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Quæ conjungit *Theophylactus*, *Hieronymus*, *Vulgatus*, in probatica piſcina. Rectius noſter *propè* vel *circa* probaticam, ne κολυμβήθρα tertio caſu efferatur. Subintelligenda verò πύλη, ut vertunt Lxx, quam Eliazib erexit *Nehem* : III, 1. & 32. neutiquam cum aliis ἀγορά, ſive quod per eam inducerentur pecora, vel educerentur, ſive ad ſacrum uſum abluerentur, de quibus dubitans fortaſſe *Syrus*

Syrus probaticam omiſit. Κολυμβήθραν rectè omnes piſcinam reddunt, qua loco ברכה utuntur LXX. Interpretes. *R. Davidi Kimki* fons, *Pagnino* lacuna vel ciſterna. *Syro* locus Baptiſmi vel lavacri, ut & Arabico. Quod ſtagnum forſan eſt Salomonis ad Orientem juxta Ophlan & Xyſtum lavandis victimis prius deſtinatum, de quo *Joſephus*, vel locus in quo ignem ſacrum abſcondit Nehemias 2. *Mach.* 1. *&* apud *Joſephum Gorion.* non terræ motu conceptionis Chriſti momento erumpens, quanquam & hoc propoſito inſerviret, neque piſcina ab *Ezechia* exſtructa cum aquæ ductibus 4. *Reg.* XX. 20. neque mare fuſile 3 *Reg.* VII. ſive ibi ſalientis aquæ fons fuerit, ſive thermæ aliunde deductæ, ſive pluvialis aqua, ut *Hieronymus* cenſet. Hinc βηθεσδὰ *domus effuſionis* ſive aquarum, ab אשר, quòd ideò conſtanter retinent *Codices* Græci omnes, ſive ſanguinis victimarum, quod tamen contra *Caninium* improbavit *Beza.* *Syrus* Beth-cheſda vocat ſeu domum miſericordiæ, à *Cheſed*, quod inſtar Noſodochii eſſet, quem non Hebræum, ſequutæ Gloſſæ marginales Danicæ, **Velgierningshuſz** exponunt. Vitiosè autem *Vulgatus* Bethſaida, quem non ſatis feliciter defendit *Corn. à Lapide*, quia venatio piſcium nuſquam fuit. In ejus tamen gratiam idem vocis ſervavit *Arabs* Romæ editus. Formam piſcinæ addit πέντε στοὰς ἔχουσαν, quam de porticibus exponunt plerique. Eas ex ædibus Italicis antiquis bauſerunt ex piſcina mirabili Bajis à Nerone

rone exſtructa; quia & porticus balneis Antonini additas notat *Lampridius*. *Maldonatus* murum exponit ad prohibenda pecora, quomodo adumbravit nobis *Adrichomius*, cum quinque portis. *Danus* Skuur / quam benè, haud judicarim ego. *Heinſius* poſt *Hemmingium* noſtrum ταμεῖα intelligit, & diſtincta conclavia quæ in Centumcellis Puteolanis, Thermis Badenſibus, quoque diſtinguuntur. Quo ſignificationis flexu cepit *Heſychius*: ϛοαὶ, ταμεῖα, καὶ ἐπιμήκη εἰσίν. *Suidas* quoque, ϛοά, τὸ ταμεῖον. Sed quomodo πλῆθος πολὺ in quinque porticibus ſeu concamerationibus continebatur? Solvit dubium *Nonnius* in Pharaphraſi, quando πέντε τανυπλεύροισιν circumſcribit, h. e. lateribus in longum latumque tenſis, in quibus jacebat, multitudo ἀσθενούντων varii generis, *cæcorum*, *claudorum*, *aridorum* exſpectantium aquæ medicatæ motum, quem ab Auctore, tempore & modo deſcribit Auctor motionis nominatur. *Comm.* IV. Ἄγγελος. Non Raphael, ut exemplo Tobiæ aliqui putant, quia Medicorum ſit præſes. Nam omnes ſunt λειτουργικὰ πνεύματα *Ebr.* 1. 14. Sed vel Virtus DEI, ut *Hellenſtæ* profitentur; vel æternus Angelus, ut *Bungus* autumat, vel venti æmulus ſpiritus, ſecundum cujus ſtatas vices aquæ motæ fuerunt; & mutatæ tam ſapore quàm colore & viribus. Statas has vices per καιρὸν exprimit *Joannes*, quas aliqui ad omnia Judæorum feſta extendunt, *Cyrillus* & *Tertullianus* ad Pentecoſtas feſtum, & omninò

Ambroſius ad unicum vertentis anni tempus reſtringit. Rectius *Euthymius* nullo definito anni momento, ſed ſæpius turbatam piſcinam ſuſpicatur. Nam κατὰ diſtributionem in N. Teſt. & univerſalem denotat & particularem, ut κατὰ καιρὸν collectivè ſit ſumendum. Pro quacunque opportunitate ex *Hippocratis* notione aquæ mutatæ ſive ex propria natura, ſive anni tempore, quemadmodum in Calabria tres fontes, referente *Baccio* octonis diſtantes pedibus, ſingulis diebus duodecies exſiccantur, & in Campania Ciceronis balnea ſemel tantùm diurno tempore ſcaturiunt ſemelque noctu, Luna tantùm oriente & deficiente, teſte *Leandro.* Neque balneum montis Falconis, neque Inſulæ Cydoniæ perenni aquarum fluxu ſcaturiunt apud *Fallopium*, niſi verno tempore, & Trigilla, fluvius apud Lucanos, ſi credimus *Pontano*, hyberno tempore adeò exſiccatur, ut pecudes ibi ſtabulentur. De acidulis Alſatiæ fidem facit *Sebizius*, nonnunquam effœtas eſſe & priſtino vigore privatas. Quod pleriſque uſu venit. Noſtræ S. Helenæ circa feſtum S. Joannis hominum plurimorum nobilitantur concurſu, benigniore ſole temperatæ, nec frigidioribus æſtuantibusque menſibus thermalium aquarum ſive potio ſive balneum fertur ſecurum. Erant quoque in balneis factitiis Romæ οἱ καιροὶ, ſeu certæ horæ. De ſanis jam nihil. Ægri ante octavam horam ex inſtituto Adriani apud *Spartianum* lavabantur, commodo ante cœnam tempore. Idque æſtate. Hyeme enim ante nonam, quod *Plinii Junioris* diſcrimen haud ſem-

per

per obtinuit. Eâ hora lavit Cæſar apud *Tullium*, ut deinde ἐμετικὴν ageret. Ut igitur καιροὺς ſuos haberent hæ aquæ tàm virtutis quàm fluxus, Angelus κατὰ καιρὸν ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, quod paſſivè extulit *Vulgatus*, quia in antiquo Codice legerat ἐταράσσετο ὕδωρ, alii omnes activè, ad communis lectionis normam. Anteà κίνησις, jam ταραχή. Hæc quam illa ponderoſior vox, majores enim turbas notat. Quare *Ezech.* XXIII. 46. ſervant LXX. neutiquam *Jerem.* XXIX. 18. quod rectè ibi viderat *Ariſtarchus ſacer.* Atque ita potius cum *Aria Montano* dicemus *turbatam*, quam cum *Vulgato*, *Syro* aliiſque *commotam*. Per limum turbata funditus aqua, quod ταράσσειν ſignat phraſi à Medicis mutuata. Hellanicus quippe apud *Lucianum* oculis ſuis optat Æſculapii filium, qui ταράξας καὶ ἐγχέας ipſi φάρμακον. Ita κοιλίην & γαστέρα ταράττειν apud *Hippocratem* paſſim de exſuperante dejectione interpretatur *Galenus*. *Celſus* reſolutum ventrem vocat, & eleganter *fermentatum*, planè ad *Hiſpani* mentem, qui vertit, *y reboluia el aqua* h. e. ut Interpres addit, *levantávala en ondas*. Hoc pacto turbata aqua piſcinæ, ut ad ſumma efferbuerit lutum, à quo ferè & ad thermas & reſoluta membra ductu Practicorum vis ejus tranſiit. Tumque indicium erat uſibus aptam aquam, ut ſicut in balneis Romanis ære Thermarum ſeu tintinnabulo horæ tempus deſignatum, ita turbata aqua accurrerent in camerationibus exſpectantes. Miſeret me ſanè *Maldonati*

Donati ad miraculum confugientis, quaſi quieta potius quam turbata lympha prodeſſet. Etenim planè aliter ſe habet res. Quiete torpeſcunt ſubinde. Nec ulla foret efficacia perpetuo concurſu haurientium, lavantium turbatis thermis Puteolanis, Aponenſibus, Viterbienſibus, Lucenſibus, Badenſibus, noſtrisve S.Helenæ Scio aquas quaſdam turbatas eſſe noxias, ut Tiberinam & balnei Piſani *al aqua*; ſed nihil moveor, quia non omnibus id, nec ex ſe contingit. Luto commiſtæ nervoſas roborant partes, articulos, capitisque quoſdam affectus; quod de piſcina hac de prædicat ſacer Annalium conditor. Majorem, quod ſubnectitur, meretur admirationem; ὁ πρῶτος ἐμβὰς *Deſcendens*, quaſi καταβὰς, ut *Vulgatus*, *Syrus*, *Arabs* habent. Utriusque enim induit ſignificatum, *ingredi* & *deſcendere* apud *Suidam*: ἐμβαίη, κατέλθη. *Intrarit*, *deſcenderit*. Et mox ipſe æger *Comm.* VII. alius ante ipſum expeditiori gradu καταβαίνει. *Seneca* dimitti corpora in piſcinas dixit. Nempe per balneorum gradus ſeu ſcalas, modo pauciores, ut Bajis in balneo Ciceronis & Oceano *Ligorii*, modò plures, ut in Badenſibus novitiis & vett. templi Matidiæ apud *Donatum*, quales ad diætam depingit *Plinus* in Epiſtolis. Hic *Mercurialem* probare nequeo, Apodyterium in thermis vet. cum *Frigidario* confundentem contra manifeſtam *Galeni*, *Oribaſii*, *Plinii* auctoritatem, & ruderum fidem. Ibi veſtes deponebant ſudoribus deterſis hic conquiſitum in caldario calorem tempera-

bant.

bant. Nec jure *Vitruvium* incuſat *idem*, quod tepidarium, utpote Græcis ignotum, neglexerit. Etenim & hic tepidarii meminit, & Græcis tepidarium conſignat *Archigenes*. Labuntur non minus Antiquarii, qui Laconicum credunt fuiſſe ſphæriſterium. Diſtinxit enim *Plinius* in Epiſtolis, & *Ligorius*; nec ratio diſſuadet. Pilas *Vitruvii* in hypocauſto, ſive de pice illitis cum *Cælio Rhodigino* & *Mercuriale* accipias, ſive de quocunque globulo, quod *Philandro* placuit, parum refert. Baptiſteria autem ut plurimum ex lapide, marmore, ære aut ligno. Nunquam ex cornu Rhinocerotis, ſicut ex male intellecto *Juvenale* ſuſpicantur nonnulli. Nemo ejus amplitudinis cornu Naturæ auctor obſervavit, nec mirum foret, uni tantum primoque patuiſſe ingreſſum, fruſtraque Interpretes ad miraculum & Patres ad myſteria confugerent. Meo arbitrio, ſine his effugiis ſententia videtur ſubducenda. Gravius alterum: *Sanus fiebat* ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι: vel de ſupra nominatis cœcis, claudis, aridisve intelligendum, vel de aliis omnium generum morbis curationem recipientibus. Ubi quærenti: *An Univerſalis Medicina dari in natura poſsit?* affirmaremus, ducti 1. Loci hujus auctoritate. Quocunque tandem explicemus pacto. 2. Experimentis ſimilibus à *Blochwitio* pro ſambuco allatis. 3. Panaceâ veterum ab Æſculapio prognata, per quam ſuos adjuravit *Cous*. Illo nomine gaudent ſimplicia multa, multa concreta. Τὸ νηπενθὲς Helenæ apud *Athenæum*. Comæ Apollinis *Callimacho*. Panaces herba

 Plinio,

Plinio, cujus genera deſcribit *Theophraſtus* & *Dioſcorides*. Eoque titulo dignantur Nicotianam herbam fumivenduli. Verius *Theæ* conveniret Chinenſium. Inter mixta minus competit Panaceæ Antonii Muſæ apud *Galenum*, *Nic. Myrepſum*, *Aetium*, qui emplaſtri quoque panaceæ ad omne morborum ægrè curandorum genus adfert deſcriptionem. 4. Foliis hellebori nigri in balſamum redactis, de quibus *Scheunemannus*. 5. Vomitoriis, ſive loro *Scribonii*, ſive potionibus helleborinis &c. quæ omnes cujuſcunque ferè morbi humidiates ex omnibus educunt partibus, ex ventriculo, ob viciniam teſte *Hippocrate* & *Galeno*, etiam craſſos humores, ſecus quam huic *Pergameno* viſum, ex inteſtinis & Meſenterio apud *Fallopium* aliosque, thorace, capite ex *Coi* præceptis, ejuſque morbis ſingularibus, in ulceribus *Hipp.* de Morb. dolore capitis *idem. Aegineta*, *Abenſina*, *Gentilis*. Pro aqva in cerebro, hemicrania & Cephalæa apud eundem *Coum*, *Trallianum*, *Actium*, *Meſuen*, *Aretæum*, *Aurelianum*, *Oribaſium*, *Aeginatam*, *Fioravantem*. Pro memoria læſa *Aetius*, *Capivaccius*. Ad inſaniam, Melancholiam & Maniam *Aurelian. Gariopontus*, Th. *Priſcianus*, *Braſavola*. Ad Apoplexiam *Celſ. Oribaſ. Aet. Aret. Gariop. Aegin. Abens. Ali abb.* Epilepſiam inveteratam *Celſ. Trall. Paulus. Orib. Galen. Plin. Aet.* puerorum *Hipp. Fern.* Ad deſtillationes diuturnas raphanos commendat *Aet.* Veratrum *Hipp.* Spaſmo Cynico *Celſ.* Tetano *Plin. Aurelian.* Tremori *Plin. Gariob. Abenſ.* Paralyſi *Aegin.*

 Celſ.

Celſ. Aet. Aurel. Ali ab. Gordon. Manard. Mercat. Holler. Oculorum morbis *Hipp. Gal. Celſ. Paul. Actuar. Aet.* Aurium morbis *Hipp. Trall. Celſ.* Reliquos perſequi nihil attinet, quia de humiditatibus mihi certum, bile, pituita, melancholia, imò, quod miraberis, ſanguine, per vomitum ſumma juvamenti ſpe rejiciendis. 6. Menſtruo Univerſali Chymicorum, quo ad omnes morbos ab interna radice pullulantes utuntur feliciter, quibus contigit menſis accubuiſſe Deorum. Sive quod naturam ad noxia expellenda roboret, ſive quod ſeminarias impuritatum tincturas ſimul diſſipet, ut credidit *P. Severinus* noſtras, ſive quod humores diſponat ad recipiendam communem methodum, ut majori ſpecie veri ſuſpicatur *Dinheimius.* 7. Fontium Panacea. Rivulo in Daunio apud *Strabonem.* Nuperis *Hornhuſanis* & *Itzehoanis* aquis, concurſu potius quam univerſali medicina nominatis. Noſtræ *S. Helenæ* præter ochram oſtendunt nihil, niſi & hic, ut in pleriſque aquis, experientia ſit ſtandum. Ad quam Panaceam referenda quoque piſcina ſacra. Sed quomodo adhibita? Non potu, quanquam antiquis ſatis noto, ſecus quam multi contendunt, neque fotu ſolo, licet & hujus apud vet. inveniam veſtigia Antiquariis repugnantibus, verum per Inſeſſionem vett. frequentatam eamque non immerſione & emerſione, neque per nationem, ſed cum quiete ægrotis propria apud *Galenum, Vitruvium, Plinium* quæ varia præſtat evacuando apud *Gal. Paul. Oribas.* emolliendo, teſte *Aetio, Paulo* & experientia, ex-
 ſiccan-

ſiccando, humectando, calefaciendo, refrigerando, roborando, conſtringendo, aperiendo, adjuvando facultatem concoctricem, expultricem & hujus cenſus alia apud varios Auctores paſſim exſtantia partibus pleriſque dedicata, thoraci, ſtomacho, ventriculo, hepati; lieni inteſtinis, renibus, veſicæ, utero, nervoſis partibus articulisque, ut cœcorum, claudorum, reſolutorum in porticibus piſcinæ commorantium. Quod ſi ad omnes promiſcuè vis ſanandi tranſiit, neutiquam id à victimis in ea ablutis habuit, nec à lignis crucis Chriſti in fundo, narrante *Genebrardo*, repertis, quia dubium, an ibi fuerint, & quanquam latuiſſe in fundo conceſſerim, nullam tamen ligno crucis jam fabricatæ minus crudo, in morbis curandis deferimus efficaciam. Patres enim *Joh. Chryſoſtom. Damaſcenus, Cyrillus*, de ſpirituali loquuntur curatione, ut non crucis in deſerto, ſed ſerpentis ea fuerit vis, ſeu typi ejuſdem. Imò non ligno ſed ſigno crucis vett. Chriſtiani fidebant, vel lignis cruore Chriſti tinctis. Nihil à materia traxit, ſive Cedro, cupreſſo, pinu vel buxo, ex quibus crucem componunt *Chryſoſtomus, Beda* aliique, ſive oliva contra inventionis fidem, ſive, quod verius quercu, ex quo robore cruces Romanorum, teſte *Silio*, *Plutarcho*, *Cypriano*. Nolim tamen *Becano* aut *Bozio* credi, huc ſpectare coronam querceam in Auguſti numiſmate OB CIVES SERVATOS. Nam corona prima ex ilice, eſculo, teſte *Plinio*, *Agellio*. Poſtea ex quercu, quia Jovi ſacra arbor & amica apud *Virgilium*, *Ovidium*, *Claudianum*, parum diſſentiente *Apollodoro*.

doro. At civica aliquando hederacea *Martiali*; aliquando oliva mixta *Statio*, & quod urgentius, non Octavii tantum Auguſti in honorem cuſi hi nummi coronati, ſed Cæſaris, Caligulæ, Galbæ, Claudii, Antonini Pii, Trajani, & aliorum civium Romanorum, ob ſervatos cives, vel ampliatos. Nec plus auxilii ex inventæ crucis, tempore Helenæ, hiſtoria, me ſponſore, invenient, mihi juſtis de cauſis juxta & magno *Salmaſio* ſuſpecta, quia altum ejus apud *Euſebium* iſtorum temporum æqualem eſt ſilentium. Addo non convenire inter ſe figmenti auctores. Nam *Theodoretus*, *Alexander Monachus*, *Ruffinus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Georgius*, *Hamartolus* gravem mulieris morbum ab umbra ſive contactu crucis depulſum; *Sulpitius* verò *Severus*, *Paulinus*, *Leo* Imperator in Bibl. Patrum mortuam ſcribunt ad vitæ rediiſſe uſuras, quod *Nicephorus* cautior, fame potius vulgi quam certæ relationi conſignat. Nam *Ambroſius* ſolo titulo agnitam crucem profitetur, nullo alio miraculo. Ratio igitur Panaceæ à Deo per occultam cauſam, à natura tamen haud alienam repetenda, quia & in aliis fontibus mirabiles obſervamus eventus. Ubera nutricibus reſtituit juxta Negarinum fons; teſte *Leandro*. Styx niſi Aſini cornibus nuſquam continetur, ſi credimus *Senecæ*, *Iſidoro*, *Æliano*. Ab occulta fortaſſis venenatorum qualitate, qua Narviæ aquas refugiunt ſerpentes apud *M. Cromerum* in Polonia. *Cuſpinianus* de S. Crucis fonte refert & in cruorem mutari ſubinde, & utilem multis languoribus. In vor-

tice Siculo vitæ reſtituuntur ſuffocata ex *Ariſtotele*, & Puteolis in antro canino. In Sardiana perjuri vel occœcantur vel clarius cernunt ex *Solini* narratione & *Rhemnii*. Aquis B. Virginis Saonenſis mirandam ad ſanandum virtutem aſcribit *J. B. Albertus*, & de voraginibus fluviorum nota res & decantata. Sed me contineo, quia in his rationi præferenda experientia, conſilio *Herodoti* apud *Oribaſium*, præſertim quum fundi iſtius naturam vel vaporibus, vel ſuccis, vel metallis, vel lapidibus, vel terris imprægnatam nobis inviderit *Joannes*, ad hominem ægrum ab ætate, morbo, paupertate, aut reparata ſalute deſcribendum hoc textu properans:

Comm. V. ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. De morbi genere acriter diſceptatur. Ἀσθένεια omnem notat imbecillitatem *Matth.* xxv. 26. 44, *Jacob.* v, 14. *Suidas*: ἀσθένεια, ταλαιπωρία, νόσος, ἀδυναμία. *Imbecillitas*, *morbus*, *impotentia.* Apud *Hippocratem* ἀσθενὴς ad morbum proclivis ſive natura ſive morbo, & ἀπὸ τοῦ ἀσθενέοντος ſeparatur, quod hic ἀσθενέστερος ſit. Ita & *Matth.* x, 8. de valde infirmis. De imbecillitate remediorum quoque explicat *Galenus*, & Suidas ex *Ariſtophane* de paupertate, quia τὴν τύχην ἰδίως νόσον φασίν. Noſter utroque fato miſer, rectè ἐμπεδόμοχθος dicitur *Nonnio*. Non quod orbus oculis fuerit, ut cenſent aliqui, ſed quia perpetua nervorum reſo-

reſolutione corriperetur, quam *Paralyſin* Græci nominant. Huc inducor. 1 Auctoritate vett. Patrum S. *Ambroſii*, *Chryſoſtomi*, *Theophylacti*, *Gregorii*. 2. quod pedibus vinctus ambulare nequiverit. Unde ἀτίνακτ@ *Nonnio* 3. quia κραββάτ@ Paralyticorum proprius *Marc*. II. 4. *Actor*. IX. 33. per κλίνην *Matth*. IX. 2. Luc. V. 18. ſive κλινίδιον *Comm*. 24. ſed utrumque conjungitur *Actor*. V, 15. quia apud *Suidam*: κλίνη τὸ κράββατον & τὸ ערש *Amos* III, 12. per grabatum reddit & *Vulgatus* & *Aquila*, quod LXX. eſt κλίνη. Aliter σκιμπόδιον, quod κράββατον vocat *Heſychius*, in quo portari ægrotantem ad balneum voluit *Galenus*, de cujus forma conſulendus *Mercurialis*, affiniſque erat illi lectus vel penſilis ex toto, ægrorum proprius apud *Celſum*, *Aetium*, *Priſcianum*, *Aurelianum*, vel uno pede ligatus inſtar cunarum. 4. Ab ætate Viri ad Paralyſin apta. Provectior enim erat & morbo & annis. Nam *Comm*. VI. πολὺν χρόνον ἔχει, quod non tantum de morbi tempore, ut *Eraſmus*, *Beza*, *Tremellius* & noſter *Interpres* vertunt; ſed ætate quoque ægri cum *Arabe*, *Syro*, *Vulgato* & *Lud. de Dieu* accipimus. Veroſimile quippe ante XXXVIII. annos grandiorem fuiſſe natu. 5. Accedit aer frigidior, ſiquidem tot annos ſine cura exegerat. Nam à madido pallio manus paralyſis apud *Galenum* inducta. 6. Ratione clariori ex *Comm*. III. ubi ξηροὺς Paralyticos credo. ξηρὴ mulier apud *Coum* cui alvus reſiccata; & ξηρώδεες δυσπνόοι qui

qui in tabe areſcunt. *Suidæ* ξηρὸς ὁ ἰσχνὸς, *gracilis, macilentus*. Ego pro atrophia, ultimo inveteratæ Paralyſeos gradu, teſte *Fernelio*, interpretor. 7. A curatione per balneum, in Paralyſi tàm ab atrophia, quàm frigore commendatum vehementer *C. Aureliano*, *Plinio*, *Vitruvio*, *Sylvio*, *Mercuriali*, *Saxoniæ*, *Mercato*, *Sennerto*, *Zacuto*. 8. Eundem credunt *Leontius*, *Chryſoſtomus*, *Euthymius*, qui *Matth*. IX. 2. *Marc*. II. *Luc*. V. Paralyticus vocatur. Sed eodem anno editum miraculum alia interceſſere, Paralytici inprimis ſervi ſanatio *Matth*. VIII. Ille in domo, hic piſcina erat. Hic Hieroſolymis ſine homine comite, ille Capernaum quatuor hominibus per tectum demiſſus *Marc*. II. Ille junior, noſter conſenuerat. Nam quod additur: τεσσαρακοντα ὀκτὼ ἔτε ἔχων: Inveteratum morbum notat, & curandi difficultatem. Unde νοῦσον κύκλαδα *Nonnius* appellat, non ob annorum cyclum, ſed περίοδον, qua exaſperata Paralyſis, ut cepit *Galenus* de morb. tempor. Neque animus eſt ad infirmi ſymbolum hunc numerum cum *Auguſtino* & *Bungo* referre, quaſi quadragenarius ſanitatis ſit hieroglyphicum. Fortuitum monſtrat octavus decimus annus *Luc*. XIII. II. & duodecimus *Luc*. VIII, 43. devotumque patientiæ exemplum hinc condunt alii. Verius anni climacterici fructum dixerim, ſi illi aliquid tribuendum. Index enim eſt XLII. anni, qui incidet fortaſſis in annum ejus LXIII, ſi XXXVIII. annis, quibus morbo detentus fuit, addamus XXV. Accedit

cedit difficultati curationis ſenile corpus & proſtratæ vires, ut vix βεϐιημένον ἄνθρωπον reſponſurus Chriſto traxerit, quod ipſum inter ἔνηρος aſſerit. Imò miniſtrantium penuria. Nam queritur *Comm.* VII. ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ſive ſervum, qui tamen tantum græcis recentioribus ἄνθρωπος vocatur, ſicut videre eſt apud *Conſtantinum* Orat. de adminiſtr. imper. quemadmodum apud *Juſtinianum* in Digeſtis quandoque Homo pro Servo ſumitur: ſive potius Amicum, cujus opera in deſcendendo uteretur. Forſan Medicum voluit à balneis, qui cum ἄνθρωπος ſit, ſi in foro Romano verſetur, ſervus non fuit, quia hi nullo cenſu. Hinc injurios in artem Divinam dixerim, qui Medicos olim Romæ ſervos plenis buccis declamant, *ICtorum* freti auctoritate. At ſi ex JCtis cum illis agamus, liberalibus ſanè ſtudiis Imperator accenſet *ff. de Extraord. Cognit.* ubi eadem *l.* 1. §. 1. Medicorum cauſa eſt quæ Profeſſorum. Alibique *l.* 6. *ff. de Excuſ. Tut.* Grammaticis, Sophiſtis, Rhetoribus annumerantur περιοδεύται. Qui quidem Circulatores ibidem appellantur, non quod ἀγοραῖοι fuerint, ſed Principum in itineribus ſocii, unde Comites dicti. Sano etiam ſenſu inferior Græcia περιοδεύειν pro ſanare dixit, ſecus ac magno Polyhiſtori viſum. Juvat libertatem, quod Amici fuerint Principum, ut apud *Tacitum* Eudemon & *Senecam* & *Caſſiodorum*, quum inter Dominum alioquin & Servum nulla amicitia. Ad Magiſtratum quoque eve-

evectos Inſcriptio Ateſtenſis teſtatur, ubi IIIIII Vir *Medicus* Conjugia illorum aliæ decantant Inſcriptiones, Romæ in Baſilica olim D. Petri.

D. M.
C. CÆCILIO C. F. SAB.
AQUILÆ.
CÆCILIÆ. C. L.
MOSCHIDI.
C. CÆCILIUS. DIÆTUS.
MEDICUS.
FILIO. ET. LIB. CONJUGI
SUÆ. PIISSIMIS.

Non abſimilis infra Capitolium: D. M.

CLAUDIÆ ..... EUTYCHIÆ.
CONJUGI. SANCTISSIMÆ.
BENEMERENTI.
HYMENÆUS. MEDICUS.

Servorum autem contubernia erant, non conjugia. *ff. de ritu nupt. l.* 49. & contubernales ſervorum uxores *l.* 12. §. *contubern.* &c. ſicut eorundem ferè, peculium, non ſalarium, liberalium artium medicorumque ſtipendium *l.* 16. §. 1. *de alim. legat. l.* 4. *de decret. ab ord. fac.* Nolo urgere legationes, quia exceptionem prævideo ex *l.* 101. *ff. de Verb. ſignif.* & *Scribonio Largo.*
Fun-

Functus tamen eſt Exagon apud *Plinium*, & de alio elegans extat Inſcriptio *Mediolani*:

C. VALERI. PETRONIAN. DECURION. T. F. SACERD. JUVEN. MED. CAUSIDIC. QUINQ; GRATUIT. LEGATION. URBIC. ET PEREGRIN. PRO. REP. SUA. FUNCT. VALERIUS EUTYCHIANUS VI VIR. AUG. PATER. FILIO INCOMPAR. ET SIBI.

Nec nominibus inſiſtam, quæ ſervis raro niſi ſola, Medicis autem ſua Prænomina, Cognomina & Nomina, ut *Aurelio*, *Cornelio Celſo*, & paſſim aliis. Præterire non poſſum expreſſam ingenui Medici Inſcriptionem Romæ ad D. Crucis Hieros:

M. JULIUS INGENUUS P. R.
MEDIC. COH. II. VIG.

Unde & Scholas ſuas habuiſſe, ex ruinis in Eſquiliis obſervavit *Ligorius*, ibique ſuos tabellarios vett. marmor indicat ad D. Sebaſtian:

M. LIVIO. CELSO. TABULARIO
SCHOLÆ MEDICORUM
M. LIVIUS EUTYCHUS
ARCHIATROS OLL. D. II.
IN FR. PET. IIII.

Medi-

Medici tandem ſuos etiam ſervos alebant, ut Caſſius apud *Scribonium*, quales erant Chirurgi ſeu Medici ludorum, veterinarii, ocularii, unguentarii, herbarii, medicamentarii, caſtratores, coci, tonſores, & alii miniſtri ſervientes, ſicut *Aurelianus* vocat, quibus Archiatri primi & ſecundi ordinis, Archiatrorum Comites, & Eparchiatri imperabant. Non me terret. *l. Ambit. ff. de decret. ab ord. faciend.* quia in *l. 53. de Verb. ſignif.* ſubſidium reppeti. Nec lex Aquilia, quia & huic occurram, niſi fallit augurium. Quamvis igitur & inſanabilis fuerit Paralytici affectio, deficiente Medico amico, curare tamen aggreſſus eſt Chriſtus, quem Medicorum filii in ſe ſuſcipere nec poſſent, nec vellent. Enimverò conſilii *Hippocratis* ipſius in Arte, *Galeni*, *Senecæ*, *Gvidonis*, *Gauliaci*, pedem referunt quam molliſſimè, quando ſervari nequeunt quos propria ſors perimet; ne ſcilicet eventus mortalitatis ipſis imputetur. Magnus autem de cœlo Medicus verbulo imperantis negotium confecit. Dixit, & factum eſt.

Comm. VIII. Ἔγειραι, *ἆρον τὸν κράββατον σου, καὶ περιπάτει.* Quò triplicis nobis miraculi fecit fidem, quod ſtatim dictum factum convaluerit, tantasque momento receperit vires, ut & ambulare & grabatum ferre potuerit, quum ordines ſuos alioquin ſervet natura medendi artifex, parique temporis intervallo reſurgat æger, quo laborare cœpit; ſtatu neutro intercedente; & tandem, quod verbo ſolo morbum reſtrinxerit, ut phraſi *Tertullianâ* utar

utar. Juvant verba variis prolata modis, obmurmuratione, ſuſurro, elata voce, cantu, precibus, vel divina virtute, vel Magica, vel Naturali. Divina vi vel Chriſto propria *imperando*, ut in præſenti inſtituto, vel Sanctis communicata *orando*, in nomine JESU *Actor.* III, 6. IX. 34. XIV, 9. Magica, verè impia, ſeu verbis ſignificantibus ſeu barbaris, pacto cum Dæmone vel expreſſo vel occulto quam falsò ex cœleſtibus corporibus advocavit *Paracelſus*, de Philoſophia ſagaci audacter ſuſtinens, tertia Magiæ, ſpecie ſeu naturali poſſe quemcunque proferre, *Surge, tolle grabatum tuum & ambula.* Item: *Lazare expergiſcere.* Quo incantationes veterum ſpectant, quibus ſanguis Ulyſſi repreſſus apud *Homerum*, Oroadanti apud *Heliodorum*, à peſte liberata Ægyptus apud *Suidam*, luxata membra reſtituta, ſi *Catoni* fides, Iſchiatici curati *Theophraſto*, podagrici apud *Varronem*, vecordia maritis injecta ex *Tacito*, percuſſi à ſcorpione procurati oſſaque ex gutture exſcreata apud *Galenum* & *Trallianum.* Quæ, à Chirone quanquam uſurpatæ, in XII. *Tabulis* damnantur, & ab *Ulpiano* in l. 1. *ff. de Med.* ut ne Medicorum nomen mereantur quæ Medicinæ genera non ſunt. Sed de malo carmine hæc accipienda moneo, qui certo credam nec à naturali curandi ratione abhorrere omnes voces, nec ſuperſtitioſum in Epilepſia eſſe carmen cum *Fernelio*: *Gaſpar fert myrrham, &c.* & experientiæ & rationi conſentiens, quemadmodum inſuſurratis verbis ſordiculæ oculorum & hordeola eruuntur, *Mar-*

[illegible] auctore. Cantu Cretenſem peſtem *Thales* expiavit, lymphaticos *Xenocrates*, phreneticos *Aſclepias*, melancholiam Saulis *David* Pſaltes, convulſionem à Tarantulæ veneno inductam *Appuli* ſono phrygio aut hypodorio, & pleroſque morbos Lesbii Jonesque apud *Boëthium*, ut alia *Galeni*, *Averrhois*, *Ariſtotelis*, *Martiani Capellæ*, *Marcelli* hujus cenſus loca prætermittam. Precibus Pſyche *Apulejana* quidvis à Cerere impetravit. In quam rem digniſſimum adnotamus textum *Jacob.* III, 14. ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν. *advocet*, *Presbyteros Eccleſiæ*, *& orent ſuper eum.* Et *Comm.* 15. *Oratio fidei ſervabit laborantem*, *& eriget eum Dominus.* Quem de corporali curatione contra quoſdam diverſum ſentientes, neutiquam de extrema Unctione Sacramentali, graviſſimis permotus momentis explico. 1. ex loco parallelo, *Marc.* VI., 13. 2. ἀσθενεῖ τις, de periculoſo morbo ſumitur, ut & ὁ κάμνων, de jam ferè emortuo. 3. οἱ πρεσβύτεροι Medicinæ gnari ſeniores, ſeu Eccleſiæ miniſtri utramque olim ſcientiam conjungentes, ſive illi tanquam qui dono miraculoſo ſanationum excellebant, ut *Paræus*, *Belgici*, credunt, & *Brochmannus* noſter, ſive omnes promiſcuè, qui regendæ Eccleſiæ præſunt, quæ *Calvini*, *Aretii*, *Piſcatoris* fuit ſententia. 4. Oratio communis eſt, non ſacramentalis, de corporeis bonis ad *Comm.* XIX. 5. σώσει τὸν κάμνοντα, *Syrus* vertit, *ſanabit corporaliter*, niſi utramque ſanandi viam cum *Hugone* & *Thoma* eligamus. 6.

ἐγερεῖ αὐτὸν, excitabit. *Vulgatus* alleviabit, de corporea valetudine ubique invenitur, nunquam de lætitia ſpirituali, ut fingunt, nec animæ ſalute, niſi in allegoria *Eph.* v, 14. 7. Apertè à remiſſione peccatorum *comm.* 15. diſtinguitur. Nihil horroris incutiunt *Bellarmini*, *Corn. à Lap.* argumenta, nullis precibus admittenda. Id unicum deprecor, quod plus ad proſcribendos morbos ponam ponderis in ſacris Oraculorum Divinorum verbis, ſine ſuperſtitione plebeja, ex fide prolatis, quam ſuperſtitioſis agyrtarum miraculis. Sed quicquid horum ſit, ſi eo nos rerum compulerit neceſſitas, & hic & alibi, quia Dii non ſumus omnium capaces,

Moniti meliora ſequemur.

HISTORIA PARALYTICI SECUNDI

Ex Matth. VIII. & Luc. VII.

ALterius Paralytici, Centurionis cujuſdam, hiſtoriam juncto ſtudio *Matthæus* & *Lucas* texuerunt, in hoc tantum diverſi, quod ille brevior ſumma capita ſignârit, hic fuſiori opera circumſtantias ſit perſequutus. Credimus enim utrumque ſcriptorem divinum, idem mirandæ ſanationis opus, rem eandem finita Panegyri in Capernaum geſtam, diduxiſſe. Hanc

vorum ſit, ſive ingenuorum. Quod nec aliis infrequens. *Helleniſtis* παῖδες τῦ Δαβὶδ milites ejus dicuntur, quo nomine & Præfecti ſupremi à Rege paſſim iiſdem Græcis veniunt; annotante *Heinſio* c. 20. *Ariſt. Sacr.* Ita Joab *Helleniſtis* παῖς βασιλέως erat 2. *Sam.* & alii quos minus propriè ſervorum catalogo aſſcribimus. In Republica ſanè Romana, cui Centurio ejusque exercitus parebat, ſummo ſtudio & deliberato conſilio cavebatur, ne nomen ſervi militiæ darent, ut ex edicto *Marciani* conſtat L. *ab omni* 11. ff. *de re mil.* alioquin capite puniendi. Quis id Centurionem auſum pertendat? Malè ſibi conſuluiſſet, & ut inquiſitor, peccaſſet, ſiquidem de lectis vera prodidit *Plinius* L. x. Epiſt. 39. Nulla præterea ibidem ſervorum cura, quia pro nullis habiti L. 32. ff. *de div. reg. jur.* & par illorum cum mortuis conditio, quia mortalitati comparatur ſervitus L. 209. ff. *de div. reg.* nec ulla inter eos & Dominos amicitia. Noſter tamen ἔντιμος erat Centurioni *Luc.* VII. *comm.* 2. cujus ſanitas repetitis per Seniores Judæorum & alios amicos Legationibus, imo per Patrem ipſum procurata diligentiſſimè. Sequutus ea parte prudens Centurio aliorum Imperatorum exemplum, qui de ægrotantium militum valetudine anxiè laborarunt. Teſtis *Vegetius* L. 3. R. Mil. c. 2. *ut ægri contubernales opportunis cibis reficiantur, ac Medicorum arte curentur, Principum Tribunorum & ipſius Comitis, qui majorem ſuſtinet poteſtatem, jugis quæritur diligentia.* Quo fine apud *Vitruvium* L. 1. *Archit.* c. 4. exta inſpiciebantur in

 caſtro.

mortis candidatum, in tentorio relinqueret; vel, quod vero ſit ſimilius ex *Luc.* comm. 7. quia μὴ ἱκανὸν ſeu μὴ ἄξιον ſe judicaret, communibus nominum erratis obnoxium, & Paganum, à fœderis ſancti religione alienum. Certum enim eſt militiæ Romanæ Prætoriæ cohortis fuiſſe Centurionem, de cujus dignitate & officio videſis *Vegetium* L. 2. R. M. c. 8. 16. *Sigonium* L. 2. Antiq. Jur. Prov. c. 2. ſive C. Cornelius is fuerit, C. Oppii Centurionis Pater, ut ſuſpicatur *L. Dexter* in Chronico à *Corn. à Lapide* in Chronotaxi citatus, ſive alius. Nihil meo judicio vetat, quo minus etiam nativitatis ſuæ ipſum puduerit, ſecus quam contendit *Maldonatus*. At Palæſtinæ natales debuiſſe, nunquam mihi perſuaſerit *Hilarius*, aut *Contzenius*. Quid enim illud *Luc.* VII, 5. ἀγαπᾷ τὸ ἔθνος ἡμῶν? Quorſum *Matth.* VIII, 12. ὑιοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται. h. e. Judæi, quorum prærogativæ recenſentur *Rom.* IX, 4? Filium autem adducere præſentem, nec itineris patiebatur difficultas, nec ultimum graviſſimi morbi momentum, verè ſontici, qui ex *Caſſio* apud *Javolenum*, cuique rei nocet, vel, ut clarius *Marcellus* definivit L. 6. ff. *de re Jud.* qui cujuſque rei agendæ impedimento eſt.

De morbi genere paucis diſputandum. Non exprimit *Lucas*, niſi quod fuerit κακῶς ἔχων. *Matthæo* tamen παράλυσις placet: βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικός. Ne de eo dubitemus, ſimilem Paralyticum ſeqq. capitis *commate* 2.

βεβλημένον expoſuit. Liberalior *Grotius* Apoplexiam amat, qua periit. *Celſus* quidem L. 3. c. 27. ſuo tempore παράλυσιν utrumque adpellari vidit: verum exemplo carere, rectè monet *Ronſſeus*. Inſanabilem autem eſſe & παράλυσιν confirmatam, nullus Medicorum dubitat, ipſo præeunte *Celſo* jam laudato. Duplex ea quum ſit ex *Marcello Empirico* c. xx. una cum contractione, quam *conductionem* nuncupat *Aurelianus* L. 2. Chron. c. 1. altera cum remiſſione nervorum: Illa autem ſit vel permanens vel intercurrens; illam, aliis *Pſeudoparalyſin*, plerique videntur elegiſſe, tam *Interpretes*, quam *Commentatores*, vocantque *contractos* ea Paralyſi correptos. *Germanus* Gichtbruchtig vertit, *Danus* vetus Werckbroden. Reliqui nomine generis acquieſcunt rectius; ut & *Gloſſæ* marginales *Danicæ* Halſſtord. Nihil enim video gravioris cauſæ, quo minus vera & legitima nervorum reſolutio eſſe potuerit, quam παράλυσιν vocant Medicorum filii, & ἀποπληξίαν, & ἡμιπληγίαν, & πάρεσιν. Illam ſacer vates hic ſequitur, in qua, ut eleganter *Hilarius* loquitur, *artus undique fluidi & ad conſiſtendi officium agendique corrupti*. Negant ſtrenuè *Theologi* quidam magni nominis, quia nervorum reſolutio partium eſt particularis. Verùm enim verò ignorant boni illi Viri ſingulorum nervorum exortum, progreſſum & inſertionem, à quorum reſolutione inducitur παράλυσις. Non ſtrictis adeò limitibus conſtringitur. Et partes ſingulas diſcretasque occupat, tam

tam externas, quam internas, & totum latus, imò, quod mireris, univerſum corpus minutiſſimis quibusdam particulis exceptis. Idque à diverſa nervorum diverſorum affectione. Ex infimæ conjugationis reſolutione, inferiores partes motu ſenſuque deſtituuntur, ex ſuperiorum paſſione, reliquæ, ad quas deferunt animalem ſpiritum, ſive plures ſive pauciores pro nervorum varietate, deficiunt. Unde particulares emergunt *Paralyſes palpebrarum, linguæ, gutturis, manuum, penis, crurum, cordis*, & ſic conſequenter. Extant illarum in ſacris quoque exempla. Manuum *Eſa.* XIII, 7. Lumborum *Ezech.* XXIX, 7. genuum *Nahum* II, 10. Metaphorica partim, partim propria. *Manus* ex affectis nervis quinti, ſexti & ſeptimi paris cervicis & primi ſecundique Thoracis labaſcunt. *Crus, genu pedesque* neque movent ſe nec ſentiunt, ſi incommodum ſentiant nervi ex oſſe ſacro prodeuntes, & Lumborum vertebris. *Lumborum* muſculi officio ſuo fungi nequeunt, niſi expeditiores reddantur à nervis lumbaribus. Quod malum experiuntur & *renes*, ad ſenſum nervis ſtomachicis inſtructi. Non nos moveat quod intus ſe recondat, quandoquidem ratione credibile judicat *Aurelianus* L. d. interiorum ſingula vitiari, ut *pulmonem, cor, vel diſcrimen Thoracis atque ventris*, (h. e. diaphragma) *vel ſplenem aut jecur præveniri adprehenſione mortis patientem.* Ita quippe locum obſcurum facili mutatione reſtituo, textu non repugnante. Nam in his reſolutionibus patiens prævenitur *adprehenſione mortis*, h. e. nullis ſignis aliis prægreſ-

ſis ſignatur quam morte ipſa, quomodo *ſigna* per *apprehenſionem* propriam ſtatim explicat. In eadem ſententia fuiſſe *Herophilum* idem monet, repentinam mortem nulla ex manifeſta cauſa venientem, fieri cordis paralyſi. De reſolutione *linguæ*, *carnis* ex *Zach.* XIV, 14. quam in Harmonia adducit *Chemnitius*, ipſe dubito, adeoque alibi excutienda. Non quod mihi lateat, quid oculis linguæque accidat, nec quid de carne ſeu muſculo affecto ſubtilis *Capivaccius* fruſtraneo opere rimetur, ſi *Galenum* 4. L. A. c.4. ad veriores partes vocaverit. Totum Latus pari facilitate vis morbi pertentat, quando ad alterum ſpinalis medullæ principium dilabitur. Quin univerſum ferè corpus comprehendit, & in Apoplexiam deinde migrat. Teſtis *Aurelianus* laudatus: *Hæc paſſio nunc partis eſt, nunc partium, nunc totius corporis*. Tale exemplum obſervaſſe ſe in ſcorbutico D. *Janus* Medicus Regius narravit, cui tamen illæſa erat gula. Hinc lato Apoplectici nomine non rarò venit παράπληγις apud *Hippocratem*. Excutiat loculos ſuos *Fœſius* in œconomia. Nobis ſufficiat *Aph.* XI. ſect. 7. τὸ ἀποπληκτον, quod ex L. I. *de Morb.* v. 50. facem mutuatur. Idque quia *Galeno* in *Def. Med.* tantum ut pars à toto differt. Majori ſpecie veri convulſionem putat *Adorus*, cujus veſtigiis inſtitit *Corn. à Lapide*, quia βασανιζόμενος additur. At Paralyſis ſine ſenſu eſt, ſine motu. Centurio verò Medicinæ imperitus cum vulgò loquitur, paralyticos eſſe quoslibet motu captos. Hinc ut ſe extricent, valdè iudant. De principio acceſſionis nullum

dubium

dubium, priuſquam confirmetur. Habet tum ſua tormenta, ſuos cruciatus. Diſplicet id *Chemnitio*, quia non in principio morbi erat famulus, ſed ἔμελλε τελευτᾶν, *Adamus à Contzen* miram hoc cruciatu vocat Paralyſin & ſubitam, non ordinariam. Ego nullo labore tormentorum iſtorum in vera Paralyſi rationes inveniam. Nam. 1. βασανιζόμενος dicitur jam moriturus, ubi dolor anxietasque ex ambiguo vitæ mortisque certamine & morbi vehementia exacerbantur. 2. Ob diurnam moleſtiſſimi morbi moram ſatis animo cruciatuum conceperat, & infelicis vitæ tædia, ut velut per lapidem lydium ſine aliis tormentis fuerit probatus. Ea veriſſima huius vocis eſt notio, ut auctor eſt *Suidas*, collectis in eam ſignificationem veterum teſtimoniis, magisque propriam eſſe, quam de tormrntis & quæſtionibus jocus *Luciani* in *Solœc*, pueri βασανιζομένου clare oſtendit. 3. Vel ſuccedebat Convulſioni Paralyſis, vel uterque affectus erat complicatus rariſſimo exemplo, quod obſervarunt tamen, *Hippocrates* in illo, cui auris dolebat poſt Vergiliarum occaſum L. 4. *Epid.* S. 7. *Abenſina* 3. fen. 2. *Foreſtus*. L. 10. Obſ. 95. 121. & ego non ita pridem in *Anna Longomontana* deprehendi. Nec mirum ſi ex *Aureliano*, *Marcello* aliisque Paralyſin cum *conductione* ſive contractione admittimus, modo remittente, modo perdurante. Hinc rectè *Valeſius* in Epid. determinavit, paſſiones eſſe loco affecto & materia ſimiles. 4. Impoſſibile non arbitramur dolores cruciatusque partibus ſubinde pro cau-

ſarum

ſarum varietate inſidere; quando illæſo ſenſu motus tollitur. Hinc μετὰ βασάνȣ μεγάλης reſolvebatur Alcimus 1. *Machab.* 9. comm. 55. quem verum credo Paralyticum, ſecus ac ſummo Theologo viſum, auctoritate *Cælii* Siccenſis in ſimili Paralyſi fretus. 5. Orta forſan Paralyſis ex caſu vel vulnere, ubi maximo doloris ſenſu, prout vel lethalis fuerit, vel minus noxia, percelluntur. Hujus farinæ reſolutiones ſubminiſtrant nobis longa ſerie *Galenus* 3. L. A. 10. & 4 L A. 4. 5. *Aurelianus* l. 2. *Chron.* c. 1. *Gradius* in Rhaz. *Foreſtus* l. 1. obſ. 95. 121. *Schenckius* ex A. *Benedicto* L. 1. Obſ. 172. *Zakutus* L. .. *Hiſt. Med.* 48. aliique numero plures. 6. In Pſeudo Paralyticis dolorem deſcribit *Horſtius* noctuque dieque perſeverantem, referente *Schenckio* L. . Obſ. 179. 7. Quid ſi cruciatus hos reſolutioni ſuper impoſuerit malus Dæmon, in hominum tormenta promptiſſimus? Nihil definivero, cuivis ulterius cogitandi arbitrium relicturus, quanquam promptior ſim intra Naturæ limites me continere.

Nam *Cauſas* Naturales huic affectioni aſſignarim varias. Taceo conſuetas tritasque frigidas, lentas humidas. Hominis conditio & doloris magnitudo vulnus inter primas cauſas aſſerit. Vel enim miles erat, ſeu δȣ̃λος Ἄρηος, vel inter milites quotidiè verſabatur. Si ætatem juvenis ſpectemus, & ferventioris climatis temperiem, calidioribus humiditatibus auctum malum & accenſum, ſecus ac contendunt *Mercurialis* L. 1. Prax. 20. *Rondeletius*, c. 23. *Cur. Morb.* vel ſanè ipſa calidior intemperies,

periès, denſando nervos & exſiccando, humoresque in reliquo cerebro frigidiores colliquando, paſſionem acceleravit. Ex tertianis Paralyſes obſervavit *Fernelius*, ex Colica *Paulus Ægin.* l. 3. c. 18. 43. *Nicolus* Flor. ſ. 5. tr. 8. c. 40. *Trincavellius* l. 3. c. 1. *Pulverinus* c. 55. Art. Med. &c. Ex Peripneumonia *Galenus*. *Saxonia* ex oris ventriculi inflammatione. Omnia ex bile per primam τῆς μεταπτώσεως ſpeciem translata, transmutata, temperata, quæ quidem, quia ſui ſubinde relinquit veſtigia & membranas quaſi ἐν παρόδῳ per vices lambit, convulſiones Paralyſi miſcet, meatu non penitus intercluſo, ſive id fiat quando pori oblique concidunt, ut *Caſſius* Probl. 81. prodidit, ſive alia ratione, ab hoc loco & inſtituto aliena.

Quamcunque eligamus Paralyſeos noſtræ occaſionem, malè omninò *auguramur* ex cauſis ipſis, morbo, & ſymptomatibus. Accidentia duo vehementiſſimè affligentia eventum minus proſperum portendunt. Dolor ingens δεινῶς βασανιζόμενος *Matth.* comm. v I. κακῶς ἔχοντος *Luc.* comm. 2. & virium totiusque corporis jactura, inſigni verbo à *Matthæo* expreſſa. Βέβληται, projectus eſt. *Vulgatus*, jacet, quàm rectè, ipſe viderit. Urgentius alterum, ſicut & ſocrus Petri infra *comm.* 14. dicitur βεβλημένη. In quam ſententiam *Virgilius*:

Sternitur, & toto projectus corpore.

Cui opponi cernas apud *Hippocratem* 4. Epid. ſ. 7. ἑστήκει, in alio Paralytico. Si ex cauſis ominemur, parum miſero ſpei. Si mali originem

ginem vulneribus debuit vel alii caſui, ob diviſum nervum incurabilis pronunciatur ab *Ægineta* L. 3. c. 18. *Abenſina*, niſi juvamen poſt inciſionem ſentiatur, nec totus ſit præciſus. Contrarium quidem in Comite Hercule Bevilaqua refert *Saxonia*; ſed de combuſto nervo accipiendus, neutiquam reciſo, prorſus deſperato. Quod ſi humiditates frigidas, lentas, ad harum cauſarum cenſum vocaverimus, fulmen adeſt *Hippocratici* oraculi 2. *Aph.* 34. Diſſentanea quippe eſt affectio & τῇ ἡλικίῃ & τῇ φύσει & τῇ χώρῃ, adeoque graviſſima. *Ætati*, qui juvenis παῖς Centurionis. *Naturæ*, ſeu temperamento, quia calidiores qui orientem ſolem adorant, & ipſe militaris ordinis tyro forſan, æſtuante circum præcordia ſanguine, ut Turno olim *Æneid.* XII:

Ardebat in arma magis.

Regioni, quia Capernaum Galileæ metropolis ſicco & calido ſole torretur. Appoſite igitur *Aurelianus* noſter L. 1. Acut. c. 3. *Illud in ægritudine ſemper magis afficit, quod à natura plurimum receſſerit.* In cujus veritatem diligenter, nec infeliciter *Galenus* inquiſivit. Non minus periclitabitur æger Centurionis, ſi ab aridis calidisque cauſis Reſolutio illius dependeat. Eædem premunt difficultates, ex adverſo ſibi oppoſitæ. Juvenes calidi ſunt humidique, neutiquam ſicci aduſtive. Regio quanquam calida, inter temperatas numeratur. Conſuetudo denique ſeu vitæ inſtitutum moderatum fervoris gradum expoſtulat. Notum *Fl. Vegetii* conſilium L. 1. R. M. c. 2. tyrones de *temperatioribus legendos*

gendos eſſe *plagis*, quibus & copia ſanguinis ſuppetat ad vulnerum mortisque contemptum, & non poſſit deeſſe prudentia, quæ & modeſtiam ſervat in caſtris, & non parum prodeſt in dimicatione, & conſiliis. Ad morbi denique ideam ſi reſpiciamus, inter conclamatos habetur, ἔμελλε τελευτᾷν apud *Lucam* Medicinæ peritum, quoniam eo jam vis morbi ingentis proceſſerat, unde pedem referre difficile, & quanquam inducias mors concederet, Paraplegia in Apoplexiam, levi de cauſa degenerat. *Celſus* L. 3. c. 27. *In partibus ferè inſanabilis morbus eſt.* Ita enim pro *ſanabili*, omnino legendum. Denique, ſi quidem compoſitus eſt affectus, ex reſolutione cum convulſione, augetur periculum vix evitandum, quum juncta unum affligant, quæ ſingula ſolent jugulare ſingulos.

Anxia hac ſpe vexatus Centurio, condictis præficis, conclamatis omnibus, filii ſalutem ultimo auxilio procuraturus, audita de Chriſto fama, divino Medico & plurimis experimentis nobiliſſimo, Seniores primo Judæorum mittit, qui demandatum legationis munus fideliter nimis exſequuntur, ultra quam ſperare vel poſſet, vel vellet. Mox facili in petitionem Chriſto, quum urbi vicinus eſſet, amici occurrunt, Centurionis nomine rogaturi, ſuperſederet tanta itineris moleſtia, non ſe dignum, cujus gentile tectum ſubeat, nec illius deſiderari præſentiam, qui abſens omnia verbulo uno poteſt expedire. Urbem autem ipſam quum inter hos ſermones benignus in vota ſupplicum intraſſet,

tenui-

tenuitatis ſuæ conſcius ſibi Centurio, iiſdem verbis Chriſtum aggreditur, quibus legatos amicos inſtruxerat. Duplicem errorem prudens alioquin Centurio videtur commiſiſſe, tanto faſtigio indignum. Importuno ſanè conſilio ſeròque Medicum advocat expertum, quum jamjam evolaturus ſpiritus in labiis pueri hæreret. Vitium ſeculo noſtro & cœlo familiare, in vigore & ſummo morbi articulo de Medico cogitare, quum conclamata res &

Salus eſt nullam ſperare ſalutem.

Ab his curis malis cavendum monet *Guido Cauliacus*, & ubi prognoſticis alioquin relinquendi ægri in bivio vitæ mortiſque, tutius eſt, qui ſervari non poteſt, ſuaſore *Celſo*, non attingere, ne Medici aut ignorantia aut negligentia periiſſe videatur. Peccat præterea Centurio aliud peccatum, quod Medici præſentiam minus credat neceſſariam. Qua veritate à verbo ejusque efficacia ſejunxerit perſonam Chriſti, litigent inter ſe Theologi. Apud nos ardua agitatur quæſtio: *An abſens Medicus rectè curet?* Præſentiam Medici plurima expoſcunt, morbi ſtatus & tempora, accurata cauſarum notitia, ægri temperies, conſuetudo, habitus corporis & animi, accidentia præſentia, imminentia, & reliqua ſignorum ſylloge, quibus ignoratis ne titivillitio æſtimarim ſeu Medicum ſeu ſuſceptam curationem. An ex ſolis transmiſſis urinis acquieſcere queant, nolim determinare. Sunt ita in arte Uromantica exercitati quidam, ut morbum quemvis abſentes divinent. Nuper id Daventriæ Chirurgus profitebatur, à quo

quaſi

quaſi aliud agens didicit domeſticus ejus, Vir Doctus, amicus noſter, jamque alii ſollicitè id exquirunt. Cæterùm nemo approbaverit vulgi indocilis ſuperſtitionem, quod nullo caſus aut ægritudinis diſcrimine, nulla aëris externi, injuriæ, nullaque commotionis intervenientis differentia, non raro abſentium ægrorum affectus ex Medicis per vim quaſi extorqueant. Rectè hi bullatores Medicis cordatioribus debent ludibrium, nuper à magno noſtri ævi Aſclepiade, *Olao Wormio*, damnati. Ingenioſum ſe hac parte præſtitit Medicus quidam Batavus. Ruſtico urophoro quærenti, an ex bigis vel quadrigis æger frater eſſet lapſus, quum malè bigas divinaret, & aliquid tractu itineris profuſum intelligeret, reſpondit: in deperdita urinæ parte reliquas duas rotas delituiſſe. Suſpenſo naſo excepi & ego quandam ex turbata quatuor abhinc leucis matula, an Lue venerea infectus eſſet maritus, inquirentem. Riſi ſpectatum admiſſus. Scorbutum, malum inquilinum, pervidere me dixi, neutiquam Luem aliam, quæ itineris ſpatio evolaverat. Abſentes febres civis quidam noſter tinctor depellit, accurato paroxyſmorum inito numero. Quid de morbis ſympathicis dicendum? Armarium unguentum, multorum ingeniis nobilitatum, & pulvis, quem ſympathicum nominant, in Galliis nunc uſitatus, vires ad locum longius diſſitum diffundunt. Crudus à vulnere culter, lardo impactus, idem vulnus perſanare apud vulgus noſtrum fertur. Non ignoramus quo nomine curationes ſympathicæ malè audiant,

quamque acriter ſe *Sennertus* l. 5. Prax. p. 1. c. 10. *Athanaſius Kircherus* in Arte Magnetica. *F. Licetus* c. 55. de Quæſ. Epiſt. tom. 2. & *Herm. Conringius* Med. Herm. c. 18. Viri Inclyti, oppoſuerint. Verum enim verò, *Crollio*, *Goclenio*, *P. Servio*, *Papinio* aliiſque horum fautoribus libentius, ſano tamen ſenſu, acceſſerim, nec nimium illis tribuens, nec planè damnare auſus, quum infinita utriusque ſympathiæ ſint exempla, à finibus Naturæ minimè profliganda. Quidquid horum ſit, quanquam rarò abſens Medicus artis ſuæ det ſpecimina; Centurionem tamen utraque hac culpa abſolverim, quod de cœlitus demiſſo Archiatro ſecurus, ſupraque omnium ſortem elato, ſumma ſpei niſus fiducia Jeſum in extremis conclamati pueri corpore abſentem, virtute tamen & divinitate præſentem ubique, imploraverit. Tantoque libentius intentato crimine liberarim, quod vocare & ipſe & per amicos voluerit Medicum, ut hoc pacto ejusdem gravitatem tueretur. Peſſimè ſe proſtituit agyrtarum natio, quæ oſtiatim ægros, velut mendici ſtipem, ſponte ſua conquirit, invitasque mortalium mercatur animas. Et notis & ignotis invidioſa erit hæc ſive avaritia, ſive ſtoliditas. Apud hos fallaciæ emergit ſuſpicio aut inſidiarum, apud illos contemptus. Promptiſſimas autem in vota ægri fidentis & venerabundi Chriſtus, exemplo ſuo præivit non eſſe denegandam opem aut hoſtibus, quales Pagani erant & Judæi delegati, in quo errore verſatur *Julius Alexandrinus*, aut aliis Divinæ artis contemptoribus,

ſi

ſi quidem omnibus ex officio ſe obſtrinxerit. Alia enim ratio illorum, qui Magiſtratui ſummo tantum obligati, vel aliis muniis impediuntur, vel ſibi vivunt. Hoſtis ſanitatem promovere nulla lege vetamur, niſi vel Principis edicto prohibeamur, vel domeſtici amici retrahant. Moverant ea *Hippocratem*, ut magno Artaxerxi remiſerit nuntium: *Perſarum enim opibus uti, neque ipſi æquum erat, neque barbaros morbis liberare, quum ſint Græcorum hoſtes.* Niſi ipſum ſe in hac Epiſtola vicerit humaniſſimus *Cous*, merito jure inter ſuſpecta reponimus. Valetudinem omnium procurat Medicus, ſicut amicitiam, nullo gentis, ætatis, ſexus, aut religionis diſcrimine, quod princeps ingenioſi *Thomæ Browne*, Angli, in Religione Medici fuit inſtitutum. Iccircò non culpandus Eruditus civis noſter, nec Hebræi, *Caſtrenſes*, *Zacutus*, *Benjamin*, *Chebibi*, aliique, quod ille apud Mahometanos feliciter, hi inter Chriſtianos artem ſervandi mortales profiteantur. De peſtilentia dubitatur juſtis de cauſis. Etenim quemadmodum quivis Chriſtianus graſſanti contagio ſe ſubducit, cui per vocationem publicam ſive in Repub. ſive in Eccleſia vacat, ut uno ore ſentiunt Theologi *Calvinus*, *Beza*, *Tarnovius*, *Zanchius*, *Perkinſus*, *Rivetus*, aliique non pauci: ita Medicorum filios hac ſeceſſione ſibi conſulere fas eſto, qui publico curandis ægris ſalario non ſunt mancipati. Imò quanquam complures certis ſtipendiis Reſpublica conduxerit, laudandum tamen uni vel alteri id dare negotii, reliquosque à ſe ad loca

tutiora dimittere, ut de Eccleſiæ miniſtris *Gerardus* tom. 6. Loc. Com. & *Zanchius* omninò conſiderate judicarunt. Nam Imperatores in prima acie ſummis periculis non tutò exponuntur, ne, paucos juvandi ſpe, tota Reſpublica damnum Principis exceſſu patiatur. Nec Medici una nocte naſcuntur, ut fungi. Prudens Magiſtratus, ſicut Noſocomia publicæ utilitatis graſſante contagio adornat, ita Medicos omnium ſaluti excubantes lauta merce invitat. De reliquis *Jus Canonicum* decernit: *ſi acciderit peſtem in loco ſtudii graſſari, tunc poſſe Scholaſticos & Profeſſores in quandam vicinam civitatem aut oppidum ſecedere, eosque tum comitaturos privilegia quæ erant data ſtudio generali in loco electo.* Profeſſorum autem nomine & Medici veniunt in Jure Civili, ut videre eſt §. 1. ff. *de Extraord. Cogn.* Quod clementiſſimus quoque Magiſtratus noſter benignè, dira aliquoties ſæviente lue, nobis indulſit. Hæc cauſa fuit inter alias, ut citatus *Hippocrates* electusque, & præmio ingenti & oblato honore ad exercitum Artaxerxis non acceſſerit, quod *morbus peſtilens dictus ejus exercitibus ſe applicaverat*, quemadmodum conqueritur ipſus Rex magnus Epiſtola ad *Pætum*. Cunctorum precibus ſatisfacturus Servator, non quod ἄξιος eſſet Centurio Paganus, ut vane delegati jactant Seniores, nec ob eorundem interceſſionem, ſed ob fidem Centurionis, & innatam ſibi juvandi promptitudinem, dictum factum itineri ſe accingit, memor illius: καιρὸς ὀξύς. Quod *Epiſtola* ad Cratevam *Cous* urget; *Quum ab omni*

ni arte aliena ſit procraſtinatio, *tum verò maximè in Medicina*, *in qua dilatio vitæ periculum adfert.* De acutis alibi 4. *Aph.* 10. φαρμακεύειν αὐθημερὸν, χρονίζειν γὰρ κακόν: *Medicari eadem die*, *tardare enim in talibus malum.* In Chronica Paralyſi periculoſa æque palliativi auxilii mora, quia ἔμελλε τελευτᾶν Sed quum ad ædes recto paſſu tenderet *Jeſus*, indignum ſe Paganum, peccatoremque plenis buccis clamat Centurio, ſub cujus tecto divertat. στεγη tentorii erat ſeu Prætorii, ubi habitabat Centurio, de qua ad Paralyticum tertium plura occurrunt dicenda, ubi & tecta militaria notabimus. Jam fidem Pagani hominis admiraturus ſeu laudaturus Servator mundi, de gentium vocatione & ad captum noſtrum cœleſti felicitate diſſerit, ſumpta ab accumbendi more Romanis Græcisque uſitato, ſimilitudine. Nihil ſpiritui DEI frequentius, quam cœleſte gaudium per conviviorum ſolemnitatem exprimere. Ita *Luc.* XIII, 16. ſimilitudine cœnæ opiparè inſtructæ, & *Matth.* XXII, 2. nuptiarum Reguli, æternus beatorum ſtatus adumbratur. Quo tendit, ἀνακλίνεσθαι *Luc.* XII. 37. & ἐσθίειν καὶ πίνειν ἐπὶ τῆς τραπέζης *Luc.* XXII, 30. Et *Apocal.* VII, 7, XXII, 4. ad divinam in cœlis beatitudinem trahuntur, quæ de convivio prodiderat vates *Eſa.* XXV, 6. 7. 8. Οἰκονικη igitur eſt hæc Chriſti expoſitio à conviviis mutuata, in quibus antiquiſſimo plurimarum gentium ritu non aſſidebant more noſtro, nec humi implexis pedibus jacebant Turcarum inſtar, ſed

ſed diſcumbebant convivæ, ita ut alter caput alterius ſinu, extenſis vel contractis pedibus, exciperet. De antiquo Romanorum more pleni ſunt Antiquariorum libri, *J. Lipſii* L. 3. Ant. Lect. *Petr. Ciacconii* de Triclinio. *F. Urſini* in Appendice, *Stuckii*, L. 2. An. Conv. c. 34. *Philandri* ad Vitruv. *Caſauboni* ad Baron. *Mercurialis* in Arte Gymn. *Fabri* in Agoniſt. & aliorum numero plurium. A balneorum Luxu introductum, quum olim auctore *Servio* l. 7. Æn. & *Iſidoro* l. 20. c. 2 conſiderent, mox in conſuetudinem abiit. Modum exhibet triclinium operis antiquiſſimi, quod Ateſtæ in palatio *Georgii Contareni* Senatoris Veneti diligenter luſtravimus, ex ædibus Rhamuſianis Patavio olim advectum, & à *Mercuriale Ciaccinioque* tum delineatum. Simile Romæ vidimus, cujus iconem magni Equitis *Puteani* beneficio in Obſervationibus Novis de *Unicornu* fideliter dedimus & explicavimus.

Apud Græcos idem factitatum ex *Plauto*, *Terentio*, *Virgilio*, *Plutarcho*, aliiſque liquet, indicatque vetus marmor cum *Inſcriptione* Ateſtenſis Triclinii, quod libavimus L. 1. *de Luce Animant.* c. 14:

ΕΛΘΕ ΚΥΠΡΙ ΧΡΥΣΙΑΙΣΙΝ ΕΝ ΚΥΛΙΚΕΣ-
ΣΙΝ ΑΒΡΟΙΣ ΣΥΜΜΕ ΜΙΓΜΕΝΟΝ
ΘΑΛΙΑΙΣΙ ΝΕΚΤΑΡ ΟΙΝΟΧΟΥΣΑ
ΤΟΙΣ ΕΤΑΙΡΟΙΣ ΕΜΟΙΣ ΓΕ ΚΑΙ
ΣΟΙΣ.

Preſſius iſtum morem imitati ſunt Judæi. Teſtis locus *Philonis* in L. *De Vita Contemplativa*, & diſertè *Raſis* Talmudicus in *Suca* notat, veterum convivia fieri ſolita במסיבה, h. e. *cum decubitu.* Ex voce *Mithots* ſeu *lecto* idem *Stuckius*, & ex Canticis Salomonis *Fr. Junius*; pluribusque *Ciacconius* per convivii partes, confirmarunt. Hoc ſitu ἐπὶ τὸ ςῆθος Chriſti recumbebat dilectiſſimus *Johan.* XIII, 25. XXI, 20. infeliciſſimè à pictoribus expreſſo. Et Lazarus *Luc.* XVI, 22. in ſinum Abrahæ translatus dicitur, ducta à conviviis Judæorum conſuetudine. Diverſa autem eſſe apud *Tertullianum* ſinum Abrahæ & Paradiſum, *Pagnino Gaudentio* in ſalebr. Tertull. c. 48. relinquo defendendum. Ad rem planè *Livius* & *Plinius*, ex quibus hæc lucem fœnerabuntur: Ille meretricem famoſam Placentiæ in convivo L. Quintii Flaminii Conſulis *infra illum accubuiſſe*, refert, & *in ſinu recubaſſe*; Hic l. 4. Epiſt. 2. de Nerva: *Cœnabat cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat.*

Ne longius digrediar, ad ipſam *Curationem* revolvo greſſus, duobus mediis confectam. 1. λόγῳ *Chriſti.* 2. *Ægri fiducia.* Illud his verbis concepit: μόνον εἶπε λογῳ, de cujus efficacia in *Paralytico primo* quum egerimus paucis, hic actum non agemus. Hoc exprimit *commate* XIII: ὡς ἐπίςευσας γενηθήτω σοι. Fiduciam ægri de Medico curante conceptam poſſe plurimum auctor eſt *Galenus* in Prognoſt. Eleganter *Abenſina*: *feliciter ab eo curari mul-*

tos, cui multi fidunt. Accedente ad *Nic. Kaaſium* Illuſtrem Reg. Maj. Gancellarium *Joh. Paludano* noſtrate, ſtatim ab ægritudine reſpirans lætus exclamavit: *egregiè fidem meam, Paludane, juviſti*, quod *D. Thomæ Finckio*, Avo venerando, refero acceptum. Subinde eloquio præſtans Medicus plus efficiet, quam impeditior alius ſecretiorque medicamentis. Hinc niſi advocetur Medicus, quia vocantis fiducia ſpesque perit, non eſſe accedendum optimè monet *Caſtrenſis* L. 3. Med. Pol. c. 14. Duplicem juvamenti aſſignat rationem *Th. Fienus* Concluſ. 38. unam à Lætitia, alteram à promptitudine remediorum deſumptam. Nolim tamen cum *Augerio Ferrerio* l. 2. Meth. Med. c. 11. ad ipſam Medici fiduciam dicta extendere, ſiquidem ea ejus fuit opinio. Acriter de Imaginatione inter alios diſceptatur, *An morbos curare valeat?* non dubitarim conferre plurimum, movendo & excitando ſpiritus ſopitos & calorem, quandoquidem exemplorum Ilias nobis id perſuaſerit. Ruſtici non rarò ſchedulis devoratis curantur. Haleces avidè aſſumpti febres reſtinguunt, vel alia vehementer expetita, quin ipſum vinum. Ex cultu oſſium Sanctorum confidentiæ ſuæ virtute cum ægro ſanitatem redire in gratiam, ſuſpicatur *Pomponatius*, ad inſulas infortunatas hoc aliisque nominibus relegatus. Quid de Melancholicis dicturi ſumus, ſolius imaginationis beneficio procuratis, expiatis? *Philodotus* Medicus apud *Aetium* tetr. 2. ſ. 2. c. 9. quendam, qui ſibi caput amputatum putabat, impoſito repentè capiti

capiti ipſius plumbeo pileo curavit. Idem aliam mulierem à ſerpente removit, teſte *Tralliano* L. 1. c. ultim. Algidus alius accenſo in pelle lanigera igne celeriter convaluit ope *Zacuti* L. 1. Hiſt. Med. Obſerv. 38. Alius naſus ſui amplitudine tranſeuntes impediri ratus, ficta tonſura ad mentem ſaniorem rediit. Poetarum delicium *Caſp. Barlæus*, ſed melancholico ſanguine turgens, aliquando clunes ſibi vitreos credidit: quale quoque exemplum recitat *Lemnius* L. 2. c. 6. de Compl. Quid quærimus ultra? Phantaſia plerique morbi curantur, qui ope medicamentorum importunè ab indoctis exhibitorum creduntur arti ceſſiſſe. Tantumque imaginationis crevit inter mortales vis, ut ex ea ſola Illuſtris Matrona *Magdalena d'Auvermont*, Hieronymi Auguſti de Montelione Equitis Gallici uxor, *Emanuelem* conceperit. Id quod Juriſconſultorum Parlamenti Grationopolitani decretis, Medicorum nonnullorum Monſpeſſulanorum & obſtetricum mulierumque aliarum conſenſu fruſtra renitentibus *Adriano* & *Carolo* de Monteleonê hæredibus alioquin Hieronymi, obtinuit. De cujus hiſtoriæ veritate nolim inquirere, quam ſuſpectam habuit *De Lord* Monſpelienſium Profeſſor, & amicè me monuit *Petrus Sanchius* Profeſſor ibidem Regius, ne iſti relationi fidem mutuarer. Edictum eſt *Scævolæ* & *Ulpiani L. 6. ff. de his qui ſui vel al. jur. ſunt. ſi conſtet maritum aliquamdiu cum uxore non concubuiſſe, infirmitate interveniente, vel alia cauſſa, hunc, qui in domo natus eſt, licet vicinis ſcientibus, filium non eſſe.*

 Male

Malè ſanè noſtris Virginibus cœlum frigidius conſuluiſſet, quod hanc illis graviſſimarum paſſionum curandi viam denegaſſet. Cæterum caſtis gratulamur, & ad ſerium inſtitutum noſtrum regredimur. Diſpar omninò fiduciæ Centurionis eſt conditio; quia ſtupenda medela. Tantum non poteſt quæcunque fiducia ſeu Medici ſeu medicinæ in deſperatis diuturniſque paſſionibus, & jam morituris, ut extinctum calorem revocet, vias impeditiſſimas vi ſuperioris morbi, natura ſuccumbente, reſeret, humores vitioſos obfirmatos retrahat, aut proſtratam partium *συγκρασίαν* emendet. Nec filii Centurionis ſive fiducia in Chriſtum, quanquam de ea dubitare non liceat, ſive fides illuſtrior deprædicatur; ſed totum negotium ipſius Centurionis pro filio intercedentis concepta ex verbo Chriſti firmiſſima ſpes, quam ratam voluit ſervator, animique fidelis conſtantia, confecit. Non quod crediderit, ſed quod rariſſimæ fidei miraculum ſuum λόγῳ addiderit λόγος apud Deum æternus. Premamus Centurionis veſtigia, qui corpore languidi animo ægrotamus. Pari facilitate & promptitudine ſummus nobis in æternis Archiater adſpirabit. In perituris quoque, ſi illi viſum, *Noſtri cui tanta cupido eſt.*

HISTO-

HISTORIA PARALYTICI TERTII.

TErtius N.T. Paralyticus *Matt.* 9. *Marc.* 2. *Luc* 5. deſcriptus, ab illo planè eſt diverſus; cujus *Joh.* 5. hiſtoria extat, ſecus ac *Chryſoſtomo* aliiſque viſum. Ille enim in domo, hic piſcina Chriſto oblatus, ille in urbe Capernaum, hic Hieroſolymis. Illum quatuor homines per tectum demittebant, hic ne hominis quidem unius ope aquis medicatis immergi potuit. Proprium igitur Commentarium, eo quo priores jure ſibi & Tertius vendicabit; cujus hæc eſt hiſtoria in paucas periodos contracta.

Membrorum reſolutione & imbecillitate fractus Paralyticus, à quatuor lecticariis portatus, certa ſanitatis recuperandæ ſpe, Chriſto Capernaum reverſo in ædibus, ubi auditoribus concionabatur, offerendus, turba concurrentium impedito per januam ingreſſu excluditur. Moræ verò longioris impatientes lecticarii, conſilium præceps ex temporis neceſſitate in arena capiunt, conſcenſoque domus tecto & diffractis tegulis ægrum ſubmiſerunt Chriſto curandum. Jeſus humani generis Archiater fidei pleno & bonæ ſpei ſanitatem tam animæ per delictorum commiſſorum expiationem, quam corporis reſoluti ſolo verbo hoſpiti gratiosè procuravit; ut expeditum membris roboratis greſſum receperit, indeque digrediens grabbatum ſuum ipſe geſtaverit,

verit, omnibus ſtupentibus, nonnullis ſiniſtrè, more ſuo, judicantibus.

Paralyticum reſolutis ſeu ſideratis nervis fuiſſe conſtans eſt Sacrorum Hiſtoricorum ſententia, unde *enervatum* rectè tranſtulit *Camerarius*, probatque ingreſſus difficultas, de qua affectione ad ſuperiores Paralyticos plura diximus, neutiquam in præſenti actum acturi.

Conditionem & fortunæ ſtatum lecticarii produnt. Erat quippe ὑπὸ τεσσάρων portatus. Divitem crederes, cujus cubile quatuor ſervi lecticarii circumferebant. Neceſſitate tamen, haud luxu compulſus, quarta cervice ferebatur. Alioquin hexaphoros erat ſanorum Virorum & locupletum, nec pauperibus conveniens, ſicut Afro exprobrat *Martialis* l. 5 Epigr. 77.

Quid te Cappadocum ſex onus eſſe juvat?

Octophoros lectica regum propria, feminarum & ægrotorum. Hinc *idem* l. 6. Ep. 84.

Octophoro ſanus portatur, Avite, Philippus,
Hunc tu ſi ſanum credis, Avite furis.

Ut verò propius fit hominem noſtrum bonæ mentis ſorore paupertate preſſum quatuor lecticariis acquieviſſe, quia & ipſe grabatum ſuum ſeu lectulum minutum anguſtumque poſtea portare ſuſtinuit. *Aderus* è longinquo illuc ſuſpicatur advectum, nullo, ut arbitror, indicio, quum morborum ferax Capernaum fuerit, aëriſque locique vitio. Forſan pro mortuo vel morti vicino reputatus. Mortuorum autem Sandapilæ à quatuor tantum ſervis Romæ portabantur, quemadmodum icone expreſſit *Fr. Peruccius* l. 2. de Pomp. Fun. p. 28. Hinc ægrè ferebat *Martialis*

tialis l. 6. Ep. 77. quod Afer & pauper & juvenis & fortis hexaphoro vivus delectaretur, quo non debebat ferri mortuus. Clarius l. 8. Epigr 75.

Quatuor inſcripti portabant vile cadaver. Cur inſcripti? De ſervis ſtigmaticis, literisque ſervilibus inuſtis accipiunt Critici, de quibus *Pignorius* l. de Serv. *Popma* de Op. Serv. Parum. diverſa eſt conjectura noſtra. Inſcribebantur nomina lecticariorum, quorum deinde legibus Conſtantini & Anaſtaſii funerabilibus definitus erat numerus, quos omnibus modis integro numero & omni præſtatione liberos Conſtantinopoli conſervandos decrevit *Novella* Juſtiniani *Conſtitutio* 43. Numerantur in illa Novella 1100. lecticarii ſeu Decani (rectius fortaſſe Diaconi) ad peragendas defunctorum exſequias deputati, non tam ad exportandum quam procurandum funus. Octingentæ quidem officinæ corpora præſtabant, trecentæ autem in exactione pecuniarum conſiſtebant. Vel ſanè quod ex his 800. pro funerum numero in ampla civitate Byzantina deligerentur ſufficientes lecticarii, ſicut peſtilentiæ tempore hodie uſitatum. Crevit tamen lecticariorum numerus, luxu apud omnes creſcente, quem idcircò legibus Funeralibus ad neceſſarium nuper publico edicto adſtrinxit *Fridericus* III. Sacratiſſimus Rex Noſter. Q. Metellus Junior inter rara felicitatis humanæ exempla numeratur *Plinio* l. 7. c. 44. quod præter honores ampliſſimos, à quatuor filiis ſit rogo illatus.

Ingreſſuris autem obſtat multitudo januam

ædium

ædium obſtipans conferto agmine. Scilicet ad divinum Archiatrum acceſſus patet cunctis, ſed ſæpè viam malè feriati homines reddunt impeditam. Τὰ πρὸς τὴν θύραν vel veſtibulum ædium interius notat, vel plateam oſtio vicinam. *Grotio* eſt τὸ πρόθυρον, ſeu veſtibulum ante januam. In verſione Syriaca idem ſervat *Boderianus*, ſed à *Lud. Dieu* hoc nomine reprehenſus, quem varia Veſtibuli notio decipit. Plures veſtibulum inter plateam & ædium januas relictum eligunt. Ita *Danus Interpres*, ſi quidem ex veteri januarum fabrica, ad oſtium, foras aperiendum, plateæ ſpectabat pars. Utrumque tamen placet, nam utrumque veſtibulum multitudo impleverat, unde *Deodato* Italo *i contorni della porta.* Januæ autem apud Veteres in publicum rejiciebantur. Hinc ne aperiendæ læderent prætereuntes, pulſabantur prius ab egredientibus, appenſis nonnunquam tintinnabulis. Vulgatum id Græcis, quod ex Comicis liquet, ubi ante crepuiſſe fores dicuntur, quam quis domo egreditur. Videndi *Photius* in Bibl. *Muretus* l. 1. Var. Lect. c. 17. *Pancirolla* in Deperd. tit. 23. aliique. Apud Romanos L. Valerio Publicolæ & fratri primis adjectum fuit, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur, quod inter triumphales domus clariſſimum erat inſigne, teſte *Plinio* lib. 36. c. 15. Nec poſtea exolevit, nam de janua in publico aperienda reſponſum extat *Scævola l.* 41. *in* §. *ff. de Serv. præd. urb.* Utplurimum duplicatæ, quas δικλίδας θύρας vocabant, quibus in reponendis humeri

Digitized by Google

humeri luxationibus utebatur *Hippocrates*. Figuram qui cupit & fuſam de hoc argumento diſſertationem, *Cl. Salmaſium* Polyhiſtora Summum ad Solinum conſulat operæ facturus precium. Clauſæ plerumque, unde oſtium *Iſidoro ab obſtando*. Hic omnibus Chriſto perorante patulæ; Aliâs metu irruptionis occluſæ *Geneſ.* 19, 9. *Joh.* 20, 19. *Actor.* 12, 13. Illæ, animæ æternitatem ſignificabant, hæ interitum animi corporisque ex veteri Romanorum religione, ſi credimus *G. Fabricio* c. 21. Rom. deſcript: Unde in quibuſdam ſepulchris Romæ antiquis exſculpta viſuntur ædificia, partim januis apertis, ut in Palatio Capitolino Trium virum; partim clauſis, ut in domo civis Regionis Tranſtiberinæ è regione Pontis Fabricii.

Æternitatis ea ſpe, ſanitatisque animi juxta ac corporis excluſus Paralyticus, communi lecticariorum conſilio & opera per inſolitam viam graſſabatur. Enimverò, ſiquidem humiles erant ædes judicio *Baronii* ad A. Chr. 31. Tib. 15. vel ex plano vicini tecto tranſitus concedebatur, ut commentatur *Lyranus*, tecto domus hoſpite Chriſto illuſtris ablato, ruptisque tegulis per contignationem apertam ad pedes Chriſti cum grabbato demiſſus fertur, idque funibus, ut *Cajetanus*, *Beza*, *Oſiander*, *Pelargus* non male conjiciunt, niſi ædium humilitas obſtaret, & oblonga fulcra lecti, depicta in *Roma ſubterranea*. Plenum audaciæ conſilium, furibus & latronibus familiare, Chriſto alibi damnatum *Joh.* 10. 1. & Antonio in Philippi-

cis

cis à *Tullio* verſum vitio. Imò lex Cornelia injuriarum actionem introduxit, quod domus vi introita ſit l. 4. *Inſtit. Iur.* tit. 4. §. 8 quia ſua cuique domus tutiſſimum eſt refugium & receptaculum ex *Cajo* JCto, de quibus *Schneidewinus*, *Mynſingerus*, *Ritterthuſius* aliique ad Inſtituta. De vi quoque publica lege Julia tenetur, qui hominibus armatis poſſeſſorem domo agrove ſuo, aut navi ſua dejecerit, *lib.* 48. *ff. tit.* 6. *l.* 3. §. 6. Codex jur. Danici at bryde Huus / vocat Heerwerke *lib.* 2. *de leg. Cimbr. c.* 30: Ganger mand med raad raad ∫ an den Mands Gaard / eller Huus / ot bryder Huus / ꝛc. da er det Herwerke / puniunturque in ſoro noſtro mulcta trium Marcarum. Nimia tamen pietate, & neceſſaria ſalutis ratione peccans, excuſari meretur, quem ipſe Chriſtus, quo præſente hæc agebantur, à crimine abſolvit. Animus quippe à damno alienus, nec occidendi propoſito aut furandi, aut armati quovis modo nocendi irrupere, ſed ut ægrum qua corpus qua animum ſervarent. Ita qui à latronibus circumventus tectum vicini dirutum intraverit, extra injuriæ erit actionem apud æquum Judicem. Adhæc vel propriæ fuerunt irruentium ædes, vel certè connivente domino fundi detectæ, & tacitè conſentiente, nam ſic tacitum & expreſſum in Jure æquiparantur, & conſentire dicitur, qui non contradicit.

Præcipiti iſto gradu feſtinandum erat Paralytico ad Archiatrum, ſive quod incerta eſſet Jeſu mora, ſive quod ex forti & inſolita reſo-

lutione

lutione membrorum, Apoplexiam metueret per ἐπι γένεσιν, citamque mortem & infelicem. Minatur hoc malum *Hippocrates* in Coacis c. 23. §. 1. *Torpores & ſenſus privationes præter conſuetudinem ortæ futuras Apoplexias denunciant.* Παρὰ τὸ ἔθος explicat *Duretus*, quod fit ſæpenumero ictu & lapſu, tum etiam cruribus complicatis, cubitorum innixu, fame, vigiliis, ſcolioſi vertebrarum cervicis, renibus calculoſis, & artubus illaqueatis. Mala præterea Paralyſis & exitioſa poſt febrem acutam, ob malignæ materiæ μετάπτωσιν ad nervos eorumque in cerebro principium, niſi id critico Naturæ motu fiat, morboque concocto; quod honeſtiſſimæ Matronæ non ita pridem Hafniæ, contigit. Vide *Alpinum* l. 3. de Præſ. Vit. & Mort. c. 12. Unde ex duriſſimo neceſſitatis telo virtus emerſit.

Ceterum quomodo tectum ſcandere, illudque infringere potuerint, non facilè intelliget ſcrupuloſus, niſi tectorum apud veteres ſtructuram paucis detexero. Tecta vel plana fuere, vel in faſtigium erecta. Illa antiquiſſima, quibus faſtigium ſequens imbrium incommodum addidit. De utriusque origine & forma *Vitruvius* l. 2. Archit. c. 1: *Alii luteas glebas areſacientes, ſtruebant parietes, materia eos jugumentantes; vitandoque imbres & æſtus, tegebant arundinibus & fronde: poſtea quoniam per hybernas tempeſtates tecta non poterant imbres ſuſtinere, faſtigia facientes, luto inducto proclinatis tectis ſtillicidia deducebant.* Sed ſuccreſcente arte & artificum ingenio, non luto tantum tecta faſti-

giata muniverunt, ſed ſcandulis aut ſtramentis, eodem teſte, h. e. robore aſſulatim ſecto inſtarque tabellarum tectis inſtrato, quibus annis 470. Roma fuit contecta autore C. Nepote apud *Plinium* l. 16. c. 10. ſucceſſere deinde tegulæ, materiaque, quibus mox ſectilium lapidum bracteæ, laminæque aliis ſuper alias ſedentibus & inter ſe imbricatis, de quibus *Pavonacea* tegendi genera apud *Plinium* l. 36. c. 22. explicat *Philander*. Ferri poteſt religio in Deos, quod Pantheon æreis tegulis opertum fuerit, referente *Paulo Diacono*, quodque rotundam D. Mariæ ædem Ravennates ſolido lapide ornaverint. In privatarum ædium ſplendorem abuſus tranſtulit & plumbum, unde plumbum, quod tegulis poneretur, ædificii eſſe ajebat Labeo, teſte *Javoleno* JCto ff. *de Verb. ſign.* l. 242. §. 2. ſive quia tecta ex plumbo fuerint ſolido, ſive quod tectis plumbum ad ſtillicidia adderetur Diſpar omnino incorrupti ſeculi facies. Romuli caſa in arce ſacrorum *ſtramentis* tecta, *Vitruvio* autore. Expreſſit id *Ovidius* l. 3. Faſt.

Quæ fuerit noſtri, ſi quæris, regia nati,
Aſpice de canna ſtraminibusque domum.

Mauros mapalia ſua *ſcirpis* texiſſe refert *Plinius* l. 16. c. 37. idemque l. 6. c. 24. Chelenophagos *teſtudinum* ſuperficie caſas ornaſſe. De Colchorum tectis *Vitruvius* l. 2 c. 1. *frondè & luto metas tegentes efficiunt barbarico more teſtudinata turrium tecta.* Idem de Phrygibus campeſtria inhabitantibus: *ſtipites* inter ſe religantes, metas efficiunt, quas *arundinibus* & ſtramentis

mentis tegentes, exaggerant ſupra habitationes maximos grumos è terra. Alii ex *ulva* paluſtri ſeu alga paluſtri compoſuere tuguria, noſtri ruſtici ex paleis, alii ex arundinibus. Rudere non tegulis loca munita Hiſpaniæ & Africæ tegebantur, notante *Hirtio* Bell. Hiſp. c. 8. Apud Germanos veteres ne cæmentorum quidem aut tegularum uſus, *Tacit. de Morib. Germ.*

Tecta tamen plana, frugalitatis olim & innocentiæ documenta poſterioribus temporibus magnifico opere exſtructa opulentiorum, eſſe cœpere, in quibus commorabantur, ambulabant, hortos colebant, quæque ad ſui tutelam in motibus civilibus utebantur, ut liquet *Judic.* 9: 51. qualia pleraque Neapoli aliisque Latii urbibus adhuc viſuntur. Tranſiit ea architecturæ ratio in Palæſtinam, ſacramque in ea urbem. David enim in tecto palatii obambulans amore illicito viſæ Bathſebæ accendebatur 2. *Sam.* 11: 2. In tectis & plateis omnes ejulare dicuntur *Eſa.* 15. 3. Oſoribus Sionis auguratur David *Pſal.* 129, 6. futuros ſicut gramen in tectis, quod torretur antequam prodeat. Quem locum de tectis planis erudite exponunt *Gloſſæ* marginales Danicæ, quanquam & de faſtigiatis accipi poſſet. Illuſtris extat textus *Deuteron.* 22, 8. *Cum ædificaveris domum novam facies* מעקה *tecti per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua.* Murum vertit *Hieronymus.* LXX. στεφανην, *Philo* θωράκιον. Peribolum *Oſiander. Danus* et Recke. Parietem *Pagninus* & ædificium, cujus altitudinem ex R. *Da-*

vide ad quatuor digitos extendit, *Grotius* ad pedes tres cum dimidio. *Caſtalio* loriculam amat. Στεφάνη dicta à Coronæ ſimilitudine. Coronæ in ædibus appellabantur prominentiæ quædam parietum ad arcenda ſtillicidia apud *Vitruvium* l. 2. c. 8. *Palladium* l. 1. R. R. tit. 11. Loricula ſeu Lorica dicta à materia. Eſt illa cruſta ex calce & arena *Vitruvio* l. 7. c. 1. unde granariorum parietes & ſolum opere tectorio marmorato loricandos vult *Varro* l. 1. R. R. c. 57. Apud *Plinium* l. 8. c. 24. Ichneumon ſe loricare dicitur limo merſus ſoleque ſiccatus. Loricam quoque de coronis murorum in urbibus & munimento urbem cingente adhibet *Vegetius* l. 4. c. 8. In tecto Samuel Sauli loquebatur 1. *Sam.* 9, 25. In tectis ſuffitus excitabant *Jerem.* 19, 13 Diſcipuli Chriſti jubentur *Matth.* 10, 27. *Luc.* 12, 3. prædicare ἐπὶ τῶν δωμάτων, hoc eſt, publicè audientibus cunctis, ut verò ſit ſimile ex tectorum planicie, tanquam ex roſtris tranſeuntes alloqui conſuetum fuiſſe. *Luc.* 17, 31. In illa die, qui fuerit ἐπὶ τοῦ δώματος, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa. Certè & apud Romanos tecta petebant in tumultibus, quod *Tacito* l. 1. hiſt. credimus. *Act.* 10. 9. *Aſcendit Petrus* ἐπὶ τὸ δῶμα, *ut oraret circa horam ſextam.*

Aliàs tectum pro Tentorio militari uſurpabant, quo tegebantur. *Vegetius* l. 3. c. 2. *Pedites ſine intermiſſione imbribus vel nivibus ſub tecto, reliquis diebus exerceri in campo voluerunt.* Vide plura lib. 2. c. 23. *Suidas*: ϛεγανον. πυκνὸν,

νὸν, σφιγκτὸν, καὶ διόδωρος· οἱ δὲ ῥωμαῖοι στεγανὰ ποιήσαντες, παρεχείμαζον. h. e. *Tectum, Denſum, conſtrictum, Diodorus, Romani verò cum tecta feciſſent, hybernarunt.* Quo torſan Centurio ille pius *Matth.* 8, 8. reſpexit.

Tectum igitur hujus domus à Paralytici lecticariis ruptum, planum fuiſſe certum eſt, in faſtigiato enim difficilior adſcenſus. Et ſiquidem vicini tectum pari planitie explicabatur, hoc conſcenſo, facilis ad aliud erat tranſitus. Dubium movent apud *Lucam* οἱ κέραμοι. Quid enim ad æquale pavimentum tegulæ? Niſi & hæ illud per intervalla diſtinxerint. *Syrus* operimentum loci reddidit, ut *Troſtius* monet. *Beza ex Plinio*, perfoſſum dicit teſtaceum pavimentum, quod diſplicet *Heinſio* in Exerc. Sacr. Teſtaceum enim pavimentum in Oriente neutiquam uſitatum; eſſe potius *ſubdiale* pavimentum, de quo *Plinius*, quia in his tectis ſub dio agebant: Στέγευ autem & κεράμυς pari paſſu hic ambulare, tectumque notare ex *Thucydide*, *Syro*, aliiſque, ſicut apud *Plautum* in Mil. Sectari ſimiam in Tegulis.

Quod fidei ardore à Paralytico commiſſum, nobis neutiquam in exemplum trahendum. Qua occaſione commodè quæſtionem hodiernis moribus opportunam, expendamus, *An illegitima media quærenda & uſurpanda ſpe recuperandæ ſanitatis?* Illegitima remedia ex duplici æſtimamus fonte, vel quod Diabolica ſint, vel ſine rationali Methodo adminiſtrata. In utroque peccat credula mortalium inſania, ſed con-

ſtanter utrumque juſtis de cauſis damnamus. Diabolica remedia duum ſunt generum, vel expreſſo Diaboli inſtinctu edocta, vel implicito. Priores ordinis auxilia Chriſtiani veri verè deteſtantur, territi exemplo Ahaſiæ Regis 2. *Reg.* 1. Poſteriorem curandi rationem plurimi ſine pietatis ſcilicet offenſa eligunt, vel characteribus, vel ignotis verbis, vel numeris menſurisve, vel aliis ceremoniis à ratione alienis ſuperſtitiosè morbos expugnaturi. Sed fugite hinc mortales, ſi ſapitis, ſi me anditis, latet anguis in herba. Larvam detraxerunt *Sennertus* l. 13. de Conſenſ. *Olaus Wormius*, decus orbis & urbis c. 10. Not. ad Faſt. Dan. & varia eruditate hic annotarunt nuper *Hier. Jordanus*. De illo quod in Morbis eſt divinum, *O. Borichius* noſter de Cab. char. qui legi merentur, ne alios numero quamplurimos ad vocem. Sequamur D. *Chryſoſtomum*, potius mortem homini Chriſtiano ſubeundam, quam vitam ligaturis redimendam.

Remedia Empiricorum ſine verâ Methodo exhibita, pari infamia ſunt notanda. Veneni ſuſpicione non carent, & innoxiè animas vitasque licitantur, qui Recipiunt neſcio quid, ut ſanentur ægri, neſcio quando. Judicant cordati rectius, præſtare cum methodo mori, quam ſine illa vivere. Mala dicenda iſta medicamenta, quæ qui in publicum vendiderit pœna legis Corneliæ. L. 48. ff. *de Publ. Jud.* tit. 8. l. 3. §. 1. h. e. in inſulam deportetur & omnibus bonis privetur, *ibid.* §. 5. Unde Sapientiſſimis Venetorum decretis Circumforanei

urbe

urbe Patavina cum iufamia ejiciuntur, & in urbe Pariſienſi, niſi Saluberrimæ Facultatis Doctoribus, conceſſum nemini publicè medicinam facere. Quanquam & Magni olim Regis noſtri, glorioſæ nunc memoriæ *Chriſtiani IV*, legibus vetitum ſit, *ne quis ægris medeatur poculumve medicatum exhibeat, præter promotos approbatosque Medicos, ſive ſeplaſiarii ſint, ſive barbitonſores, ſive Chymici, ocularii, herniarum ſectores, ſive circumforanci variive Empirici*: neglecto tamen prudentiſſimo Edicto non illi tantum ægrotum curam ſuſcipiunt, ſed Ruſtici, Pædotribæ, Sacerdotes, aniculæ & carnifex ſpe precioque ſollicitantur, hoc uno à latronibus differentes, quod cives intra mænia & non in montibus deprædentur, ut alibi *Galenus* loquitur. Dices: Sanitatis cauſa tentanda omnia. De legitimis nunquam repugnabo, reliquos averſor qui flectere ſi nequeant ſuperos Acheronta movent. At juvant perſæpe. Opto ſucceſſibus careat, quiſquis ab eventu facta probat. Divino *S. Pauli* monitu, non facienda mala ut eveniant bona. Nec quaſi aleam jaciendo Medici curare debent, quod verè dixit *Galenus* in 1. *Epid.* com. 2. Horum igitur cunctorum beneficia cunctis ſunt nocentiora vulneribus, præſtatque odium illorum quam pacem meruiſſe, ut *Leonis* homil. 19. utar verbis. Juvant per Accidens, plusque fortunæ habent quam conſilii, cui ſubinde fixa ægrotorum imaginatio jungitur, qua multi morbi ſuperantur, qui Empiricorum arte curati creduntur. Sæpè palliativa cura credulis im-

 ponunt

ponunt brevi damno majori eruptura, vel ſanè ad meliorem vitam promovent, quam in plures annos differre debebant. Quod ſi Patronus Empiricorum, non malo animo, ſed ſpe juvandi iſta excuſet, reſpondeat *Martianus ff. de Publ. Jud. t.* 8. l. 3. §. 2. *ex ſenatusconſulto relegatam eſſe eam, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat, deceſſerit.* Exterminandos quoque perſuadet *Lemnius* l. 1. de Occ. Nat. c. 17. modum verò inveniſſe ſe credit *Georg. Hebenſtreit* Quæſt. Miſc. 1. p. 14; nempe primum carnifices ex urbibus ad corvos, deinde vetulas ad ſua penſa, mox agyrtas ad eſuriem, barbitonſores ad tonſtrinas ſuas, ac denique Vulcaniam Ciniflonum proſapiam ad Carbones ſuos amandandam. Omnibus dictum ſit *Horatii* illud l. 2. Epiſt. 1.

——— abrotonum (vel *elleborum*) ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare: quod Medicorum eſt,
Promittunt Medici; tractant fabrilia fabri.

Inſuetâ viâ adventantibus, Chriſtus viſa & portantium & Paralytici fide, plus pro ſua bonitate ultrò donat, quam venerant petitum, primumque delictorum immunitatem largitur tam hactenus admiſſorum naturæ vitio & voluntatis, quam illiciti humanis legibus facinoris, rupti tecti, ædium violatarum. Paralyſeos *Curationem* à peccatorum auſpicatur condonatione, quia ſtipendium peccati mors morbusque, hicque ex illo trahitur; nec in dignitatem ſuam ulla parte peccavit Servator, quod animæ cu-

tam juxta ac corporis mortalium perditorum habuerit. Sequuti illius exemplum, quanquam non paſſibus æquis, quamplures, qui utrumque amica copula conjunxerunt. Ipſe Lucas Sacræ hiſtoriæ conditor Medicus fertur *Coloſſ.* 4, 14. quem Patronum ea propter Medici ſibi adoptarunt. In antiqua Eccleſia Sacerdotes non pauci Medicorum catalogo adſcripti: Teſte *Baronio* Tom. 3. Ann. Joſephus Tyberiades Epiſcopus Judæorum Patriarcham Helleel curationis ſpecie baptizavit. Paulus Secundus Pontifex ægrotantes ipſe comiter inviſebat, adhibitisque medicamentis curabat apud *Platinam* in Vit. Pontif. Joannes XXII. antequam Pontifex deſignaretur, Petrus Hippocrates vocatus, edidit Medicinam Theſauri pauperum. Ex Monachis ſacro voto adſtrictis pluſculi Medicinæ ſtudium & in uſum convororum excoluerunt diligenter & eruditis ſcriptis divulgarunt. Inter quos eminent *Commentatores Meſuæ, Conſtantinus Africanus, Raymundus Lullius, Jo. ab Indagine, Albertus Magnus, Baſilius Valentinus, Thomas Campanella, Pius della Marra,* aliique qui in memorias exierunt.

Quærunt hic Eruditi, *an Medici ad Clericatum & Sacerdotium poſſint promoveri, & an tum Medicinam liceat exercere?* Prius invenit fere aſſenſum, ſiquidem Medicus capax eſt nominationis ad beneficia. Doctiſſimum Medicum, Mantuæ Profeſſorem *Petr. Anton. Cavallum* novi, qui S. Franciſci ordini votoque ſe obſtrinxit, mutato priori vivendi genere. *Daniel Bucretius* Anatomicus inſignis & Spiegeli-

ani operis editor, Monaſterii Dominicanorum Pariſiis ſe clauſtris incluſit. *C. Bartholinus* Parens, cœlitibus pridem adſcriptus, Medicinæ Profeſſionem cum Theologia voto in morbis ſuſcepto commutavit, Deoque ſoli vacavit dum vixit, quod *Riolano* ſummo Anatomico regidis ad *Bauhinum* Animadverſionibus diſplicere videtur.

Altera quæſtio difficilior ſententiarum varietate. Affirmat *Bardus* c. 8. Med. Cathol. ex *per.* cap. *ſent. ne Cler. nec Mon.* & cap. *ut apud* & cap. *tua nos*, de quibus *Tiraquellus* de Nob. Med. c. 3. n. 406. Et ſiquidem de Epiſcopis conſtans eſt fama, Medicinam feciſſe, quidni & hæc ſimplicibus Sacerdotibus Monachisque concedatur. In negantem tamen ſententiam proni hæc urgemus. 1. Profeſſionem priorem cum Sacra, devotos ea mente commutare, ut ſacris majori cura & unica incumbant, Deoque ſoli ſerviant. 2. Profesſionum diſtinctionem omninò in Republica bene conſtituta eſſe ſervandam. Hinc *Ariſtoteles* 4 *Polit.* c. 15. Sacerdotum officium à Civili Magiſtratu diſtinctum voluit,& rectè *Ambroſius* negat Viro Eccleſiaſtico duplicem profeſſionem. 2. Irregularitates orientur non leves, ut etiam contrariæ opinionis aſſertores fateantur non inviti, Monachis & Clericis poſterioribus interdictum fuiſſe, quas tamen irregularitates debitis cautionibus & animadverſionibus declinari ex *Bonacina* credit *Bardus*, imo diſpenſationem à Pontifice petendam. Sed opponimus. 4. Medicinæ exercitationem inter ſeculares curas numerari,

merari, à quibus Deo ſoli conſecrati abſtinent. Timotheum, aliosve in Eccleſia, ut ille, militantes negat *S. Paulus* oportere implicari τῶ βίȣ πραγματείαις 2. *Timoth.* 2. 4. In Canonibus S. Apoſtolorum per *Clementem* congeſtis n. 6; *Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus ſeculares curas non ſuſcipito: alioquin deponitor.* Conſtitutionis ratio redditur *Canone* 80. quod nemo poſſit duobus dominis ſervire juxta præceptum dominicum. Ita & decretum fuit in *Concilio Calcedonenſi* Oecumenico Canone 3: *Definiit ſancta & magna Synodus, neminem deinceps, nec Epiſcopum, nec clericum, nec Monachum, vel poſſeſſiones conducere, vel ſecularibus negociorum adminiſtrationibus ſeipſum miſcere.* Unde nec tutores eſſe poſſunt ex *Nov. Conſtit. Juſtinian.* 123. & *Leonis* Nov. Conſt. 68. niſi ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocentur, quod de Presbyteris tantum, Diaconis & hypodiaconis concedit in Novella *Juſtinianus.* Tres alios caſus proponit *Canon* Concilii laudati, ſi nempe *Civitatis Epiſcopus rerum Eccleſiaſticarum ſolicitudinem habere permittat, vel Orphanorum, & viduarum, quæ indefenſæ ſunt, & perſonarum, quæ Eccleſiaſtico maximè indigent auxilio, propter timorem Dei.* Medicinæ exercendæ nullum indultum ſignatur, & quanquam tanta illius foret neceſſitas, à Civitatis Epiſcopo foret venia impetranda, non alio ſive in Belgio, ſive Italia commorante. Nec diſſentit decretum *Iſidori* Part. 1. *Jur. Canon.* Diſt. 23. c. 3 ubi de Clericorum converſatione agit: *ſecularia,* inquit, *officia negociaque abjiciant, honoris gradus,*

dus per ambitiones non ſubeant, pro beneficiis medicinæ Dei (h. e. pro Sacramentis Eccleſiaſticis, annotante *Gloſſa*) *munera non accipiant: ſed doctrinæ lectionibus, pſalmis, hymnis, canticis, exercitio jugiter incumbant.* Alexander Tertius in Concilio Turonenſ. lib. 3. *Decret. Greg. IX.* tit. 50. c. 3. ſtatuit, ut nulli omnino poſt votum religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem ad Phyſicam legesve mundanas legendas permittatur exire. Si verò exierint, & ad clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium non red erint, *ſicut excommunicati* ab omnibus evitentur. *Cap.* 9. prohibetur quoque ex *Innocentio III.* Subdiaconis, Diaconis & Sacerdotibus ea Chirurgiæ pars quæ aduſtionem & inciſionem inducit. *Gloſſa* ſervilem tantum intelligit aduſtionem, ſed latius nos ad quamvis actionem manualem extendimus. Denique Exorciſta in *Rituali* Rom. juſſu *Paul. V.* edito jubetur ſibi cavere, *ne ullam medicinam infirmo vel obſeſſo præbeat, aut ſuadeat, ſed hanc curam Medicis relinquat.* Ipſi & hi & illi & iſti videant, quo obſequio, quaque devotione tantorum Patrum decreta excipiant.

Notamus tamen, ne pro iniquioribus rerum arbitris traducamur, aliud eſſe ægrorum ſalutem medicamentis procurare, aliud de rebus Phyſiologicis Commentarios ſcribere, quod pro ingenii modulo quivis tentet, per me licet. Quo ſpectat Sacerdotum Ebræorum in dignoſcendis leproſis ſcientia, *Exod.* 13. *Luc.* 17. Deinde Medicam exercitationem concedi poſſe Monachis in ſuis Collegiis, ſicut *Bucretio* hoc

fuit

fuit injunctum, inprimis ſi in ſolitudine ſint monaſteria. Caſus denique neceſſitatis erit attendendus in Medicorum aliorum inopia; tumque non lucri ſpes, non decipiendi animus eſt induendus. Ita Medici *Hippocratis* præcepto in *Jurej:* à ſectionibus abſtinent, & operationibus Chirurgicis, niſi urgente neceſſitate, ſicut multi Imperatores ſæpè & arcu uti, & jaculari & pugnare gladio haſtaque ſciunt & faciunt, & Reges pariter, ſed non ut Rex, ut Imperator erat Alexander Macedo, aut ejus Pater Philippus, ſed per alias artes, imperatoriæ atque regiæ ſubſervientes, hæc militaria munera obibant, ut ait *Galenus* l. 6. Epid. Com. 5. §. 1.

Diverſa ratio Medicos ad ſacrum ſtudium obſtringit, animatque. Omnes enim verbum Dei ſcrutari oportet *Deuter.* 6, 6. 7. 8. 9. 31. 11. 12. *Johan.* 5. 39. *Coloſſ.* 3. 16. quia ſalvari omnes vult Deus *Matth.* 11, 28. 1. *Tim.* 2, 4. 2. *Petr.* 3. 9. cunctisque fidei rationem reddere incumbit. Ægrorum etiam cauſa Medicus in Theologiæ abdita penetrat, ut ſi res ita poſtulet, tam animabus quam corporibus medeatur, abſenteque Theologo, non tantum affectus animi ægris leniat, ſed & fide infirmos certo ſolamine erigat, in primis melancholicos, Maniacos, aliosque hujus commatis. Hinc neutiquam præter inſtitutum Tyrones noſtri medicinæ, examini Theologorum ſe ſubjiciunt, illisque ſuum in ſacris profectum publice probant.

Ut fortunatus igitur ſit ſuſceptæ curationis eventus, Medicus exemplo Archiatri Jeſu, æter-

æternæ ægrorum ſalutis curam gerat accuratam.
1. Precibus ardentibus pro felici ſucceſſu Deus invocandus. Medicæ precationes pro commodo ægrotantium à *Iacobo Horſtio* collectæ, Helmſtadii impreſſæ leguntur. Litanias *Bardus* addidit. Cæterum junctis ſuſpiriis Deo ſupplicent, *Medicus*, *æger* ipſe, de cujus corio luditur, *Sacerdotes & Eccleſiæ*. Quantum ponderis habeant Medici vota, indicat ſapiens *Syrach*. 38. 13. Ipſe æger oret, deſiſtatque à peccato *Syr.* 38. 9. Presbyteri Eccleſiæ advocentur ſi quis ægrotet, ut orent ſuper eum *Iacob.* 5, 14. Quod publicè quoque ex ſuggeſtu in Eccleſiis noſtris fieri ſolet. Hinc diſcipuli Chriſti pro muliere Cananæa intercedebant, *Matth.* 15, 23.

2. Peccatorum expiationem, ut optata eveniant, conſilio Medicorum, præmittant ægri. Sublata enim cauſa, tollitur effectus, At morbus, delictorum eſt. Ita Jehova minatur *Levit.* 26, 16. Vos viſitabo terroribus, marcoribus & febribus, ut vultus veſter conſumatur, & corpus contabeſcat. *Deut* 28, 21. 22. Dominus peſtilentia te perdet, Percutiet phthiſi, & febre, & calore & fervoribus, & ſiccitatibus, & Hectica, & Ictero, teque perſequentur donec extirperis. Confer loca, ſi placet, 2. *Sam.* 24. 13. 2. *Reg.* 5, 27. 2. *Paral.* 21. 18. 19. aliaque. Ipſe Jeſus Paralytico apud piſcinam curato *Ioh.* 5. 14. autor eſt, ne amplius peccet, ne deterius ipſi quid contingat. Nam qui peccat illi, qui creavit illum, incidet in manus Medici *Syrach.* 38, 14. Contra promittit Jehovah

hovah *Exod.* 15, 26. *Deuter.* 7, 15. Si Domini Dei noſtri vocem audiverimus cum debito obſequio, rectumque fecerimus, & ad præcepta ejus vitam compoſuerimus noſtram, nullum morborum genus nobis nociturum, quibus Ægyptios divexavit, quia Dominus Deus noſter ſit, qui nos ſanat. Hinc totus eſt Pontifex occupatus cap. 13. tit. 38. l. 5. De Pœn. & Remiſſ. *Decretal. Greg.* IX. ut Medicis pro autoritate injungat, ne ægros ante ſuſcipiant curandos quam de vera pœnitentia & confeſſione admoneantur ſeriò, ſecus facientibus Eccleſiā interdicit.

3. In expiati facinoris certitudinem initio morbi ſacra Synaxi dignè utatur æger, in qua ipſe divinus Archiater ad partes curandi advocatur, quem qui negligit, quomodo vel Naturam habebit propitiam, vel Medicos Dei Naturæque miniſtros fortunatos. Hinc Aſa Deo poſthabito ſolis Medicis fidens, mortuus eſt 2. *Chron.* 16, 12. In quam rem S. Pauli oraculum citamus 1. *Cor.* 11. 30. *Propterea inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Chriſtianis moribus in Italia receptum eſt, ne medicus ante ægrorum ſaluti proſpiciat, quam ſacræ cœnæ communio præceſſerit. Romæ poſt tertium morbi diem id injungi firmat *Corn. à Lapide.* Unde in Concilio Wormacienſi Presbyter Euchariſtiam *ſemper* habere paratam jubetur, ut quando quis infirmatus fuerit, *ſtatim* eum communicet, ne ſine communione, moriatur, *Part.* 3. *Decret. Iur. Can.* Diſt. 2. c. 39. Rationem majoris auxilii reddit

Aug.

Aug. Etzlerus Intr. Jatromath. Lit. C. 3 quia verbo æterno (nempe Jeſu in nobis inſpirato) omne id figatur, quod per eccentricitatem & exorbitationem à vero centro, corpori adhoſpitatur, penetrat totum corpus, quod non fixum & p. n. eſt, abolet, totius hominis harmoniam rectificat, vitalem ſpiritum conſervat, peccatorum ſtipendium, mortem & ipſius προδρόμους morbos Chronicos tum acutos, pellit, hominemque in proſpera valetudine ad vitæ finem uſque conſervat. Quidquid ſit, nobis ſanis ægriſque Jeſus ſufficit, qui eſt reſurrectio & vita, in quem qui crediderit, quanquam moriatur, in æternum vivet *Ioh.* 11. 25.

Divinam curandi methodum præſentes Scribæ & Phariſæi concoquere non potuerunt. Erant enim ſapientiæ & intelligentiæ cœcitate ſic multati, ut qui vita indigni eſſent, haberent vitam ante oculos, ne viderent, ut eleganter *Cyprianus* de Idol. Van. Unde neſcii in Chriſto θεανθρώπῳ habitare πᾶν τό πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς *Coloſſ.* 2, 9. ex carnis & corporis humilitate eum æſtimantes διαλογιζόμενοι vel ἐνθυμηθέντες dicuntur ἐν ταῖς καρδίαις *Matth.* 9, 4. *Marc.* 2, 6. 8. *Luc.* 5, 21. 22. Enimverò paſſim in Sacris Oraculis Cordi, non cerebro, cogitationes tam bonæ quam malæ, & reliquæ rationalis animæ facultates ſeu δυνάμεις adſcribuntur. Nolo ſingulorum locorum calculum ponere nimis operoſum. Ex multis evolvantur *Gen.* 6, 5. 8, 21. *Deut.* 29, 4. 2. *Sam.* 15, 6. 1. *Reg.* 3, 9. 12. 8, 58.

58. 1. Par. 29. 17. Pſal. 24, 4. 50, 12. 19, 101, 2. 105, 25. Proverb. 23, 33. Eſa. 6, 10. Ier. 17, 9. Thren. 1, 1. 2, 18. 19. Matth. 12, 34. 35. 15, 19. Marc. 3, 5. 7, 6. 21, 22. Luc. 12, 34. Rom. 2, 15. 0, 0. Eph. 1, 8. 6, 5. 6. Coloſſ. 3, 15. 2. Theſſal. 3. 5. & infiniti alii.

Diſſentiunt Medici & Anatomici ad unum omnes; nec cordi primariò, ſed cerebro cogitationes aſſignant. In cerebro enim ſeu capite omnia rationis ſenſuumque inſtrumenta elucent, per quæ objecta ſenſuum & cogitationis cerebro, neutiquam cordi remoto, dijudicanda afferuntur. Id quod ex utriusque viſceris affectionibus clarius patebit. In Apoplexia læſo cerebro, obſtructisque vel ventriculo nobili, quod utplurimum contingit, inventique *Fernelius* l. 2. abd. Cauſ. vel ventriculis lateralibus, quod obſervavit *Chiffletius* l. 1. Dædalm. c. 4. vel ipſa ſubſtantia, quod viderunt *Pavius* p. 1. de Oſſib. c. 6. & comm. in *Hipp.* de Vuln. Cap. p. 108. *Panarolus* Pentec. 1. Obſ. 17. vel denique ſinubus, quod *Nymmano* c. 15. de Apopl. apparuit; illæſo corde alternisque motibus agitato, abolentur ſenſus omnes externi internique, cogitatio omnis & omnis rationis uſus ceſſat. In ſternutatione, Epilepticis convulſionibus, imaginatio, cogitatioque eo momento perit, non cordis ſed cerebri vitio, ut in diſſectis annotarunt *Smetius* l. 10. Miſc. p. 578. *Ballonius* l. 1. Ephem. p. 69. *Choiter* in Obſ. *Fernelius* l. 2. abd. Cauſ. cap. 15. *Eraſtus* part. 4. diſp contr. Parac. *Salmuth* Cent. 1. Obſ. 17. *Coſterus* in Obſ. Fontani p. 13. *Riverius* Cent. 1. Obſ. 37.

Glandorpius Spec. Chirurg. Obſ. 6. *Hildanus* Obſ. 6. Cent. 1. *Bontius* Med. Ind. Obſ. 1. ante quos *Hippocrates* l. de Morb. Sacr. Par ſit judicium de depravatis cerebri actionibus in Comate vigili, Vertigine, delirio, Melancholia, Mania, ſtultitia & fatuitate, in quibus cerebrum laborare certa Anatomicorum diſſectio docuit. Hinc in affectionibus hujusmodi cerebro, non cordi remedia interna exhibentur, externa applicantur. Imò bruta ratione carentia, eandem nobiſcum cordis habent fabricam, capitis cerebrique diverſam. Monſtra humano corpore ſed capite moribusque ferinis, qualia *Weinrichius* de Monſtr. c. 41. *Licetus* l. 2. de Monſtr. c. 58. aliique deſcripſerunt, ex cenſu hominum excludenda, ideoque majori jure nata occiduntur, quam alia apud veteres, quæ expoſita, in Inſulas deportata. expiataque flammis, ferro, undâ, variorum fide accepimus. Magnum huc momentum confert cor læſum ſalva intellectus ratione. Exulceratur ſæpè ſana imaginatione, & contabeſcit in Hectica, febribusque malignis. Obſervavimus in Dyſenteria Epidemica nuper graſſante, flaccido corde, pulſibus intermittentibus, proſtratis omninò viribus, ad extremum effugientis animæ halitum cerebri functiones omnes viguiſſe. Ruit ex hac ſuppoſitione mole ſua *Helmontii* Paradoxum tr. de Sed. Anim. qui cogitationum ſedem ortumque vitia virtutesque ſtomacho condonat autoritate Chriſti: *Quæ cogitationes adſcenderunt ad cor veſtrum*, non deſcenderunt ad cor, vel ſurgunt à corde veſtro. Miſerè deceptus textui affinxit,

affinxit, quod nuſquam nec ſcriptum nec pictum, ſtomachum, impuram animæ illius ſedem in *Anatome* noſtra *Reformata* ſine ſtomacho impugnavimus. Quod verò cordis in habilitatem à perpetuo motu metiatur, quaſi cogitatio omnis in quiete reponatur, aliis relinquo Capitis, ubi principes animæ functiones tanquam in editiſſima arce munitis ſedibus includuntur, ne erremus, non ſemel inter principes corporis partes mentionem facit Codex Sacer. In Protevangelio *Gen.* 3. 15. ſemen mulieris *conteret caput* ſerpentis, h. e. poteſtatem omnem, omnem aſtutiam ex capite prognatam, qua commate primo commendabatur, eludet. 2. *Sam.* 3. 8. Isboſetho reſponſurus Abner, negat ſe *caninum eſſe caput*, h. e. ſtolidum ſine cerebro aut prudentia. 2 *Reg.* 12, 17. Haſael *faciem præparabat* ut bellum Hieroſolymitanis inferret. H. e. Serio apud animum concluſit. *Gloſſ. Dan.* tog ſig alvorligen for. Animi paſſiones capiti imputantur, ſpes & lætitia *Luc.* 21. 28. Mœror & triſtitia *Thren.* 3. 5. *Circumdedit caput felle & labore.* *Cantic.* 5. 2. Sponſus Chriſtus ſponſam alloquuturus: *Caput meum plenum eſt rore*, h. e. anxietate & dolorum multitudine. Hinc ſummæ devotionis ſigno in maximo luctu caput pulvere adſpergebant 2. *Sam.* 1, 2. *Job.* 2, 12. *Iudith.* 4, 12. radebant *Ioh.* 1, 20. *Eſa.* 15, 2. *Mich.* 1, 6. detegebant *Levit.* 10. 6. Nimium autem quam Scripturæ familiare, dignitatem omnem & ſummam poteſtatem capitis nomenclaturâ ſignare, quod ratione & prudentiâ vel acquiratur vel conſervetur. *Eph.* 1, 22. Chriſtum dedit κεφαλὴν,

non cor ſuper omnia, Eccleſiæ, quæ illius corpus dicitur *Coloſſ.* 1, 24 1. *Corinth.* 11, 3. *omnis Viri* κεφαλη *Chriſtus eſt*: *caput mulieris Vir*: *caput Chriſti*, *Deus*. Nolo veterum teſtimonia congerere vocis ראש, quæ *Ducem*, *Principem*, *Principium* cujusque rei & *verticem* denotat, imo totum hominem. Ipſam ſi in conſilium adhibeamus creationem, cujus, judice *L. Danæo* Phyſ. Chriſt. c 3. certior ex S. S. quam particularis Phyſicæ cognitio; negotium pro Medicis confectum erit, non cordi primum infuſam rationalem animam functionum harum autorem, ſed capiti, *Geneſ.* 2, 7. *Et inſpiraverat in nares ejus ſpiraculum vitarum*, & *factus eſt homo in animam viventem*. Ab hoc halitu, in naſum inſpirato, vita hominis deſcribitur *Iob.* 27, 3. *Eſai.* 2, 22. *Thren.* 4. 20. באפין in *faciem* vel *nares*, utrumque enim notat אף, irasque & furores in facie emicantes. Vide *Pagninum* & *Mercerum*. *Aslachus* noſter Phyſ. Chriſt. p. 327. narium præcipuam fieri mentionem ſuſpicatur, quod anima, dum in corpore verſatur, potiſſimum externè in naribus deprehendatur. Forſan per patula narium foramina ad cerebrum primò inducta fuit anima, vel certè anima rationalis ad cerebrum, vitalis ad cor delata, ſi me repugnante, animarum diſtinctionem urgeas. Odoribus aërique per nares ejusque Os cribriforme & proceſſus mamillares ad cerebrum tam patet aditus, quam ad pulmones & cor per aſperam arteriam. Illis indiget & animalis in cerebro ſpiritus, unde quibus exhauſtus, valide cito & densè inſpirant *Gal.* 1. de diff.

diff. Reſp. Eraſiſtrato ſi credimus, aëre nutritur, quod experientiâ comprobat *Galenus* de Util. Reſp. huc non advocandâ. Sciendi cupidos ad elegantem *J. Olhafii* de Mor. Cereb. remitto diſputationem. Faciem ſi eligamus, vis animi omnis hic tanquam in ſpeculo elucet, capitique & intus recondito cerebro obtenditur, per oculos, nares, auresque propria animæ interioris officia exſequitur, ut qualis illius ſit conditio, inſpectâ facie, viſis oculis, facilè divines.

Quanquam igitur alibi cogitationes aſſignent cordi Divinæ paginæ, loqui tamen ex vulgi opinione, vix dubitamus, quod cordi tantum tribuit, quia conſpectior illius & nunquam intermiſſus ſit motus. Cor enim cogitationum cauſa eſt remota, qua arterioſum ſanguinem per Carotides Cervicalesque arterias cerebro ſpiritibusque animalibus diſtribuit: affectionum animi ſedes, quia pro illarum diverſitate variè alteratur à ſanguine ſeu ebulliente, ſeu torpente. Objectorum quippe omnium ſpecies per oculos, aures, &c. cerebro afferuntur, à Senſu communi & Phantaſia apprehenduntur & diſcernuntur, proque ſingularum qualitate tum judicantur. Interea per ſanguinem ex ſinubus cerebri ad cor per Jugulares venas recurrentem & in cerebro ſpecierum pleno alteratum, vel per nervum ſextæ conjugationis cor afficitur & inconſenſum paſſionum trahitur, unde palpitatio motusque vel celer in excandeſcentia, vel tardus in timore. Taceo varias eſſe לבב τῶ & τῆς καρδίας in ſacris notiones, nam modò pro cujusque rei interiori loco, modo pro homine eoque per re-

generationem depurato, modò pro affectu ſincero uſurpatur; imò in plerisque locis adverſa nobis fronte oppoſitis, obſervavi cogitationem quidem cordi conſignatam, ſed cum affectu conjunctam, ſive amore, mœrore, ira vel odio, quemadmodum ex odioſa Phariſæorum cogitatione, hujus Diſſertationis occaſione eſt manifeſtum.

Nihil motus ſiniſtra æſtimantium cenſura καρδίογνωςος Jeſus, præmiſſa Methodi ſuæ Apologia, ad curandum Paralyticum animo jam ſanum, unico verbo digreditur: σοὶ λέγω, ἔγειραι Non affirmativa iſta dictio, qualis *Matth.* 18. 19. Sed imperativa cum poteſtate, ejus qui verbo ſolo omnia creat ſervatque, cujusque proprium eſt ſic imperare, ſicut *Marc.* 4. 39. *Job.* 5. 89. *Sibyllæ* de eo exſtat oraculum

Πάντα λόγῳ πράττων πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων.

Neque utique mirum, ut verba *Lactantii* mutuer l. 4. de Ver. Sap. c. 15. quod verbo faciebat mirabilia, cum ipſe eſſet Dei verbum, cœleſti virtute ac poteſtate ſubnixum. Nominis ejuſdem vi & autoritate Apoſtoli portentosè ægris ſanitatem è poſtliminio revocarunt *Actor.* 14, 9. 9. 34 tantamque virtutem ad poſteros transmiſerunt imperantis verba, ut *Longa* Paralytica uxor Longi Conſiliarii Regii Neapolitani 1508. in Templo B. Virginis Lauretano, illicò ſanata ſit, quum Sacerdos ad hunc Evangelii locum veniſſet: *Tibi dico, ſurge*, ſi fides

penes

penes *Turſellinum*. l. 2. hiſt. Lauret. c. 10. Ibidemque eodem auctore, l. 4. c. 26 *Chriſtina* Ducis Lotharingiæ conjunx, & filia Regis Daniæ, voto ſuſcepto cum ſanitate rediit in gratiam. At jure meritiſſimo malefica illa Brugenſis, quæ omnes morbos ſolo verbo procuravit, ſi ſibi crederetur, nulla Chriſti mentione, Diabolica judicata eſt, apud *Io. Damhouderum* Prax. Rer. Crimin. c. 37. §. 21.

Ad morborum exilium vel levamen humana verba naturali virtute an quidquam conferant, agitata ſæpius quam ſoluta felicius controverſia. Nunquam mordicus negarem, quia. 1. Varia verborum prolatione, aër alteratur tam ille qui per vaſorum oſcula in cutem deſinentia per tranſpirationem ingreditur, quam in aures, nares, pulmonesque delatus. 2. Vocibus diverſus efferentium ſtatus ſeu calidus ſeu frigidus vim imprimit diverſam, quam aſperæ arteriæ reliquorumque vocalium inſtrumentorum diſpar conſtitutio vel acuit vel gravat. 3. Calido oris hiatu in aures immiſſo Epileptici paroxyſmi difflantur, & clamore, in primis ſi vox certis numeris adſtringatur. Ter in aurem inſuſurrando ſæpius *Riolanus* eſt expertus. De Epilepſia autem ex flatibus orta ſuccedere experimentum cum ſucceſſu in puella obſervavit *Walæus*. In aliis irritum deprehendi. 4. Inſuſurratis quibusdam verbis ſordiculæ oculorum & hordeola eruuntur, tradente *Marcello* Empirico. Certe in depoſitione Cataractæ Chirurgi halitum ſuum oculis inſpirant fœniculo aliisque temperatum. Quod verò addit *Marcellus* ne-

cari quoque lumbricos, fidem meam ſuperat, niſi de flatu per fiſtulam ano immiſſam interpretemur. 5. Voces ad ſanitatem conferentes, vel ſimplices ſunt, de quibus jam dictum ante, vel incertos ordines connexæ. Hæ vel Symphonicæ & ſuaves, vel cum terrore conjunctæ. In certos rythmos carmina compoſita apud veteres cœlo lunam deduxerunt, in Islandia adhuc uſitata. De his in Paralytico primo egimus, ubi & Muſices concentum laudavimus. Vocibus terror additus, corpora non leviter de ſtatu ſuo deturbat. Ita filii Iſrael à Moyſe deprecabantur, ne illis loqueretur Jehovah, ne fortè morerentur, *Exod.* 20. 19. Petrus *Actor.* 5, 5. 10. Ananiam acrius increpans cum uxore ad necem compulit. *Nicephorus* l. 4. memoriæ prodidit, fuiſſe quædam vocabula Eberina, quæ ad terrorem proponi ſolerent eorum qui initiabantur. Viſo Scorpione, ſi quis *Bud* dicat, ictus cohiberi quidam affirmant. Cæterum notandum monemus 1. hujuſmodi voces, niſi à flatibus vel levi cauſa dependeant, nullo morborum generi profuiſſe. 2. Ad decipiendum vulgus addi ſubinde manuum operationibus vel ſuperſtitioſis ritibus verba ex ſe ponderis nullius. Ita *Catonem* ludicris non aſſuetum, luxata membra accepimus repoſuiſſe, ſaltatoriis verbis prolatis: *Danata, Daries, Dardaries, Aſtararies.* 3. Voces rythmicas & ſymphonicas per accidens multis extitiſſe ſalutares, vel turbatos animi motus ſedando, ut in Saulis Melancholia, quibus compoſitis facilius omnia ex voto fiunt, vel ad corporis exercitationem incitando, unde ſudore oborto

noxiæ

noxiæ humiditates excluduntur, quod in Tarantulæ morſu credimus. 4. Alexipharmaca aliaque morbis oppoſita medicamenta utramque feciſſe paginam, & validam ægrorum imagniationem.

Verum enimverò Archiater Jeſus ſolo verbo imperii ſine minis, tactu, aut rythmico concentu, ſine medela ulla, antiquatos morbos & pertinaces portentoſe curavit, integrè nullâ morâ interpoſitâ reſtitutis viribus. Accepto enim divino mandato Paralyticus membris omnibus captus, recepta repente, incolumitate, humerisque roboratis, lectum morbi teſtem & fautorem ipſius ſine difficultate reportavit. Lectus hic pauperculi erat & ab uno mole exiguus potuit geſtari. Κλίνη dicitur & κράββατος, quamvis illa cum arca ſepulcrali ſeu ſandapila plebejorum pari paſſu ambulet, ut ex *Phlegone*, *Philodemo* aliisque annotavit *Cl. Salmaſius* ad Solin. p. 1207. Figuramque *Hyginus* depingit. Κράββατος autem tenuioris fortunæ erat lectus, unde *cratem ligneam* hoc loco vocat *Maximus* in Orat. de Adv. Chr. *Cicero* l. 2. de Div. Deos circumcurſare non modo lectos, verum & grabatos monet; h. e. divitibus juxta ac pauperibus adeſſe *Martial.* l. 6. Ep. 39. de liberis Cinnæ in ſervorum lectis humilibus & luparum lectis prognatis, quos ſuos credidit;

Sed in grabatis, tegetibusque concepti
Materna produnt capitibus ſuis furta.

Fruſtra igitur *Eſtius* comm. in Evangel. grabbatum diſtinguit à lecto, quod ille ſit fulcrum lecti. Autore idoneo caret, & verſiones om-

nes adverſas ſibi habet, quæ lectum & grabbatum, ſequutæ Sacros Hiſtoricos, eadem voce exprimunt. Σκιμπόδιον de eodem grabbato ægrotorum cepere *Gellius* l. 19. Noct. Att. *Heſychius*, *Galenus*, qui l. 10. Meth. Med. ad balneum Hecticos ἐπὶ τοῦ σκίμποδος portari voluit. Unde nimio Zelo ardens Spiridon Epiſcopus Trimithuntis in Cypro Triphyllium reprehendens, quod in Sacra concione ſcimpoda vice grabati repoſuerit, teſte *Sozomeno* l. 1. hiſt. Eccl. Atticæ linguæ ignarum ſe prodidit, quippe ex *Phrynichio* σκιμπόδις. Atticis dicitur quod communiter κράββατος. Grabatos Paralyticorum ante oculos nobis poſuit *Boſius* ex Roma ſubterranea lib. 2. *Rom. ſubt.* c. 8. p. 101. l. 3. c. 4. 23. p. 159. 233. Paralytici injectos humeris, ut leviſſimi operis fuiſſe appareat. Tria genera ex illo agnoſcimus, pro numero Paralyticorum, quorum ex pedibus differentia. Humilitate omnia commendantur, ægrisque adſcenſuris percommoda. In primo fulcrum capiti apponitur, pedibus ægri in ſecundo. Uterque vero lectus altioribus pedibus caput elevat, humilioribus inferiorem corporis partem ſenſim demittit. Tertius ſine pedibus, humi ſterni aptus, ſex baculis ſupra ornatus, ad commodam geſtationem, quibus & per tectum ſive funiculis alligatis, ſive opera manuum demitti potuit. Huic paupercula culcitra inſtrata vel linteum ægro corpore tegendo uſitatum. Commodus Paralytico egeno hic lectus, qui ex loco in alium à quatuor transferri

ferri poſſet, & à ſe ſolo ſanitati reſtituto. Tales ægrotis Medici veteres conficiebant. *Celſus* enim l. 2. cap. 15. plura geſtationis genera adhibet, quæ ſint & pro *viribus* cujusque & pro *opibus*, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obſint. Ibidem lectos ægrotantium quoque diſtinguit, ut alii ſint lecticæ ſeu immobiles, alii ſuſpendantur & moveantur, aliis uno pede lecti funiculus ſubjiciatur, & huc illuc manu impellatur. Ad inſtitutum magis *Oribaſius* l. 9. Collect. Med. c. 14. varia ſtrata recenſet, pedibus humilibus, vel ſublimibus, vel mediocribus, mobilium, parvorum, magnorum, profundorum, &c. Parva damnat quidem ob moleſtiam, & pedes humiles, quia caput repletur, ſed ſi *locus ex loco* commutandus, laudat, imo *pauperi* non negligenda.

Nos cum Paralyticis compoſito hinc lecto & collectis vaſis diſceſſuri, ne operosâ curâ circa reſolutos diutius occupati, corporis animique torpore ſtupeamus, Archiatrum Jeſum ſupplices oramus, ut ſarcina delictorum expeditos; & moleſtiis ægritudinum lectulis liberatos, excipiat tandem vera ſanitas cum ſecuritate, ſecuritas in æternitate.

ANNO-

ANNOTATIONES AD HISTORIAM PARALYTICI PRIMI.

NUnquam Divinæ majeſtati injurius eſſe volui. Impietas hæc malè cederet, & nomine Chriſtiani indignus forem. Quod ut ex æquo mihi vindicarem, malui ſemper Divina opera extollere quam impiè elevare, nunquam ſatis deprædicanda. Cavendum autem & mihi & cuivis Chriſtiano, ne pro divinis operibus, miraculisque habeamus quæ certa naturæ lege Deus adſtrinxit. Miracula enim Dei & Naturæ accuratè diſcernenda, ne vel Deus vileſcit, vel Natura cum Deo paria dicatur feciſſe. Hæc Dei vim præſupponit; at ille ſine hac liberè & extra ordinem communem operatur. Utrumque in Hiſtoria Paralytici Primi juſta devotione expendimus. Piſcina Probatica aquis medicatis morbos expiavit vi divinitus immiſſa per Naturam. Jeſus verò, quod Natura non potuit, ſine mediis hujusmodi, Paralyticum portentoſè verbulo ſolo percuravit. Ne igitur vel in Deum impius, vel in Naturam injurius viderer, utrique contribui ſua, piſcinæ curandi vires, Deo omnia.

Sunt tamen qui Piſcinæ huic Probaticæ naturalem curandi morbos virtutem invideant, & hic & ibi miracula urgentes, contra quos breviter diſputabo, melius ſentientium Judicio libenter me ſubmiſſurus.

Ther-

Thermarum nonnullarum Naturam ſi ad noſtram piſcinam expendamus, eandem vim utrobique deprehendemus. I. Κατὰ καιρὸν movebatur piſcina, & ſtatas curandi fluendique vices ſervabat, aliarum aquarum medicatarum more. In Palæſtina flumen deſcribit *Joſephus* l. 7. Bell. Jud. c. 24. ſeptimo quoque die exinanitum, ſex reliquis diebus ſemper aquis oppletum. De quo *Plinius* l. 31. c. 2. *In Judæa rivus Sabbathis omnibus ſiccatur*. In radicibus montis Sion fons eſt *Nehem.* 3. jugibus aquis non effluens, ſed horis certis & diebus quibuſdam ebulliens. Hunc quidam, teſte *Boccatio*, ex piſcina probatica fluere voluerunt, ſed malè, quia Sion à porta pecuaria diſtat, de quo ſitu videndus *Adrichomius*. Extra Palæſtinam inſolentes non ſunt hujus notæ fontes. In monte Siciliæ tribus milliaribus ferè à mari diſtantè, fons eſt *temporum*, qui fluit temporibus orationi aſſignatis, aliis temporibus areſcit, ex *Geographia Nubienſi*, p. 173. Fons Ungariæ in Comitatu Zaros creſcente Luna augeri fertur, & deficiente minui, & interlunio prorſus deficere. Imitatur & Lunam fons Connachiæ in Hibernia, bisque die naturali deficit, bisque exundat, narrante *Ortelio*. Citius naſcitur deficitque Lertius Galliæ apud *Pap. Maſſonum* in deſcr. Franc. per flum. p. 572. qui ſeptem annos aquis ſtagnat, ſeptem alios ſiccus eſt, referente *Sincero* Itin. Gall. Ordinarias verò creſcendi horas in Thermis anni tempora diſtinguunt. Utplurimum calidioribus æſtatis menſibus creſcunt & efficacius operantur, hyeme areſcunt

areſcunt & auxilia morborum ſegnius conferunt. In urbe Hieroſolymitana fontem fuiſſe *Philo* aſſerit maximum, qui tempore hyemis deficiebat, æſtate verò copioſiſſimè defluebat. Quod ex Philone refert *Euſebius* l. 9. Præp. Evang. c. 4. Aliis id vulgatum. *Plinius* l. 31. cap. 4. In Sicilia circa Meſſanum & Mylas hyeme in totum inareſcunt fontes: æſtate exundant, amnemque faciunt. Vidit ibidem quoque *Fazellus* Dec. 1. l. 8. c. 8. in puteo ædi D. Mariæ propinquo. *Leander* de fonte Sardiniæ, ſcaturigine ingenti fluente, narrat, cum dies longiores ſunt, largius fluere, exſiccari brevioribus. In Alpeſtri Rhetia fontem eſſe calidarum, qui deficit menſe Octobri, redit menſe Majo, *Georg. Wernherus* autor eſt, de Adm. Hung. aquis. Nolo plura teſtimonia congerere in re confeſſa, quamquam enim hybernis menſibus aquarum in thermis copia redundet, inutiles tamen eſſe, nec valetudini ſalutares conſtans probat experientia. Hinc ſi Κατὰ καιρὸν de commodo feſtorum tempore in æſtate celebratorum Paſchatos, & Pentecoſtes, interpretemur, ſive de quavis opportunitate collectivè; res pro naturali piſcinæ virtute erit confecta, calidioribus menſibus, neutiquam frigidioribus commendata. Miraculi ſi fidem mereretur, quovis tempore, ſine cœli varietate, mortalibus ægris profuiſſet.

II. Piſcina Probatica, ut uſui apta redderetur, movenda prius erat & turbanda. Quid hic ταράσσειν ſignet, in Hiſtoria dictum. Turbabatur verò ſive ſtatis vicibus increſcens, ſive ſubter

ſubterraneo calore vel concluſo aëre vi erumpente commota ebulliensque, & luti virtutes per omnem aquæ ſuperficiem diſtribuens. Moventur enim thermales lymphæ aliæque, vel ex ſe, vel à cauſa externa. Ex ſe vi à naturâ indita, ſeu calore & ſulphure nitroque vel ſubterraneo igne effervescentes, quod in pleriſque medicatis aquis cernimus. Ab externis quoque cientur fluctus, ſive aëre calido æſtatis menſibus, ſive à ventis aliiſque commoto, quibus interna aquarum vis ſuſcitatur. Aër ille per motum terræ ex profuddis ſæpè erumpit, quomodo motum hunc piſcinæ probaticæ explicat *Grotius*. De cæteris lector judicet eruditus, eligatque quod viſum fuerit. Enimverò ab aëre vario modo aquarum undæ paſſim turbantur. Apud *Solinum* c. 11. in Haleſina regione fons, ſi inſonent tibiæ, exſultabundus elevatur ad cantus. In Baſilica, Regni Neapolitani Provincia, fontem ſalſum deſcribit *Fulgoſus* l. 1. c. 6. ad quem ſi accedas aliquid locutus, turbatur alioquin clarus. De Lacu Pilati haud procul Lucerna ferunt quæ in eum injiciuntur maximas ciere tempeſtates, quod de Scuphagiolo lacu Apennini refert quoque *Bocaccius*, ſimilia de Canati montis Hiſpaniæ lacu, lacu Averniæ, Leviniæ aliiſque fama autorum ſparſit. De ventorum flatibus tam eſt nota cunctis res, quam olim Martis lucus. Unde *Maldonatus* audiendus non eſt, ut ante monuimus, qui ex motu turbido piſcinæ noſtræ miraculoſam curationem finxit. Jordanis aquas turbidas narrat *Radzivilius* in Itin. Hieroſ. ſed valdè tamen ſalubres.

Fons

Fons propè Conimbricam Hiſpaniæ, arenoſus eſt & turbidus, nec ideò tamen noxius. Incolæ vocant *Ferveneas*, quod ferveat perenni aquarum & arenarum ebullitione, teſte *Vaſconcellio* Deſcr. Luſit. pag. 403. Fieri nunquam poteſt, quin perpetuo lavantium haurientiumque concurſu thermales aquæ turbentur. Imò, quod ille ad portentoſam curationem requirit, nos ad naturalem neceſſarium judicamus. Nihil quiete proficiunt, niſi ut vis aquarum in fundo reſidens torpeſcat. Moveri debuere, ut fundi odore, ſapore, craſſitie, ſuperiora quoque imbuerentur. Hinc *Fallopius* c. 2. inter aquarum thermalium notas conſiſtentiam numerat craſſam & ponderoſam. Ex Antyllo tamen nobis objerteres, in balneis agitatam aquam magis mordicare, majoremque fieri ingredientis horrorem, imò ex commota aqua elevari vapores violentos, capiti inimicos: ſed de ſulphureis autor vera dixit, quas per canales inductas parum refrigerari & nonnihil ſubſidere ſinunt Balneatores Aponenſes, ob metum aduſtionis, caput autem infirmi muniunt, quod in quovis balneo expedit, niſi commoda vaporum calidorum evaporatione capitis nervorumque affectus emendandi, inprimis frigidi, Paralyſeos ut plurimum autores. Alias acriores exhalationes in piſcina probatica, cœli ſolique benignitate, non admittimus. *Savanarola* balneum in agro Piſano, *bagno Alacquo*, graves ait inferre potoribus noxas, huncque effectum incolas prævidere; nam cum aquam menſe Martio, Aprili, aut Majo, luteo tingi colore, turbidamque fieri cernunt,

per-

perniciosſam fore præſagiunt. Cæterùm alia aquarum ratio quæ in potum veniunt, alia balneorum. Piſcinam Probaticam Paralyticus χαλεπῶς ingreſſus dicitur, ut reſoluta membra mergeret, grataque ſalubritate ablueret. Ad hæc balnea Piſana noxiam contraxerunt, non quia turbata, ſed quia admixta fuerit venenata qualitas, ſeu ab aſtris ſeu vaporibus ſubterraneis, vel quia in illa valle amœna ſatis maxima pluvialium aquarum copia colligitur, præcipuè quando Aprilis Majusque menſis eſt pluvioſus, & pluvia eſt Auſtrina, non Borealis, quæ *Fallopii* cap. 11. eſt conjectura, inde enim aqua copiosè in valle collecta, intercluſo exitu agitata à Sole, putreſcit. Ergò propter admixtionem alienæ ſubſtantiæ turbata aqua balnei Piſani, nocumentum attulit, ſecus ſi turbetur cum luto proprio vel agitetur, ex quo tantum abeſt pernicies inducatur, ut planè evadat medicata.

Si verò naturali internoque ſeu externo principio piſcina Probatica mota & turbata fuit, cur Angelus dicitur deſcendiſſe *Johan.* 5, 4. Princeps hoc ferè eſt argumentum, quo miraculum piſcinæ adſtruunt Theologi, in vero Angelo, incorporea illa ſubſtantia, uno ferè ore conſentientes. Unde tot quæſtiones ſpinoſæ ortæ, an Raphael, vel alius hujus notæ, an aſſumpto corpore deſcenderit ab adſtantibus videndus, an inviſibilis; quod *Maldonato* placuit, quum Evangeliſta non dicat, ægrotos exſpectaſſe Angelum, ſed motum aquæ. Quod ſi quærat quiſpiam, quomodo ſciri potuerit Angelum eſſe, qui movebat aquam, reſpondent, ex communi tra-

ditione id conjectura aſſequutos, quia quicquid præter naturam fiebat, per Angelum fieri credebatur. Non tantis opus eſt ambagibus. Sine difficultate magna rem expediemus. Ἄγγελος cauſam moventem aquarum notat, ſive vim à Deo naturæ inſitam, ſive externam internamve ventorum commotionem. Καταβαίνειν exponit *Suidas* pro venire. Καταβαίνειν, τὸ εἰς ἀγῶνα χωρεῖν: in certamen deſcendere, reciprocoque uſu apud eundem ἐμβαίνειν & καταβαίνειν ambulant, ſic ירד deſcendere non ſemper de loco, ſed dignitate, manſione, &c. cepere Ebræi teſte *Maimonide*. Angeli nullam in Paraphraſi ſua mentionem facit *Nonnius*, nec optimi Codices apud Joannem vocem Κυρίου addunt, quam nullo jure omiſiſſent, ſi de incorporeis Dei miniſtris accepiſſent. Virtus ipſa Dei, teſte R. *Moſe*, ipſeque Deus nomine τοῦ Ἀγγέλου venit, ut ex *Eccleſiaſte* c. 5. 5. liquet, probatque *Heinſius* Ariſt. ſacr. Quo modo in Paralytico noſtro verſatur *Bardus* in Med. Cath. qui credit aquam piſcinæ thermalem divinitus motam fuiſſe, ſicut ſilex percuſſus ſcintillas emittit, atque ita auctam piſcinæ facultatem. Ipſe autem Deus ejusque divina virtus immediatè ſæpè dicitur effectus produxiſſe, quos per cauſas naturales mediata virtute credimus emerſiſſe. Hinc rectè *Pererius*: *In generali Dei actione, etiam effectiones, operationesque cauſarum ſecundarum Deo autori tribuuntur in. S. S. ut oſtendatur principaliter à Deo proficiſci.* Ita generatio hominis in Scriptura Deo tribuitur, quanquam

ſubordinatis

ſubordinatis cauſis ille utatur. Et *Rom.* 1, 20. Res naturales ex quibus Deus innoteſcit, appellantur ποιήματα θεῦ. Apud *Eſajam* quod dicitur: *Ego faciens bonum & creans malum*, exponit *Baſilius*, quod Deus ordinet per cauſas ſecundas. 2. *Reg.* 12, 15. Dominus percuſſit parvulum quem pepererat uxor Uriæ, dubio procul per cauſas morborum mediatas, ſpiritibus ſanguineque accenſis, unde febris acuta, quæ per criſin ſeptima die ad mortem terminabatur v. 18. In univerſum autem de quovis miniſtro & naturali medio vox τῦ Ἀγγέλυ uſurpatur, quo Deus voluntatem exſequitur. Miniſter verbi Domini *Apocal.* 2, 1. ἄγγελος ἐφεσίνης ἐκκλησίης. Sicut ἄγγελοι Joannis nuntii vocantur *Luc.* 7, 24. & ſenſu מלאך vel לאך quod Angelum conſtanter tranſtulit *Vulgatus*, paſſim in uſu *Geneſ.* 32, 3. 1. *Sam.* 11, 4. 9. 23, 27. 2. *Sam.* 11, 25. 1. *Reg.* 20, 9. 22. 3. 2. *Paral.* 36, 15. *Jud.* 6, 35. *Job.* 1, 14. *Nahum.* 2, 3. Ne de aliis rebus creatis inanimis dubites, produco textum *Pſalm.* 104. v. 4: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*, huic loco & inſtituto commodum. De vento intelligendus, neutiquam ſubſtantia incorporea, quod ex tota orationis ſerie conficiemus. Id enim in hymno agit David, ut ex rebus naturalibus Deo miniſtrantibus, nos ad Dei cultum excitemur, orditurque ordine à cœlo, ab aquis ſuprà cœleſtibus, tum ventis in aëre, quibus ut alis ambulat Deus, quos ventos ſtatim v. ſeq. 4. per Angelos explicat. Hæc *Calvini* in Commento,

mento quoque eſt ſententia. Ita de igne habendum, qui ſequitur. Nec video quomodo Angelis veris locus aſſignari poſſit inter aërem & terram. De malis *Paulus*, verſari in aëre, nuſquam de bonis. Unde laborant interpretes, ut nodum ſolvant, quo Angeli ventis nectuntur. *Auguſtinus* h. l. & *Gregorius* hom. 34. ſuper Evang. Angelos fieri nuncios commentatur, ad homines inſtruendos, eosque celerrimos. *Theodoretus* verò h. l. *Hieronymus*, *Thomas* in C. 1. Hebr. Angelos miniſtros Dei habere velocitatem Spirituum, hoc eſt, ventorum, & efficaciam ignis. Sed ſanus non ſim, ſi ex toto contextu veri Angeli mentionem exſculpſerint. *Bellarminus* quidem ad h. l. in utroque textu & Hebræo & Græco articulum ad nomina Angelos, & miniſtros addi monet, non autem ad nomina ſpiritus & ignem, ut inferat τὸ Angelum de perſona explicandum, eſſeque ſubjectum ob articulum, ventum verò prædicatum, quia articulo caret, adeoque Angelo uti Deum pro vento, non vento pro Angelo. Cæterùm non ſemper præcedit ſubjectum. Subjungitur *Joh.* 1. Θεὸς ἦν ὁ λόγος, & *Joh.* 4. 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς Poteſt igitur & hic ventus ſubjecti vicem gerere, quanquam poſteriori locatus loco. Scio addi articulum, ſi poſtponatur, ſed & prædicato præpoſito affigitur, ut 2. *Cor.* 3. v. 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν, & 1. *Corinth.* 10. 4. ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός. Hic ante πνεύματα nullus. Adhæc ſit Angelus ſubjectum, non in propria ſumendus notione, ſed generali, pro

quo-

quocunque nuncio Dei & miniſtro, inter quos ventus numeratur. Id patet quia contextus Davidicus de corporalibus mundanis loquitur miniſtris, elementorum regioni immixtis. Præterea articulus Hebræus ſemper additur in מלאך quanquam nuntii ſint communes; ut ſuprà citata loca docent. Nec ab uſu profano abhorret vox Ἄγγελος in communi ſignificatione. Vocatur enim Mercurius Ἄγγελος Θεῶν, ob ſubtilitatem & celeritatem. Imò, quod ſcopum propius ferit, Iris, rorida nubes, aërisque ſoboles *Nonnio* ἄγγελος eſt οὐρανιώνων, & *Homero*. Ab εἴρω nuncio ex Chaldæorum עיר, unde *Helleniſtis* apud *Danielem* Ir Angelus, quod *Heſychio* eſt λαῖλαψ, quia Iridem plerumque turbo ſequitur, judice *Heinſio*. c. 1. Ariſtarch. Sacr. Quid igitur periculi, ſi turbines, ſi ventos apud Pſaltem pro Angelis interpretemur? Dubium reſtat ex *Ebr.* 1. 7. ubi eadem Pſalmi verba repetuntur, ſed ad veros Angelos applicata, quemadmodum ex commate ultimo elicitur. Verùm enimverò Apoſtoli conſilium non fuit, exponere quid eo loco Pſaltes voluerit, quum apertè naturalium claſſem ſeriemque pertexat, ſed facili licentia ad analogiam tranſtulit inter obſequium, quod palàm & ſenſibili modo venti Deo præſtant, & quòd ipſe ab Angelis recipit. Summa eſt, inquit *Calvinus* in h. l. ſicut Deus ventis utitur tanquam nuntiis, huc illuc convertit, ſedat & excitat quoties viſum eſt, ut eorum miniſterio declaret ſuam potentiam, ſic Angelos eſſe creatos ut Dei juſſa ex-

 ſequantur.

quis intrarit, aquarum ſalutarium vim expertum eſſe. Ita Græci Medici τὴν πρωτην urgent in elleboro exhibendo & vomitibus, in morbis, h. e. ſubitò faciendis non exſpectata concoctione, ſed primo morbi tempore. *Hipp.* 4. *Aph.* 10. Medicari in valde acutis, ſi materia turgeat, eodem die. *Galenus* ſimili conſilio eodem die dat veratrum in calcis fractura. Quod in hydrope aliisque idem *Cous*, *Oribaſius* &c. perſuadent. Huic contrarium, τὸ δεύτερον, de tempore poſteriore adhibet *Jud.* v. 5. Apud profanos πρῶτος de tempore, inprimis *Homerum* Odyſſ. ult. de Achille, cui primum contigit Trojæ ſub mænibus altis occumbere, ubi *Euſtathius*: πρῶτα ἦγεν περὶ καιρῷ. Adverbia hæc urgentibus, nomina pro Adverbiis in Scriptura uſitata ex *Pſalm.* 75, 3. *Eſa.* 41, 1. *Thren.* 1, 9. *Marc.* 8, 32. reponam. Quod ſi πρῶτος nativa nominis ſignificatione ſervandus in ordine, collectivum crederem ſingularis pro plurali per Enallagen, ſimilium locorum autoritate fretus, *Jeſ.* 33 7. 2. *Sam.* 19, 41. *Iohan.* 8. *Epheſ.* 6. *Apocal.* 21, 21. Ratio ſuadet, quia. 1. plures ad piſcinam confluxerunt. 2. Miraculi major eſſet fides, ſi ad plures commodum ſpectaret, & ſanè miracula numerum amant. 3. Impotentiam portentoſæ aquæ proderet, uni profuiſſe. 4. Si myſticum ſenſum cum Patribus hinc eruamus, *Auguſtino*, *Ruperto*, *Beda*, aquæ perturbatio Domini paſſionem notàvit, quam ad omnes fluxiſſe indubiè credimus. 5. Si plures portæ ad piſcinam patulæ fuere, ut ſuſpicatur *Adrichomius*,

 omninò

omninò eodem tempore plures eſſe potuerunt primi. Si unam portam concedas, eamque anguſtam, jam ſecundum naturæ captum niſi unus intrare poterat nemo, unde ſubſidebat aqua, antequam ſequuturis porta pateret. Quidquid ſit, preſſis ſacri hiſtorici veſtigiis inſiſtentes, τὸν πρῶτον accipimus & de ordine & tempore, idque in ſingulo numero, unumque primum concedimus. Vel enim primus ingrediens, aquam turbatam ita contaminavit ægro corpore, ut ſequentibus ex uſu eſſe nequiverit, quemadmodum apud nos fama ſparſit, fontem medicatum S. Helenæ tertium ideò exaruiſſe, quod quidam Venerea lue infectus illi ſe immerſerit. Non Aponi, aliisque thermarum locis frequentatis, aquas lautior quis intrat, niſi poſt alterius egresſum recens ex canalibus derivetur aqua. Quod inprimis cavendum monet *Jaſolinus* Reg. 15. Sunt fontes nonnulli ſordibus minus amici. Teſte *Seneca* lib. 3. Quæſt. Nat. cap. 26. *Boccacio*, in Cherſoneſo Rhodiorum fons poſt certa intervalla ex imo fundo concitatur & perturbatur, ſordidaque quævis injecta rejicit, nec quieſcit quam puritati ſuæ reſtituatur. *Georg. Wernherus* de Adm. Hung. aq. fontem deſcribit in Helvetia mirabilem in monte Engſtle in regione Argaw, de quo experimento cognitum aſſerit, quod ſit impatiens ſordium, ut ſi quid impuri in eum miſſum merſumve fuerit, per aliquot dies deinde non compareat, nec quicquam aquæ reddat. Similia de fonte juxta Rhenum, non procul ab Andernaco memoriæ conſignavit *Wendelinus* in Præfat. Nili. Aliter quoque ὁ πρῶτος

explicari

explicari poteſt, quod anguſtus fuerit ingreſſus, ut antequam egrederetur primus, conſideret lotum ad ſumma per turbatorem concitatum, indeque inutilis; niſi novo accedente per Angelum quendam motu & agitatione. Quanquam enim *Adrichomius* in Jeruſal. deſcript. n. 62. dicat amplam fuiſſe piſcinam, & *Antonius Medina*, longitudinem ad 200. paſſus, latitudinem 60. profunditatem ad 30. pedes extendat; certis tamen cancellis incluſa per anguſtam portam ingreſſuros admiſit, niſi per plures portas plures primos ſimul immerſos dicas. Hinc perſpicuum, quid ſibi velit Paralyticus: ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει. Deum enim vel hominem quærit, vel de ingreſſu litigat, ſubſidet aquæ immerſa virtus, & à prædeceſſore inquinatur.

IV. Piſcinæ Probaticæ effectus naturalibus ſunt ſimilimi, & aliis aquis medicatis communes. Jacebant in porticibus πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, nempe cœci, claudi, aridi, exſpectantes ſalutarem aquæ motum. Nervoſi generis ſunt morbi omnes, & aquis medicatis ſolent expugnari. Credunt quidem ſatis ad miraculi veritatem confirmandam cœcos, hoc fonte curandos, conferre. Sed nihil minus. Figamus pedem, ut conſpectior ſit impugnata fides. Miraculo non careret, ſi confirmata & à primis incunabulis producta cœcitas eo fonte illuminaretur. Non de his, ſed levioribus oculorum viſusque defectibus & vitiis ſermo eſt, medicata unda abſtergendis. *Plinius* autor eſt l. 31. c. 2. in parte prima villæ Ciceronianæ Pu-

teolis erupiſſe fontes calidos perquam ſalubres oculis, celebratos hoc Laureæ Tullii carmine:

Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore levant,
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hoc fontes cum patefecit ope.
Ut, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

In agro Hungtingdonenſi ad Hailveſton in Anglia fonticuli ſunt, alter dulcis, alter ſalſior: hunc contra ſcabiem & lepram, illum contra oculorum hebetudinem valere perhibet *Cambdenus*. Oculorum doloribus balneum *Hippocrates* noſter commendat 6. Aph. 31. Suffuſioni prodeſt aqua S. Helenæ, ut experimento Nic. Petræi firmat *Ericus Johannes* in Fontin. ſacr. p. 12. Ne aliunde plures advocem, ſufficit Chriſti exemplum *Johan.* 9. v. 7. qui cœcum ad Κολυμβήθραν Siloe amandat, ut ablueretur oculorum vitium quantum curabile, incurabile enim & nativam cœcitatem ipſe per lutum & divinam poteſtatem abolevit. Apud piſcinam hujuſmodi cæcos, non à nativitate lumine privatos, curatos credere cogimur, ne Chriſti potentiæ injurii, cœcos curandi rationem, illi propriam, aliis communicemus. Ideò non cœcum, ſed Paralyticum ex porticibus ſumpſit ſibi curandum Chriſtus, quia illi per piſcinam curabiles. Difficilius quippe & miraculo vicinius fuiſſet cœcitatem innatam exterſiſſe, quam Paralyſin acquiſitam. Hæc autem ex antiqua luxatione, ſcirrho, in ætate ſenili, atrophia, aliiſque ſymptomatis Paralyticum noſtrum ſenem aridumque

infeſtantibus prorſus, niſi Chriſti ope, inſanabilis. Nec opus ad Tropum concurrere cum *Beda*, ut cœci ſint ſcientiæ lumine carentes, claudi, quia ad ea quæ vident implenda vires non habent, aridi, qui dilectionis ſupernæ pinguedine carent: hi enim porticibus piſcinæ nec affixi fuere, nec à piſcina ulla emendari potuerunt, quanquam centies turbata.

Claudis vel nervorum reſolutione & contractione, vel oſſium vitio, vel tumoribus obortis, balnea percommoda. De fontibus Bajanis *Plinius* l. 31. c. 2. *generatim nervis proſunt pedibusve, aut coxendicibus, aliæ luxatis fractisque.* Medicati noſtri S. Helenæ fontes fluxiones tumoresque pedum non ſemel diſſiparunt. Sulphurearum aquarum, lutique eadem facultas. Multiplex ea. Lutum enim emollit partes induratas, hinc balneum D. Bartholomæi in agro Patavino toto orbe celebratur, plenoque uſu ad tumores, contractiones, &c. acclamatur: Confert deinde ad reſolutionem & diſcuſſionem eorum, quæ jam emollita ſunt. Tum ſiccat roboratque nervoſas partes in fracturis, & luxationibus, denique refrigeratas partes calefacit, de quibus operosè & eruditè *Fallopius* de Therm. Utriusque elementi aquas junxi calidas frigidasque, ut in piſcina probatica eligat lector, quod verò propius viſum fuerit. Incertum enim, calida fuerit, an frigida. Nec magnoperè refert, quum & nitroſæ frigidæ ſint, ut acidulæ Spadenſes; Pugeanæ, Egerenſes, &c. in quibus quoque ebullitio obſervatur, viſque eadem, & calidæ frigidis ſubſtituantur apud *Aetium* l. 11. c. 30.

c. 30 quanquam thermæ placuerunt in Hiſtoria, at eligendi arbitrium cuivis relinquo. Par ſit de aridis judicium, ſive maraſmo, ſive contractione, ſive Paralyſi comprehenſis, proficuum balneorum uſum ſæpius expertis. Verè de aquis *Plinius* l. d. *Quod ſi quis fide carere ex his aliqua arbitratur, diſcat in nulla parte naturæ majora eſſe miracula.*

Opponitur nobis *Comm.* 4. ſanatum poſt aquæ turbationem, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι, quocunque morbo detineretur, quod planè portento ſimile, neutiquam naturali fontium virtuti conveniens. Cæterum *Comm.* 3. nominantur tantum τυφλοὶ, χωλοὶ, ξηροὶ. ut ſpecies nervoſorum affectuum, ſub genere τῶν ἀσθενούντων. De omnium generum morbis Scriptura haud repugnante exponimus. Ita enim univerſalis affirmativa non raro per Synecdochen generis ad ſpecies reſtringitur *Exod.* 9, 6. 32, 3. Ita *Matth.* 4. 23. Sanans πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, de omnis generis morbis, neutiquam de ſingulis generum accipiendum, ut rectè *Glaſſius*. Nam cum multi in Palæſtina eſſent morbi, ſoli cœci, claudi, muti, ſurdi, paralytici, hydropici, febricitantes, leproſi, hæmorrhoides, ſanati dicuntur, nec hi omnes, ſed ex quibusdam aliqui. Eo ſenſu & Petrus *Act.* 10, 12. πάντα τὰ τετράποδα vidit demiſſa ſeu omnis generis animantia. Certè niſi valdè fallor & hæc quoque D. Joannis erit ſententia, vel nullus in Palæſtina morbus fuit, ᾧ δήποτε igitur de illis interpretamur, qui curari potuerunt,

runt, alioquin tantum Chriſto incurabilium medico decederet, quantum piſcinæ accederet. *Patres* & *Interpretes* piſcinam noſtram aquæ Baptiſmi aſſimilant, cujus uſum fideles tantum, & ſanabiles, non omnes, quod dolendum, experiuntur. Nihil in Italia frequentius, univerſalia morborum remedia ex fontibus D. Virginis ſacris depromendi. Fama Helenæ noſtræ æquè fuit liberalis, & quod mirandum, Hornhuſanas aquas, non ita pridem nimio concurſu notas, contrarios etiam morbos tollere, cœcitatemque ferè, à nativitate, ſcriptorum quorundam licentia prodidit. Nos debita Chriſti miraculis religione, aſſerimus per piſcinam morbos expiatos humana arte curabiles, at Chriſtum, deſperatum annis, viribus & magnitudine mali Paralyticum, ſuæ curæ ſubjeciſſe, ut ſe Deo parem oſtenderet. Nam.

V. Meſſiæ in carnem manifeſtato ingens majeſtatis divinæ detrimentum accederet, ſi alii, ſi piſcina portentosè curaſſent. Ipſe loquatur Jeſus *Joh.* 15, 4: Si opera non feciſſem in eis ἀὐδεὶς ἄλλ@ πεποίηκεν, peccatum non haberent. Unde miracula per Chriſtum, non piſcinam, edita vocantur ἔργα πατρὸς *Johan.* 8. v. 41. τȣ̃ Θεȣ̃ *Iohan.* 9, v. 3. Ad quam gloriæ prærogativam aut ſocietatem qua pietate piſcinam adſcribemus? Mihi certè nec libet nec licet eſſe tam impio. Per filium omnia miracula curationis edi voluit Deus in N. Teſt. vel Apoſtolos ejus vi communicata, qui ſolus is infirmitates noſtras portavit. Unde hoc capite Joannis ex miraculis Meſſiam ſe rectè probavit,

quæ

quæ per annorum 400. ſilentium poſt Malachiam deſierant, ut eo ſigno, tanquam certiſſimo, tempus adventus mortalibus innoteſceret. Legiſſe me memini, qui ſub adventum Chriſti miraculum piſcinæ incepiſſe ſcripſerint, ut venientem Meſſiam prædiceret. Sed fingunt, ut ficta excuſent. Tacent ſacri Hiſtorici, in deſcribendis hujus notæ portentis; alioquin diligentes, nec præter Joannem, præſentiæ ſuæ inſtantis ullum voluit Meſſias pronuncium. De tempore quo fluxus virtuſque piſcinæ cepit, nihil apud autores invenias, ut verò ſit ſimile pro naturali fonte habitam ab omnibus. Quando deſierit, indicat *Tertullianus* l. adv. Jud. c. 13. Et piſcina Bethſaida uſque ad adventum Chriſti curando invaletudines Iſrael, deſiit à beneficiis deinde, cum perſeverantia furoris ſui nomen Domini per ipſos blaſphemaretur. Scilicet naturalium rerum ubertas Deo amico & faventi adſcribenda, quam nobis ad devia vitiorum deflectentibus juſto judicio ſubtrahit. Fontium autem ſiccitatem, quam ſæpè experimur, Dei vindictæ debemus *Pſal.* 104, 10. *Ioel.* 1, 20.

Viſuntur adhuc hujus piſcinæ veſtigia. Ita enim *Nic. Chriſt. Radzivilius* Epiſt. ſecunda de Peregrinat. Hieroſol. p. in. 84. Porta eadem ſeu Ephraim, civitatem ingreſſi ad lævam vidimus Probaticam piſcinam, quæ propè aream templi Salomonis fuit, & erat ſatis ampla & profunda. Porticus habet etiam nunc quaſdam integras. In fundo ipſius eſt quoddam arundinetum: unde apparet, nunc quoque eſſe locum humidum.

VI.

§VI. Miraculum piſcinæ nullus Scriptorum veterum vel minimo apice agnovit. *D. Ioannes* inter mirabilia, à naturæ lege conſueta abhorrentia, non recenſet, ſed ideò videtur adduxiſſe, ut præmiſſis curabilibus per naturam ad incurabilia deſcenderet, ſoli Chriſto relicta. *Joſephus* lib. 6. bel. Jud. cap. 6. ſtagnum, à piſcina probatica parum differens, deſcribit, ſed ſine miraculi ullius mentione. Si Judæum averſeris, ſcito, res Chriſtianas candida ſatis fide pertexuiſſe, & ſi famam miraculorum Chriſti denigrare propoſitum fuiſſet, felicius odium exſeruiſſet aucta in immenſum piſcinæ virtute, inprimis ſi anteceſſiſſet. *Benjamin* In Itin: *Ibi conſpicitur in hunc uſque diem piſcina, in qua mactabant victimas ſuas: ibi etiam Iudæi ſcribunt nomina ſua in pariete.* Planè ad morem noſtrum. Sed nihil de miraculo, nec ille, nec *Nonnus* Paraphraſtes Joannis, qui Angeli motionem ſicco pede tranſilivit, addiditque.

Ἅλμασιν αὐτοματοισιν ἰδὼν ὀρχούμενον ὕδωρ.

Saltibus ſpontaneis videns ſalientem aquam.

h. e. nulla cauſa inſolita naturæ, ſed à ſuo principio commotam. Præter æquum faſque commiſiſſent omnes ſilentio damnando, ſi divina reticuiſſent miracula. Enimverò *Sacramentum Principis abſcondere bonum, opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum eſt* Tob. 12, 7. Judæos veteres naturalem crediſſe teſtatur *Rudolph Gualterus* hom. 34. in Joh. atque ideò nullam hujus feciſſe in ſcriptis ſuis mentionem. Certè v. 16. Chriſto non ſuccenſent, quod vim divinam

vinam aquæ eluſerit, ſed quia ſabbathum violaverat. Nec ægrè tuliſſent, quod curaverit eum, quem ſciebant incurabilem, niſi inſitâ malitiâ de omnibus Chriſti actionibus judicandi licentiam ſibi ſumpſiſſent. Non uſquam malèferiati ipſi exprobarunt, quod paria cum illo piſcinæ fecerit. Vero ſimilius objeciſſent, quod per piſcinam miraculoſam admiranda opera ediderit, quam per Beelzebul *Matthæi* 12, niſi quotidianam & planè naturalem piſcinæ virtutem habuiſſent perſpectam. Vulgus ipſum nunquam tantoperè æſtimaſſet miracula Chriſti, ſi ſimilem curandi felicitatem in piſcina obſervaſſet. Viſo autem Chriſti opere, v. 23. *nonne*, inquiunt, *hic eſt filius David*? Omnes ægri hoc pacto in Judæa, ſine Chriſto, valetudinem amiſſam recuperaſſent, nec centurio de puero ſuo paralytico anxiè adeò laboraſſet, quum per milites facilè amoveri potuerint in piſcinam ingreſſuri. Non nos movet אשד *Eſched* effuſio, quodque per aquæ ductum ex ſuperiori templi loco in vallem deducta ſit aqua, ut exinde cum *Chemnitio* Magno naturalem cauſam excludamus: nam & Thermæ plerumque, ut & medicatæ aliæ aquæ, Aponi, & Bajis, Semniciæ, &c. per canales inducuntur. Fundi hic præcipua habenda ratio, quam defluentes aliunde aquæ augent. An ex victimis increverit efficacia, nec affirmarim, nec facilè negarim. At Ezechiæ eſſe piſcinam, de qua 4. *Reg*. 20. *Adrichomio* non probatur. Quicquid ſit, arbitris naturæ ſubinde iniquioribus tanto minus hic accedendum, quod cum *Lavatero* in Neh. thermas, omnes

mira-

miraculoſas credant, ex fluxu perpetuo & igne calente, qui deficiat in inferioribus.

ANNOTATIONES AD HISTORIAM PARALYTICI SECUNDI.

Παῖδα Centurionis de filio, non ſervo, variis argumentis inducti, ſumus interpretati. Sic enim paſſim ſacri profanique loqui amant. Notandum tamen in N. Teſt. quando παῖς Chriſto tribuitur, ubique de ejus in carne humilitate, adeoque ſervili habitu eſſe ſermonem. Quando verò de æterna ejus generatione & divinitate agitur, ὑὸς vocatur, non παῖς. Alia ratio de aliis. *Iohannes* enim 1. Epiſt. c. 2. v. 18. παιδία vocat auditores, filiolos, quos v. 1. 12. 28. τεκνία, v. 7. ἀδελφὲς appellat, & paſſim ἀγαπητὲς. Nominisque rationem reddidit v. 13. quia patrem cognoverunt. Δȣλον quo ſenſu Lucas nuncupaverit, in Hiſtoria dictum. Δȣλεία ſervitus apud *Suidam* tribus modis dicitur. Primo, *ſecundum ipſam Dei creationem. Ut ille dicit: Omnia ſunt tua ſerva.* h. e. tibi ſerva, tibi ſerviunt, rerum omnium creatori. Secundo, *ſecundum fidem, ut quum dictum eſt: liberati à peccato, iuſtitiæ ſervi facti eſtis.* Tertio, *ſecundum civilem vitæ rationem, quemadmodum eſt illud, Moſes legis ſervus.* Si in tantas anguſtias compulſus fuero, forſan dicam δȣλον fuiſſe, ſed libertum jam & pileo donatum. Ita enim l. 37. ff. t. 15. §. 9. libertus & filius

filius conjunguntur ; & l. 3. ff. t. 5. §. 31. libertus & amicus. Aliud Lucæ commentum p. 24. adduximus ex l. 4. §. 5. lib. 40. ff. de ſtat. libert. tit. 7. ubi ſervire nobis illi intelliguntur, quos curamus ægros. Loquitur quidem rubrica de ſervis ægris, quod dies infirmæ valetudinis anno annumerandi ſint, quia *cupientes ſervire propter adverſam valetudinem impediuntur*: ſed pari ferè ratione, qua obſequium ægri præſtant Dominis, & ægri ſuis Medicis ſunt obedientes. In hoc igitur textu generaliter differit, in priori ſpecialiter. Non eſt quod obvertat ſcrupuloſus, Centurionem vel Judæum fuiſſe, vel Chriſto nomen dediſſe ; adeoque nullum inter ſervum liberumque valuiſſe diſcrimen : Nam ex Judæorum grege non fuiſſe probatum contra *Adamum à Contzen* in Hiſtoria, & apud hos quoque ſervorum miſerior conditio quam ingenuorum. Fateor *Exod.* 21. v. 20. Dominum mulctari, ſi ſervum percuſſerit ad mortem, ſecus quam in foro Romano, cæterum quæ v. 2. ſeq. de mancipiis Ebræis afferuntur, Romano juri non adverſantur. Certè in Republica Ebræa hodierna, ſiquidem Reſpublica vocanda, mancipia emuntur & venduntur aliarum gentium more, teſte *Leone Mutinenſe* c. 4. p. 5. de Rit. Hebr. Si Chriſti doctrinam profeſſus eſt, non ea fuit audacia, ut Romanas leges abrogaret, quamdiu ſub Romanis vexillis militavit, poſſet enim, Nicodemi prudente timiditate, clam pius eſſe & Chriſtianus. Imò ſalvo Chriſtiani jure, mancipia aluit, quod hodiernis Siculorum, Melitenſium, & Hiſpano-

rum

rum moribus receptum. In Concilio Toletano l. 1. *Decret. Greg.* c. 2. de ſervorum ordinatione ſtatutum eſt, *ut nullus Epiſcoporum deinceps ad ſacros ordines eos promovere præſumat, niſi prius à Dominis libertatem fuerint conſecuti. Et ſi quilibet ſervus fugiens Dominum ſuum, qualibet calliditate aut fraude ad gradus pervenerit eccleſiaſticos, decretum eſt, ut deponatur, & ejus Dominus eum recipiet.* Juris igitur Romani obſervantiſſimus Centurio ſub vexillis ſuis ſervos admiſit nullos, nulla urgente neceſſitate niſi manumiſſos, quod ex *Eutropio*, *Iſidoro*, *Pennâ* didicimus, ſique Domino ſciente militiæ ſervus, nomen dedit, hoc ipſo ingenuum fieri voluit *Juſtinianus*. Hic autem παῖς Centurionis poſtea Centurio quoque factus, ſi credimus *Dextero*, quia ab inferiori ordine ad ſupremum virtute emerſerunt.

Inſolitus & ætati & profeſſioni puero iſti Paralytico morbus, quia ad militiam juvenes eligebantur. *Horat.* l. 3. Od. 2.

Pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat.

Idem lib. 1. Epiſt. 18. de Lollio:

——— ——— *denique ſævam*
Militiam puer, *& Cantabrica bella tuliſti.*

Vegetius incipientem pubertatem elegiſſe Romanos autor eſt lib. 1. cap. 4. de quibus conſulendi *Stewechius* & *Naudæus* in Erudita de ſtudio Militari Diſſertatione. Vivendi genus immunitatem præſtaſſet, niſi à violentiori cauſa è temperata temperie deturbatus fuiſſet. De tempe-

ratioribus enim plagis miles legebatur, ex laudato *Vegetio* lib. 1. R. M. c. 2. ob mortis contemptum & prudentiam militari homini neceſſariam, non ex promiſcua plebe, quod moribus noſtris uſitatum. Negant ſummi quidam Viri utrumque, eo quod Aſtures & Cantabri in ſexto climate Romanos diu ancipiti victoria exercuerint, nec requiratur excellens adeò judicium mentisque ſolertia in milite, denique quia in aliis climatis quibuscunque fortes producantur. Cæterùm, ſive de Ducibus ſermo ſit, illi optimi in bello, qui nati militiæ, ad verborum & linguæ certamina rudes. & ingenio honeſta magnaque appetentes, *Liv.* lib 10. ſive de milite, qui ipſi ſua per ſe munia obeunt, ducisque partem implent. *Tacit.* l. 1. Hiſt. ſine prudentia tamen neuter timoris & audaciæ modum ſervabit, quod apud *Dionem* lib. 50. Antonius triumvir de ſe gloriatur, quæ apud quaſcunque nationes uſu & neceſſitate acquiritur.

ANNOTATIONES AD HISTORIAM PARALYTICI TERTII.

APud *Marcum* & *Lucam* hujus hiſtoriæ ſeries manifeſta. *Matthæus* nonnihil ſe involvit, in quo enodando poſt *Auguſtinum* feliciter deſudavit in Harmonia *Chemnitius*, Theologus quidem ſummus, ſed in Medicina non ita verſatus. Quemadmodum enim harmoniam hanc Hiſtoriæ Paralytici amplector ut vero affinem: ita in morbi genere à tanto Viro diſſentire cogor,

gor, credit enim Paralyticum noſtrum non in parte aliqua corporis, vel in uno latere tantum læſum fuiſſe, ut duci potuerit: ſed in toto corpore nervos intercepto motu ita reſolutos, ut non potuerit in ſella ſedere, verum ut lecto affixus portatus fuerit, unde *Celſum* explicat, utrumque, & ἡμιπληγίαν & ἀποπληξίαν paralyſeos nomine vocantem. Verum tamen Paralyticum textus ſacer perſuadet, cui deſcriptio favet. Addo, quod fidem & certam in Chriſtum fiduciam habuerit Paralyticus, alioquin patienter adeò non paſſus fuiſſet ſe per ædium contignationem ad pedes Chriſti demitti, judice *Chryſoſtomo.* Αὐτῶν & Paralyticum & bajulatores reſpicit, quia unusquiſque fide ſua vivit. In Apoplexiâ autem deletis ſenſibus omnibus externis interniſque, in Paralyſi ex parte remanentibus, quomodo fides ſupereſſe poſſit ſine ratione, non video. Præterea alloquutus hominem Chriſtus, bono animo eſſe jubet, *Θαρσεῖ τέκνον.* Apoplecticum ſine intellectu aut ſenſu, quis ita ſanus compellaret? & quid fiducia ſine ratione? In Paralyſi vel unius lateris, vel partium privatarum, ſalva ratio viget, quia illæſum cerebrum vel ex parte, vel totum. Nimis imbelle eſt argumentum Magni *Chemnitii* pro Apoplexia, quia lecto affixus debebat portari, quum in ſella non poſſet ſedere. Sanè ſi reſolutione teneatur truncus inferior, illæſo capite, ſuperniſque partibus, greſſus ſublatus erit, portandique orietur neceſſitas. *Aëtius* tetr. 1. ſerm. 3. c. 6. diſtinguit accuratè inter

geſtationem in lecto & lectica. *In lecto* geſtandos, *qui ſe erigere non poſſunt.* *In lectica vel decumbentes, ut hydropicos, reſolutos*; &c. *vel deſinentes.* Celſ. l. 2. c. 15. Nunquam geſtari corpus dolens debere ſuadet; ſive id in toto, ſive in parte ſit, *niſi tantum in ſolis nervis dolentibus.* Portantur igitur reſoluti, quanquam totum corpus Apoplecticum non ſit. Tantum Medicarum rerum exacta cognitio Divinis Interpretibus & ornamenti & utilitatis afferre poſſet, ſi tam illi nobis faverent, quam nos illis. Quicquid ſit, ut Chriſtiani mutuo amore invicem, dum in Eccleſia militante verſamur, ſine fuco, ſine alterius obtrectatione proſequamur, Deo vivamus ſanctè, & beatè moriamur.

Atque hæc de Paralyticis N. Teſt. in mentem calamumque venerunt. Quartus occurrit *Actor.* 9. v. 33. Æneas nomine, ſpacio annorum octo παραλελυμένος, quem Petrus, per quem tam contemptibilem Teſtem multo mirabilius divinitis ſe ipſa perſuaſit, ut loquitur *Auguſtinus* l. 22. Civ. Dei c. 5. in nomine JESU ſanum ſurgere juſſit. Quicquid autem de hoc argumento dici poſſet, quum per ſuſceptam materiam decurreremus, omne abſolvimus. Jam manum de Tabula.

THOMÆ

XXIII.

THOMÆ

BARTHOLINI

DE

MORBIS

BIBLICIS

MISCELLANEA MEDICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Viro

DN. PETRO GRIF-
FENFELD

DE

Griffenfeldgaard

Equiti Aurato,

SER. REG. MAJ. DAN. NOORW. &c.
A CONSILIIS INTIMIS

SUPREM. STATUS, ET CAMERÆ
SECRETARIO,

ASSESSORI IN COLLEGIO STATUS
ET JUSTITIÆ,

Muſarum Amori & Fautori,

Mæcenati ſuo

S. F. P.

TH. BARTHOLINUS.

Digitized by Google

MOrbis mortuiſque veteri Latinorum more hoc menſe parentamus. Initia quidem læta nobis effulſerunt cum Fortunæ Natali Primigeniæ litaremus, ſed elegantiſſima Tua conjuge flore ætatis & Fortunarum Tibi per fatorum invidiam erepta, jam tecum dolemus fortunæ blandienti credendum non eſſe, etiam cum ſerenitatem polliceri videtur. Diutius iſta optatiſſimi conjugii felicitate frui non licuit, ut expertus diſceres, in regnum Fortunæ & quidem dubium perveniſſe omnes qui mortalitatem induerunt, illius plerumque arbitrio digna atque indigna paſſuros. Tu verò qui ſupra Fortunam virtute Tua & conſtantia ſurrexiſti, invidiam fortunæ facies maximam, æquo animo. Non fas eſt accuſare iniquitatem fatorum, quæ ex mortali fecere immortalem. Vitam puerpera Tua proli dedit, quam ſibi negavit, ut æternam poſſideret. Felix hæc commutatio, qua in poſſeſſione æternæ felicitatis, quæ neſcit vices, eſt conſtituta. Intrepida vox fuit Vagelii: *Si cadendum eſt mihi, cœlo cecidiſſe velim.* Menſe Majo malas nubere vulgus ait; ſed & bonas parere, ſed puerperii, quod inter morbos referimus, criſin funeſtam experiri, exemplis inviti diſcimus. Solatium ingenti dolori afferre ſupra vires meas eſt, quod apud ipſum Te invenies, qui contra quoſcunque ſiniſtræ fortunæ ictus pectus armatum habes. Ratio luctum prudentibus excutit. Teſtari tamen contra votum morboſo hoc argumento volui, quantum me moveant Tua ſuſpiria & inſperata feliciſſimi

mi

mi alias conjugii detrimenta. Dolorem lenient exempla, mitigabit DEUS, & medicinam illi afferet. Plus gratiæ hac orbitate conferet, quam eripuit. Servet Te incolumem in publicum ſolatium Ille cujus crucis imaginem in pectore candidiſſimo ſed auro contra æſtimando geris, ut prudentia Tua crucem privatam conſiliis publicam avertas. Serva Te orbi, patriæ, nobis, ut inter tot virtutum honorumque trophæa quasvis minantis Fortunæ inſidias maſculè declines, nobiſque quæcunque aura ſpirat Tibi ex aſſe addictis, faveas. Demitto ne plura addam mœrentis animi indicia, ne beatæ Tuæ coſtæ invideas, in mentem revoca Græcorum illud;

Ὢν φιλεῖ Θεὸς, ἀποθνήσκει νέος.

Quem amat DEUS, is moritur juvenis.

Hafn. XVII. Maji cIↄIↄc LXXII.

Lecto-

Lectori S.

Aliud agentem ad has pagellas compulit Bibliopola *noſter* Daniel Pauli. *Opportunè tamen. Cum enim Opuſcula ſacra hactenus diſperſa, uno faſciculo juncta in lucem proferre animus eſſet, & de* Paralyticis Nov. Teſt, *olim me quædam eſſe commentatum haud ignoraret, rogavit, de cæteris quoque morbis in ſacro* Codice, *ſi quid haberem, bono publico ne inviderem, ut conſpectius & majori pompa prodiret Volumen, quod propediem eſt adornaturus. Arrepto calamo Miſcellanea hæc citius in chartam conjeci quam coquantur aſparagi, quæ additamenta eſſe poſſunt eorum quæ de Paralyticis repetito* Hafnienſium & Baſileenſium *prelo commiſſa benignè excepiſti. Feſtinationi noſtræ vel ignoſce vel applaude. Singula in majorem molem excreviſſent, niſi negotia alia interrupiſſent ſermonis ſuſcepti filum, graviora mihi quam publico. Vale.*

Regiæ

Regiæ Hafnienſis Academiæ

Magnifico Rectori & Profeſſori Honorario

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO

Commentarium ſuum de Morbis Biblicis edenti.

ANtè Soporiferæ ſi quem medicamine Virgæ
Perculit injectus ſomnus & Ala potens,
Adami hic altam ſcrutetur mente quietem,
Factaque miretur prodigioſa DEI.
Si veterum luctasque catenataſque Palæſtras,
Si ſtupet unctorum membra retorta Virum,
Angelico Jacobum proſtratum robore cernat
Herculea pluſquam diriguiſſe manu.
Miratur Daphnen Phaëtonteaſve ſorores
Aut properò Aglauron diriguiſſe gelu?
Uxorem Lothi potiùs miretur, &, illam
Quæ abſumſit, ſtatuam congeriemque Salis;
Inque ſinu Moſis cunctâ ſine labe repoſtas
Extractas ſubitâ tabe nitere manus;
Miretur radios diffuſaque lumina Vatis
Ut jubar his cedat vile, Latine, tuum.
Cætera quid memorem docto miracula libro
Paſſa meis longè nobiliora modis?

Terra vale nimis arcta petit BARTHLINUS Olympum,
Indigetem ut referat hac quoque parte Patrem
Ille ubi te vigili luſtrarat lumine totam
Quæque amplo ediderās pignora fœta ſinu;
Ut perpetuum prodeſſet, in Æthera ſcandit,
Geſta piè penetrans ſenſaque quæque Deum;
Quoſque olim acceptus, nec tunc novus, Incola haberet,
Maturè cœpit Sanctus adire locos.
Æmula non aliter ſummi Genitoris Imago,
A Patre tentatum Filius inſtar iter,
Poſtque exantlatos Puerili ætate labores,
Qui Juvenes poſſent quique tenere Viros,
Poſtque pari Deinceps ſuperata ſequentia niſu,
Luſtra, nec Annorum ſe revocante mora,
Pergit, &, æterna ut Patriæ ſua ſecula ducat,
Summa, ſenex nondum, præcipit orſa ſenum.
Jamque animo ſublimis humum relinquit, & inter
Sidera Divinis inſerit ora choris;
Quoque beet Mortale Genus Cœleſte refertus
Nectare dat noſtræ pocula plena ſiti;
Sic quoque præveniens ſanctè, quæ penſa ſorore
O utinam cano non niſi ſenta trahant!
Deſine jam Majâ Genitos jactare, Vetuſtas,
BARTHLINIS Pietas pandit ubique viam.

Joh. Hopnerus.

THOMÆ BARTHOLINI
De
MORBIS BIBLICIS.

I.
De ſomno Adami, an ecſtaſis vel lethargus?

Gen. II, 21. 22.

NOn ſomnus dicitur, ſed gravis ſomnus. Id notat textus. תרדמה Acerbiſſimus eſt *Conſtantino Manaſſi* in Annali. à Leunclavio Latinè factis: *Adamus ſomno acerbiſſimo ſopitus eſt: ſomno qui fuit initium everſionis, & omnia perdentis invidiæ.* Profundus autem ille ſomnus dolorem mitigavit, quem ablata coſta ſentire debebat. Alias rationes myſticas excutit *Aslacus* noſter in Phyſ. Chriſt. ſpec. quæ huc non ſpectant. Præeuntem ille habet *Tertullianum*, l. de Anim. *ſi Adam de Chriſto figurabat, ſomnus Adæ mors erat Chriſti dormituri in mortem, ut de injuria perinde lateris ejus vera mater viventium figuraretur Eccleſia.* Idem alio ſenſu ibidem eleganter ita loquitur: *Si apud Deum diſcas, ille*

fons

ſons generis Adam ante ebibit ſoporem, quam ſitiit quietem: Ante dormit quam laboravit, imò & quam edit, imò quam & profatus eſt. Symmachus vertit κάρον. Sed in ſano integritatis ſtatu adhuc Adam verſabatur. Eodem errore tenentur, qui Lethargum reddunt. Revixit ille & ſtatim convaluit, cum à lethargo difficilis ſit ad ſalutem priſtinam regreſſus: Unde non ſomnum, ſed oppreſſionem appellat *Cœlius Aurelianus* l. 2. Acut. c. 1. Quod ſi mentis tandem compotes fiant, de cervicis dolore conqueruntur apud *Hipp.* in Coacis, quod pondus capitis vocat *Aretæus* l. 1. Acut. c. 2. Quibus incommodis non laborans Adam, poſt ſomnum rectè ratione utebatur, & promptè munia exſequebatur. Vidi nuper duas lethargo oppreſſas fœminas primæ notæ, ſeptimo die defunctas, quarum una mentis compos marito illuſtri ante valedixit, quam exſpiraret, altera placidè ſine ullo rationis indicio, ſenſu tactus tamen nonnihil ſuperſtite ſenſim nobis erepta. Non malè meo judicio ἔκςασιν hic agnoſcas cum LXX. Interpretibus, ſed raptum divinum. Ita *Tertullianus* l. de anima cap. Unum eſſe animam & Spiritum: *Cecidit ecſtaſis ſuper illum ſancti ſpiritus vis operatrix prophetiæ.* Ecſtaſis tamen illa in ſomno erat à DEO immiſſio, ſicut rectè poſt *Epiphanium* & *Pererium* explicat *Schoochius* Polyhiſtor.

11.

I. I.

De Jacobo claudicante.

Geneſ. XXX, v. 22.

B. *Auguſtinus* l. 16. de Civ. Dei c. 39. myſticè explicat de paſſione Chriſti: *Tetigit porrò illi idem Angelus veluti prævalenti* latitudinem femoris, *eumque iſto modo claudum reddidit. Eratque unus atque idem Jacob & benedictus claudus: benedictus in eis qui in Chriſtum ex eodem populo condiderunt, atque in infidelibus claudus.* Revera tamen luxationem cruris paſſus claudicabat Jacob. *Sulpicius Severus* l. 1. Hiſt. ſacr. §. 15. *latitudo femoris* Jacob obtorpuit. Malè Joſephus l. 1. c. 19. τὸ νεῦρο τὸ πλατύ vocat, ſeu latum nervum. Nam nervus luxari non dicitur. Rectius latitudo femoris eſt caput oſſis femoris, quod ſuo ſinu ſeu vaſto coxendicis acetabulo excidit, quale exemplum in Cl. *Rhodio* noſtro Patavii habuimus, qui eapropter, quanquam non malè repoſitum fuerit os, toto vitæ curſu claudicabat, ut mirari ſubeat *Toſtatum* & *Junium*, qui Jacobum die ſequenti ſanatum fuiſſe affirmant, ut ſine claudicatione Eſavo obviam iret. Verius cum *Mercero Hornius* in Not. ad Sulpic. tota vita claudicaſſe, hincque morem illa parte abſtinendi invaluiſſe. Incurabilem luxationem coxendicum pronunciat *Galenus*, l. 18. de Uſ. Part. c. 2. fu-

turamque neceſſario cruris claudicationem. Difficilis eſt *Celſo* l. 8. c. 20. qvum ibi valentiſſimi nervi muſculique ſint, ſi ſuum robur habent, vix admittant repoſitionem femoris ſi non habent, poſtea non contineant. Ex colluctatione facilè excidunt articuli. Hinc in ludis Romanorum Medici conducti, ſive chirurgi, pro gladiatoribus læſis luxatisve ut recte *Lipſius* l. 1. Saturnal. c. 14. etiam ratione victus ſeu diætæ Interpretes cum latitudinem femoris Jacobi obtorpuiſſe dicunt, & emarcuiſſe, effectum luxationis aſſeqvuntur, quam plerumque marcor ſequitur.

III.

Uxor Lothi in ſalem converſa.

Geneſ. XIX, v. 26.

B. *Auguſtinus* l. 1. de mirab. ſacr. ſcript. ſalis tenuiſſimam partem, quæ corpori inerat, totum corpus infeciſſe ſcribit. Confirmat hoc *Mercurialis* l. 6. Var. Lect. c. 26. ex *Hippocrate* l. de Priſc. Med. ubi de amaro, ſalſo &c. quod homini ineſt, ait: ubi horum quidpiam ſecretum fuerit & per ſe exſtiterit, tunc & conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit. Quod ita ulterius explicat Mercurialis, contigiſſe, atque id, quod fieri quotidie ſpectamus in Ictericis, ſeu Arquaticis, quorum intima bilis pars in extimam corporis ſuperficiem reſtag-

reſtagnans id totum lucidum, amarum, atque aridum & deformatum reddit. Contulit huc operas ſuas fumus ſulfureus ex Sodoma ardente ore facieque ad urbem converſa exceptus, quemadmodum Puteolis vidimus in antro ſulphureo ex halitu forti enecatos canes. Quales forſan fuere venti illi qui in Hiſtoria Bavarica narrantur paſtorem cum grege in petram convertiſſe. Si traditioni credulæ fides adhibenda, prope prædium Sebyenſe in Selandia noſtra, quod poſſidet Affinis meus honorandus *Henricus Müllerus* Regius Quæſtor ſimile ſpectaculum offertur. Nam ibidem ad littus ſtagni Tie ſeries ſaxorum majorum conſpicitur, quam pompam eſſe credunt nuptialem divina vindicta in petram converſam. Sed revera eſt ſeries lapidum, qualis in monumentis veterum Danorum frequens eſt, vocaturque vulgo monumenta gigantum, cum ſepulturæ locum deſignent, pro familia aliqua illuſtri, quibus alibi pro aris Deorum prægrandia ſaxa adduntur. His verò loco cœmiterium fuiſſe paganorum vel inde confirmor, quod nuperrimè vicinum colliculum effodientes coloni ad argillam eruendam effoderint urnas aliquot mortuales cum cineribus & oſſibus humanis, quas in muſæo noſtro ſervamus, cum fibulis, graphiis, & aliis. Firmam ſalis compagem fuiſſe vel inde manifeſtum, quod ſtatua ea temporibus *Tertulliani* adhuc omnium oculis fuerit expoſita. Quanquam noſtra itineraria eam ignorent. Digni verſus ſunt qui exſcribantur; quia & miranda quædam ibi notantur de ſtatua ſalina. Carmine *de Sodoma.*

In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulcrum,
Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans.
Durat adhuc, etenim dura ſtatione ſub æthra.
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alia jam corpore, ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Majolus dieb. Canic. Colloq. 18. part. 1. ex *Cypriano* recitat hos verſus. Inter dubia Cypriani *Bellarminus* ponit l. de Script. Eccleſ. *Tertulliano* verò aſſerit *Sixtus Senenſis*, quem ſequitur *Pamelius*, quia ſtilus eſt *Tertulliani* nec uſpiam inter Poëtas *Cyprianus* numerantur. Cujuſcunque denique ſit, illud quidem in carmine aſſequor, vulnera illa ſtatuæ ſalinæ ſuppleri poſſe allabente aqua, quam in ſui ſtatim naturam convertit ſalina hæc minera, quò modo ſalinæ fodinæ creſcunt: Sed alterum de menſibus in ſtatua fluentibus more mulierum, non pio, niſi ſalis quædam ſit colliquatio ab externo aëre humido. Allegoricè *Philo Judæus* l. de ſomniis hanc metamorphoſin explicat, de iis qui anterioribus neglectis, h. e. virtutibus earum-

earumque operibus, à tergo relicta ſive vanam gloriam, cœcas divitias, pulchritudinem, & id genus alia reſpiciunt. *Salem enim eſſe rem parum ſolidam.* Aliud docet *Petrus Jo. Faber* Pallad. ſpagir. c. 11. Salem eſſe principium coagulationis in materia unctuoſa fixa. De ſale Africano prodidit *Plinius*. l. 31. c. 7. in acervos circa Uticam ad collium ſpeciem conſtrui, qui ubi Sole Lunaque induruere, nullo liquore liqueſcere, vixque etiam ferro cædi: De ſale duritiei lapideæ in Polonia minore videndus *Martinus Cromerus* l. 1. deſcript. Polon.

IV
Manus Moyſis arida.

Exod. IV, 6.

IN ſinum recondita leproſo candore extracta narratur manus ſingulari impetrantis Jehovæ miraculo, *Tertullianus* l. de Reſurr. Carnis §. 22. lepræ non meminit, ſed tabe confectam vel emortuam dicit, indeque reſurrectionis argumentum ita nectit: *Cum Moyſes manum in ſinu condit & emortuam profert, & rurſus inſinuat & vividam explicat, nonne hoc de toto homine portendit? ſiquidem trina virtus DEI per trina illa ſigna notabatur cum ſuo ordine* &c. Excuſari tamen meretur *Tertullianus*, cum lepræ effectus fuerit membrorum tabes.

Hæc Manus arida in memoriam revocat manus alterius, quæ miraculo quodam anno ſuperioris ſeculi 33. prope Roſtochium in ligno arido ſuper lapidem poſito excrevit digitis expanſis, quæ movebatur & à magno motu ſudavit, ſudore lapidem irrigante, in cujus adverſa parte figura erat Viri barbati. *Paulus Warnefridus* l. 1. Geſt. Longob. c. 4. de ſeptem Viris hiſtoriam inſerit, qui longo ſopore ſopiti erant, illæſis corporibus & veſtimentis: è quibusdam unius habitum quidam cupiditate ſtimulatus vellet exuere, mox ejus, ut dicit, brachia aruerunt, pœnaque ſua cæteros perterruit. Scilicet noxii ſunt membris viventium cadaveroſi halitus ex tumulis diu clauſis expirantes, ſicut variis exemplis alibi probavimus. Hiſtoriam recitat Clariſſimus Gallorum Medicus *Renatus Moræus*, amicus dum vixit noſter in Oratione Inaugurali ad Ludovicum XIII. habita 633.

V.

De Facie Moſis immutata.

Exod. XXXIV.

AD mutatum corporis habitum facies illa divino fulgore ſplendens ſpectat, de qua nos non pauca diximus lib. 1. *de Luce hominum* cap. 12. Ea verò quia ad hoc argumentum illuſtrandum pertinent, non gravabor hic repetere

petere in gratiam illorum qui operæ hujus compendium amant.

Nolim autem vulgatæ nimium fidas verſioni, quæ cornutam égredientis Moyſis faciem malè poſuit. Unde pictorum ortus error, qui Moſen ſuis delineaturi coloribus, binis cornibus exornare ſolent, ut nummus indicat antiqui Toreumatis Romæ à me inventus, & inflexo arietis in morem cornu cum decalogi præcepto de Idololatria vitanda ſignatus cujus iconem dedimus. *c.* 3. *de Unicornu.* Cui ſimilis eſt alter apud Cl. *Jo. Rhodium* noſtratem, niſi quod in rectum obtruſius protendantur cornua, quæ nulla apparent in concinnata Legislatoris effigie apud Cl. *Salmaſium* libr. de Coma Chriſtianorum quidem opus crediderim in opprobrium gentis Judææ factum; quæ omni ſeculo ſculpturas damnavit; idque eo magis ſuſpicor, quod malè Judæos habere *Steucbus* Rabbinus auctor eſt, quia Chriſtiani cum cornibus Moyſen depingunt. Revera enim cornua capiti ejus hæſiſſe, aliquibus firmiter perſuaſum, ut legi per eum latæ major accederet auctoritas, quod apud *Henricum Salmuth* Notis ad *Guidonis Pancirolli* deperdita reperias. Nam cornu auctoritatis & excellentiæ nota fertur, ut pro ipſo etiam Regno in divino codice 1. Sam. 2. 10. adhibeatur. Alii ſubtiliori genio cornutum Moſen Judæis apparuiſſe putarunt, quoniam Lyſimachi Regis more concinnos geſtavit capillos, quibus & olim uſi Armeniæ ſacerdotes. Diſſimiles in numo viſuntur, quem ex *Lanſio* exhibet *Schickardus.* In cornuum ſanè formam crines in

magnifico æreæ ſtatuæ opere Melitæ intorquentur, quod Moſis ſimulachrum templo S. Johannis Anno ſalutis 1550. Galli conſecrarunt. Et ne quis ſine ratione id interpretetur aliorſum, ignorare non debet, tale crinium artificium cornu appellaſſe *Juvenalem* Sat. XIII.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?

Quales novæ nuptæ nuptiarum celebritate Venetiis geſtant, & de omnibus felicis Arabiæ incolis in deſcriptione urbis Reane refert *Ludovicus Varthema*. Scribit quoque ex ſententia Græcorum Grammaticorum *Cælius Rhodiginus* l. 30. c. 1. cornua pro capillis fuiſſe poſita, quia utrumque eodem modo enaſcatur. Quin pro luce crines uſurpatos ex *Valerio Flacco* l. 2. patet, ne alios advocem:

Aſtraque & effuſis ſtellatus crinibus æther.

Ut facilis ad cornua fuerit flexus, pari licentia, qua incurva omnia figuræ vicinitate per cornu expreſſerunt antiqui vel *Iſidoro* monente l. 9. origin. Præſertim vero flumina, quæ per obliquas ripas tortuoſo curſu labuntur. Videndæ autoritates l. 1. de Luc. Anim. c. 12. Verum has de Moſe conjecturas ſacer textus preſſius inſpectus, & meliores Interpretes de facili difflant. Sine cornibus enim fuiſſe Legiſlato-

latorem extra dubitationis eſt aleam; quæ ſe auctoritatis gratia accepiſſet, fruſtra velamine abſcondidiſſet iis, quibus forent monſtranda, parumque modeſtè Johovæ remoto velo oſtentaſſet. Veroſimilius enim videtur, crines fuiſſe lumine interſperſos, & cornua nihil niſi ſummi ſplendoris radios ex facie emicantes ſignificaſſe, quibus aſtantium oculi perſtringebantur. Apud Hebræorum quippe gentem Cornu & Radius pari paſſu ambulant, quoniam verbum קרן per הוד *ſplenduit* exponunt, & *Rabbi Kimchi* idem קרן à cornu derivat. Quod & Latinis placuit, qui cornua luminoſis, vel lumina cornutis aſſignarunt. Lunam quippe cornibus Lunæ dabant ſpeciem; ſolus ſit teſtis *Claudianus* de vitula lib. 1. de Raptu:

- Vitulam non blandius ambit
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.

Unde caput cervi cornutum micare dicitur apud *Calphurnium* Ecl. 6.

- Micat acre caput.

R. *Salomon* verò per radios Hebræam originem exponens, vocat קרניתהוד cornua magnificentiæ. Cui concors eſt Chaldea verſio, quæ gloriam poſuit faciei, ab aliorum ſcripturæ locorum mutationem. Alibi etenim קרן

 glo-

gloriam notat & decus, quod ex lumine elucet. Ita Jobi 16. v. 15. עוללתי בעפר קרני ſaccum conſui ſuper cutem meam, & *operui cinere gloriam meam.* Ubi *Jonathan* decorem, & paulò minus notiori ſignificatu *Andreas Oſiander* ſubſtituit *cornu.* At quo ſenſu in vulgata verſione *carnem* elegerit *B. Hieronymus*, equidem ignoro. Melius certe in *Pſalmis* LXXV, 5. 6. LXXXIX. 25. CXXXII, 17. CXLVIII. 14. קרן cornu ſuppoſuit, quanquam ſimili ratione gloriam ſeu ſplendorem *Jonathan* maluerit. Explicant autem carneam hanc lucem Hebræorum Magiſtri, imprimis R. *Salomon*, quod radii in cornu morem reflexi, ex Moſaico vultu miſcuerint, ſicut & radios à ſole derivatos cornu ſpeciem præ ſe ferre, ſubinde imaginamur. Quo pertinent hi *Drepano* aſcripti verſus:

Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Geſtantemque ſacris jura ſacrata libris.

Nec alia ratione Alexandro Macedoni cornua pone aures in antiquis numiſmatibus appinguntur, quod in *Obſervationibus* noſtris Novis *Unicornu* annotavimus, quam quia caput ejus in ſummo prælii indici ardore ſcintillaſſe referant Hiſtorici; ſi quidem hæc conjectura placet: non neſcius interim ad Jovis Ammonis arietem reſpexiſſe quamplurimos cujus ſe filium falſa ſacerdotum acclamatione jactaverat Macedo. Quicquid ſit, tanta ex Moyſe affulſit

ſit claritas, ut velo habuerit opus, verba ad populum facturus. Quod ad myſticum ſenſum trahit D. *Paulus* 2. Cor. 3. v. 13. & 14 obſcuris quidem verbis, ſed ſatis intellectis, ſed quorum ſententia huc fere redit, lucere nempe etiamnum Moyſis faciem, nec videri ab Iſraëlitis ob lucis ſplendorem, qui, ne faciem abſorbuerit quaſi, ita in veteri fœdere oculos intentius perſtringere legum duritie, & typorum velamine à Chriſto detegendo. Id enim τὸ καταργεῖται ſeu *evacuatur* denotaſſe auguror. Parum ad veritatem *Rabbi Sephardi* accedit præſentis veli explicatio. Velaſſe nempe Moyſen vultus, cum filiis Iſraël loqueretur, quo majorem auctoritatem dictis adderet, amoviſſe vero velamen ad Jehovam converſo ſermone, quia indignum foret cooperta facie Regem Regum affari. Ingenioſa ſanè, ſed antiquitatem nullam ſapiunt, quippe tecta facies caputque in veterum ſacris non majeſtatem, ſed animi indicabat demiſſionem, ut fuſius in *Anatomia noſtra Pagana* egimus Unius hic ſuſſiceret *Plauti* teſtimonium in Moſtellaria:

— *Quin etiam hoc illi dicito*
Facturum me, ut ne etiam adſpicere ædes audeat,
Capite obvoluto ut fugiat ſummo cum metu.

De Magara in Hercule Furente *Seneca* Actu. 2. ſc. 3.

Nam-

Namque ipſa triſti veſtis obtenta caput
Velata, juxta præſides aſtat Deos,
Laterique adhæret verus Alcidæ ſator.

Plutarchus etiam in Quæſt. Rom. inter cauſas, quare velato capite, non aperto Diis ſacra fierent, primum facit, eo habitu animi faſſos eſſe demiſſionem. Quam antiquorum religionem contrario Chriſtianorum ornatu illudit *Tertullianus* in Apolog. c. 20. *Illuc* (ſcilicet ad coelum) *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus.* Et ne Græcorum Romanorumque hunc cultum regerat *Sepharadi*, idem probo inter Hebræos uſitatum, quorum Pontifices ſacrarium ingreſſuri capitis tegmen, quod Cidarim lineam vocant, officioſa ergo Jehovam devotione induunt; ut ex *Exod.* XXIX, 6. & XXXIX, 28. 31. *Levit.* XVI, 4. manifeſtè colligimus. In hodiernis quoque ſacris veteris moris obſervantiſſimi, velato omnia capite peragunt. Non ergò ob auctoritatem vultum Moyſes texit, ſed ut ſplendoris intenſi radios ab auditoribus diverteret, quorum radiorum majeſtatem pie & dilucide D. *Paulus* in æternæ lucis comparatione 2. Cor. 3. v. 16. propoſuit. Preſſius Moyſis lucem introſpexit *Clemens Alexandrinus* lib. 6. Strom. *glorificatam caloris ſpeciem* agnoſcens. In quo ſplendoris per univerſam faciem diffuſi continuo tractu, nolumus cum pictoribus radios

dios in cornua bina dividere ſeu eminentes faculas, qui æquali ſplendore continuam lucem fulſiſſe inde credimus, quod totam pariter obvelaverit faciem, nullâ diſtinctio intervallo cornuum differentia. Unde major ex veritate gloria pictorum foret, ſi non tam cornutam quam radiatam æquis partibus faciem ducerent, eodem artificio, quo ſanctorum capita continuo radiantis coronæ circulo cinguntur.

Cujus quidem coronæ non æque manifeſta eſt origo, atque uſus. Inveniemus tamen, niſi nos fallit augurium. Corona lucente illorum tantum verticem circumdederunt, qui divinitatis aliquo privilegio luce inſigni ſeu interna, ſeu à ſuperis conceſſa effloruere. Ex luce autem, quam corpora ſpirare fingebant, pro ſubjecti capitis ratione, tenore in orbem radii expanduntur nunquam interrupto, qui tamen, quamvis uniti, ob diſtantiam diſtinctis per exigua intervalla apicibus viſui noſtro imponunt. Hincque artificioſa pictorum manus, ut oculorum lapſum corrigent, effluentem ſanctorum lucem ſeu veram, ſeu putaticiam integra coronarum ſerie per penicillum figuravit, quam alioquin in radios diſperſam falſo ſuſpicaremur. Fuit & aliorum dignitati conceſſa radiata hæc corona, qui aliqua luce vulgarium ſortem videbantur excedere. Talem de Auguſto filio in ſomnis imaginabatur Octavius Pater apud *Sultorium* C. 94. *dum vidtre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro, exuviiſque* Jovis *Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum biſſenis equis candore eximio trahentibus*

tibus. Quod eleganter expoſuit *Vellejus Paterculus* lib. 2. *Quum intraret urbem, ſolis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox Viri capiti imponens conſpectus eſt.* Latinum pari decoris facie inducit *Virgilius* l. 12. Æneid.

— cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen:

Nec diſſimilis *Ovidio* in Epiſt. ad. Hippol, laudatus:

Quod ſit avus radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem.

Prorſus id in Syria Dea cum *Luciano* admiteris, quam ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέειν, coronas in capite portare narrat, radiis dubio procul immixtas. In *Miſanthropo* apud eundem adulator aliquis auream ſtatuam Timoni erigit, ἄγυνον ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχοντι, καὶ ἀκτῖνας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ. Quas quoque non raro in veterum nummis advertas. Nimbus vocabatur ejusmodi corona radiata, teſte Servio quem ad veri nimbi, qui coeleſtia ſidera Lunam Solemque ambit, ſimilitudinem depictam haud iverim inficias ut quum ſub humanæ formæ ſpecie Deos hos colerent, nimbum illorum divinioris conditionis hominibus attribuerit. Sol autem ut

Prin-

Princeps univerſi hic, radiato vultu ante cæteros reſplendet, & ſplendere fingitur apud *Martianum Capellam* lib. 1. de Nupt. Philol. *ſolis auguſtum caput radiis perfuſum circumactumque flammantibus.* Et *Arnobius* diſertiſſimus contra gentes lib. 6. in eandem rem diſſerit: Ecce ſi aliquis, vobis neſcientibus & ignaris, rex urbanus & callidus ex foribus ſuis Solem tollat, & in Mercurii transferat ſedem; Mercurium rurſus arripiat, & in Solis faciat commigrare delubrum, (uterque enim a vobis glaber, atque ore confingitur lævi, (*detque huic radios, ſolis capiti petaſunculum ſuperponat*; quibus modis internoſcere poteritis, utrumne ſol iſte ſit, an ille Mercurius, quum habitus vobis Deos, non oris ſoleat proprietas indicare? Confert quoque de Sole ſymbolam ſuam *Prudentius* lib. 1. contra Symmachum:

Hoc ſidus, currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,
Et frenos phalerasque & equorum pectora anhela.

Radiatis lineis revera pictum fuiſſe, oſtendit antiqua Solis Tabula marmorea, quam ex ædibus Hasdrubalis *Matthæi Marchionis Jovii* Romæ doctiſſimus *Alexander* publico ſcripto illuſtravit. Sexdecim radios præfert numiſma vetus Rhodium apud *Ant. Auguſtinum* Dial. 2. hu-

humana ſpecie & capillis dependentibus, quos tamen in Gaditano Solis nummo non deprehendit *Io. Bapt. Suarez.* in Antiq. Gaditanis. Per crines expreſſerunt Poëtæ, ut notum vel ſolius *Statii* verſiculo lib. 3. Theb.

- Rutilamque lavabat
Occari ſub fonte comam.

Quo etiam illuſtribus rotis collinearunt, quibus mundo diem promit conditque Phœbus, candentium & lucidarum nomine venientibus. *Claudianus* recitet de Nupt. Hon.

- Segnemque rotam non volvere Phæbe

Audiatur ſimul *Statius* l. 2. Sylv.

Stridoremque rotæ candentis audit.

Imitabantur hanc radiati Solis imaginem fortaſſe Chriſtianorum primi ſi recte ſententias ſubducamus, in depingendis ſanctis, ne quicquam in claritate Diis viderentur ceſſiſſe. Vel forſan ad coronas reſpexerunt, quid per apices eminent, Deorum proprias, ut largioribus teſtimonii exponunt Antiquarii. In Iſide ſane Ægyptia, quam ex gemma ſignatoria vetere delineavit *Pignorius* Symb. Epiſt. 23. coronula ad radios cœleſtes accedit quam proxime. Sunt tamen, qui coronam orbicularem in ſanctorum ſtatuis effictam tantum ob tutelam exiſtiment, ut inſiſtentes pluviarum niviumque noxas veluti clypeis à capite declinent; ſitque loco pilei, cujus

cujus nempe formam accurate effingit antiquiſſima D. *Marci* ſtatua Patavii in foro piſcatorio veteri ad ædem S. Andreæ erecta, olim, ut fama eſt, Ateſtâ advecta. Hunc galerum dixerunt excipiendis à ſole injuriis uſitatum. *Claudianus* l. 1. de Raptu:

- Gallenius adſtitit ales,

Somniferam quatiens virgam, tectusque galero

Nec non *Calphurnius* Ecl. 1. de ornite & Corydone colonis:

Nos quoque vicinis cur non ſuccedimus umbris?

Torrida cur ſolo defendimus ora galero?

Cui Tiara non fuit abſimilis, quam profulgentibus radiis nimboque in Phœnice poſuit *Phyſiologus Epephanti* plane ad mentem noſtram: Τιάραν γὰρ φέρει ἐπί τὴν κεφαλὴν: Tiaram enim in capite geſtat. De ſplendenti verò corona plumata hoc accipiendum, lib. *de Luce Animal.* de Phœnice expoſuimus.

VI.

De morſu ſerpentum venenato, ejusque medicina.

Numer. XXI, 6.

SErpentes & flatu ignito & morſu urentes deſcribit Moyſes, quos in poenam murmuranti

populo vel creatos, vel, quod vero ſimilius, ex deſerto advectos immiſit ſcelerum vindex. Fuſius de his egimus l. 2, *de Luce Brutor.* c. 10. nec poenitet cramben hanc recoquere in morborum ſacrorum ſerie, quam orſi hoc loco ſumus.

Num. XXI, 6. cum de aqua & pane impetuoſius obſtreperent, *miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos, qui mordebant populum.* Poſt paulo ad frugem redeunte populo, *dixit Dominus ad Moſen: Fac tibi ſerpentem ignitum, & pone illum ſuper ſignum, ut omnis, qui eſt morſus, intueatur eum & vivat.* v. 8. Ubi *urentes* ſerpentes vetus *Interpres* Venetiis olim editus exponit de iis, qui morſum ardentem infigebant, atque ſimul toxicum, quod corpus ex uſſit, immittebant. Serpens autem igneus ille erat, qui urentem ſerpentem ſimilitudine exprimebat, ſimili flammâ læſa membra ſanaturus, eratque æreus ſigno Crucis appenſus, ut omnibus eſſet ſpectabilis, ſi credimus *Interpreti* doctiſſimo, quanquam modò citato v. 8. de ære taceant *Legislator* ſolum שרף exprimens; quod ardentem notat ſerpentem, ſequente tamen v. 9. illius fit mentio. Unde collige ex ære quidem conflatum, ſed in flammæ ardentis ſpeciem. Hinc quia flagrantis erat ſignum, flagrantes quoque ſerpentes primos fuiſſe eſt neceſſe ut *Lyranus* & *Rabbinorum* plerique verba ſcripturæ, ut ſonant, retinentes pro confeſſo habeant, veras & lethales ſcintillas igneas, per aëra ex ſerpentibus miſſas, ſummo formidinis tormento conſcias animas terruiſſe. Quæ quo-

que

que ſententia videtur Legiferi *Deuteron.* 8. 15: *Ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens adurens, & ſcorpio ac dipſas, & nullæ omnino aquæ.* Cui adverſa fronte repugnat *Autor libri*, qui *ſapientiam* præfert, cap. 11, 18, 19, 20. ubi iter populi exponens, DEI miſericordiam eo nomine præſertim laudibus extollit, quod nec nova animalia, nec ignitos ſerpentes in tormentum miſerit: *Non enim impotens erat omnipotens manus tua immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas, aut ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas immittentes, quarum non ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectas per timorem occidere.* Qui quidem Autor in majus pio Zelo opera Jehovæ extulit, qvum Salomon non fuerit, ſed, teſte *Hieronymo*, Phylo Judæus, unde & Librum hunc ignorant Hebræorum volumina, & inter Pſeudographos numerat idem *B. Hieronymus.* Sane שרף ubique ardentis flammæ figura. Unde Seraphim, de quibus *Eſaiæ* 6. 6. *Et vocavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus carbo ignitus, quem forcipe tulerat de altari.* Unum hunc de Seraphim aliqua Divinitatis luce os illuſtre monſtraſſe, dicit R. *Jonathan*; ſervumque ſedis gloriæ fuiſſe, quæ in cœlo ſupra altare ſit. Sed *Joannes Buſtamantinus* apud Complutenſes Doctor lib. 2. c. 2. de Rep. S. S. contrarium Moyſis Salomoniſque ſenſum ſoluturus, Salomonem de ſerpentibus ignem ab internis ſpirantibus, aut ab oculis emittentibus

egiſſe fatetur; non tamen obſtante, quin aliqui ſerpentes ab effectu alio igniti accenderint aërem, & inflammarint oris ſufflantis ardore. Nempe ignitos vocandos, quia potentius igne, veneno cauſticæ & pyroticæ naturæ utere poſſint, & comburere tandem incendio & æſtu, ut febris *ignis* vocantur, & *Ignis ſacer*, Eryſipelas, quod effectus ignis edant. Tales forte eſſent ſeps & ſalpinga ſerpentes, de quibus *Iſidorus* libro laudato, aliique, & omninò communis foret is omnium venenatorum effectus. De morſu tamen ſolo extant ſcripturæ loca *Sap*. 16. 5. ubi morſibus perverſorum colubrorum exterminati dicuntur, parique fato 1. *Cor*. 10. 9. à ſerpentibus periiſſe Unde & *Rabbi Salomon* interpretatur, combuſtos fuiſſe eo tempore homines veneno dentium illorum; quo ſententiæ flexu capiendum quoque videtur, quod *Eſaiæ* 14. 29. dictum: *De radice colubri egredietur regulus, & fructus ejus ſerpens ignitus volans.* Ad quem locum notat *R. Jonathan*, ex nepote pròditurum unctum, cuius opera in vobis (ſc. Philiſtæis) erunt, ſicut ſerpentis volantis, hoc eſt exitia, quod in Ezechia impletum 2. *Reg*. 18. Coluber autem ſerpens eſſe debet, ut in origine eſt נחש pro vipera ſubſtituendus ex eadem Baſiliſcus, quem *Hebræorum Magiſtri* צפע nuncupant; שרף autem rectè *Oſiander* Ignitum vertit, per Analogiam verò effectus abſorbentem appellavit vulgatus Bibliorum *Interpres*: ſed quo jure *R. Leon Mutinenſis* in Lexico Rabbinico שרף apud *Eſaiam* per Tigridem expoſuerit, ipſe Doctiſſimus non moneat.

neat. Cæterum hæc, ut dixi, ex eventu ignito interpretatio, omnes ex æquo ſerpentes in populum immiſſis monſtrat, nec ad certum genus reſtringit, quod alii felicius aggreſſi ſunt. De viperæ enim ſpecie, quæ διψας vocatur, accipit *Paulus Eborus*, cui ab effectu nomen, quod ſitim iis, quos ſauciat, & veneno ſuo imbuit, excitare ſoleat inexplebilem, qua, velut ardenti flamma, altiora viſcera utuntur. Verum parum ad rem præſentem hæc conjectura, cum expreſſe dipſas ab illo, qui flatu adusſit, *Deuter*. 8. diſtingvatur; nec ſitis ulla populum, quamvis antea ex more lamentantem, vexabat, quam tantam dipſas inferre ſolet, ut, teſte *Galeno* lib. 11. ſimpl. Med. c. 2. & *Nicandro* in Theriacis, prius onere potûs dirumpantur læſi, quam à ſiti liberentur. Nec nomen viperæ convenit, nec natura. Non illud, quod שרף nusquam viperæ accommodatur; צפע quidem illi in *Eſaia* jungitur, ſed malè per viperam reddidit *Interpres*, quia Baſiliſci eſt notio. Nec hæc, quam unum oviparum ſit animal, viviparum alterum, parvaque ſimilitudine ad ſe accedant apud *Galenum*. Nuper *Samuel Bochardus*, Vir Eruditionis profundæ part. 2. de Animal. ſacr. ſcript. lib. 3. cap. 13. veroſimile judicat, ſeraph eſſe hydrum vel cherſydrum, quanquam hydrus in aquoſis locis naſcatur & educetur, qualibus caruit deſertum Iſraëlitarum; potuiſſe tamen aliunde à DEO immitti & accerſiri. Preſſius rem tangit fortunatiſſimus in myſteriis veterum indagandis *Fortunius Licetus*, qui lib. 3. De Spont. Viv. Or-

tu cap. 11. Dracunculos ex corporibus Hebræorum moroſorum poena divina exortos credit, eosque adeo malignos divinat, ut eorundem membra crudeliter eroſerint, eroſa inflammarint, inflammata dolore vexarint, ab effectu denique morboſo ignei denominationem traxerint. Hoc morbi genus inter Orientales populos ſæpe graſſatum, ut tanto Viro firma conſtet autoritas, ex *Plutarcho* docemur, qui ex Agatarchidis mente hîc lib. 8. ſympoſ. Quæſt. 9. loquitur: *Maris rubri incolæ affectionibus novis & nunquam auditis tentati ſunt, nam Dracunculi quidam parvi crura & brachia edentes eruperunt, qui ſi tangebantur, ſtatim emergebant, atque muſculis infixi minimè tolerabiles inflammationes pariebant*; hoc morbi genus prius nemo vidit unquam; neque poſterius aliis niſi his ſolis, contigit, ut alia multa. Conſentit *Actuarius* lib. 4. Meth. Med. cap. 16. in regionibus ſupra Ægyptum potiſſimum provenire Dracunculos. Sed *Galenus* lib. 6. de Loc. Aff. c. 3. alterius ad Arabiæ loca refert, & *Aetius* Tetrab. 4. Serm. 2. cap. 85. in Æthiopia collocat ac India, à quibus hodie Luſitanis, qui Æquatorem peragrarunt, innotuit hæc morbi peſtis, ubi frequentiori noxa homines afflari, narravit mihi eorum locorum gnarus *Samuel Chabibi* Hebræus Venetus, Mediculque ſcripto de Venæ Sectione clarus. In Inſula Ormuz accuratè depingit *Joh. Hugo Linſchoten* cap. 6. Itinerarii. Unde & ab Æquatore reverſi Europæi ſubinde ingratas has merces ſecum vexerunt, quas in nauta Belgico vidit olim Experientiſſimus Joh.

Rhodius

Rhodius noſtras, ex India reduce, cui ſura manifeſtè verminabant. Malè autem ex levi inter utramque affectionem forſan diverſitate, quæ vel nulla ex Plutarcho Moyſeque apparet, vel admodum exilis, diverſum hunc maris rubri morbum ab illo, qui Iſraëlitas invaſerant, contra *Licetum* induxit *Ezechiel Caſtrenſis*. In minima quippe re non rarò ludunt tam Natura, quam Morbus, qui eadem facie vix ullum aggreditur. Scrupulum tamen injiciunt Galenus, Aetius, reliquique ad teſtimonium antea citati, qui pueris fere tantum uſitatum hoc morbi genus probant, nec ullum moleſtiæ aut doloris ſenſum inferre, niſi abrumpantur. Saniores autem erant Hebræi, & Tormenta experti ſunt vehementiſſima. Sed nihil ad nos hæc à ſuſcepta opinione dimovent. Quippe puerili ut plurimum ætati familiares dracunculos concedo, provectiori rationes, non tamen inviſos, ut experientia poſterorum perſvademur, præſertim quando Naturæ defectum Deum vindex ſcelerum ſupplevit. Nec exilitas vermium obſtat, quæ indifferens; aliquando enim quoque majores fuerunt apud *Aetium*, & lumbricis latis ventris aſſimilati à *Galeno*, *Aetio & Actuario*. Tormenta primo affectionis tempore parva ſunt, at ubi inveteraverint Dracunculi, liveſcit locus & ſupputatur, teſte *Aetio*. Ut credere non poſſim in nervoſa muſculorum parte dolores abfuiſſet; nervoſos enim appellat *Galenus* & ex *Sorano* Paulus *Æginetа* affert, nil eſſe præter nervi alicujus concretionem. Unde excitatur inflammatio ſenſibilis partis, & dolor urgentiſ-

 ſimus,

ſimus, maximo actus momento, ſi Jehova pondus adjecerit. Ubi notanda Clariſſimi Viri *Lazari Meyſſoreni* conjectura, qui venarum quoddam eſſe excrementum ſuſpicatur cap. 8. Morb. Nov. ſi quidem Dracunculi ſint, quos à ſetis les Soyes Narbonenſes appellant. Ea quoque ferè *Paræ* fuit opinio lib. 7. c. 21. à ſangvinis fervore deducentis. Ab aëre nocturno ſeu rore contrahi in Itinerario ſuo nuperrimè Gallus quidam *Anonymus* credit. Tandem igniti vocabulum multis ex effectu attribui notius eſt, quam ut demonſtrem: eo enim ad clypeum fortium utitur *Nahum.* 2. 3. idemque ſermoni DEI *Proverb.* 30. 5. & *Pſalm.* 119. v. 140. Plura de his dixi quam ſperaveram. Amore tamen Jeſu mei pennam implevi, cujus crucem & merita ſerpens æreus in eremo ſuſpenſus præfiguravit, ſicut ipſe ſervator nos docuit, & repetit *Tertullianus* lib. adv. Jud. & lib. 3. contr. Marc.

VII.

Jobi morbus excutitur,

ex Job. 2.

ANxietatem ſeu tædium ſui, quod fere comitari ſolet febres, quas *Hippocrates* l. 4. Acut. §. ἀσώδεις appellat, præter alios morbos, habuiſſe Jobum patientiſſimum *Stephani Roderici*

Roderici Caſtrenſis eſt commentum lib. 2. *Quæ ex quibus* c. 21. Ita quippe ipſe *Job.* c. 10. *tædet animam meam vitæ meæ.* Non improbo eruditi viri conjecturam, ſed tædium hoc ſeu antiquitatem ex alio principio advocarim. Antequam ſententiam meam aperiam, aliorum ſunt expendendæ. Inprimis ſe offert *Ioannes de Pineda* Soc. Jeſu Doctiſſimus Theologus, qui Comm. in Job. c. 2. v. 7. 8. omnia ferè morborum externorum & internorum genera recenſet; & Jobo applicat. Imò quod mireris, ſect. 5. laboraſſe quoque lue Venerea cum *Vatablo* probat, quem ſequitur *Cyprianus Ciſtercienſis. Paradoxum Vatabli* ratione confirmat, nam ex Medicorum judicio is affectus contagioſus cum ulcere, aut immani cruciatu, variis locis emergit, ac ſæpe extuberat, in corpus omne ſpargitur, & non ſolum carnem, ſed partes etiam ſolidas pervagatur, univerſamque corporis ſubſtantiam pervertit. Hoc vero morbo fœdiſſimo, qui cum ſcortatorum & turpiſſimorum hominum flagellum ſit, Satan voluit Virum honeſtiſſimum, ignominioſè afficere. Ita quidem ſe optimo Caſtiſſimoque Viro *Pineda* ratiocinatur, præter rationem divinæ indulgentiæ, quæ ad honeſta ſe extendit, non ignominioſa membrorum genera. Caſtus fuerat Vir ſanctiſſimus, nec ullâ pravâ concupiſcentiâ aut illicitâ, meruit ſiniſtram famam. Neque iſto Jobi ſeculo turpiſſimum hoc morbi genus inter mortales innotuit. Quippe loco illo *Hippocratis* 3. Epid. ſect. 3. quem *Valleſius* & *Reuſnerus* pro antiquitate hujus lucis afferunt, peſti-

lentiam longè graviſſimam deſcribi rectè cum *Galeno* aliiſque Interpretibus defendit diligentiſſimus *Sennertus* l. 6. Prax. part. 4. c. 1. ex hiſtoriæ evidentia. Nam morbus ille utplurimum cum febre invaſit, quod non accidit in lue Venerea; & fuit epidemius, cum lues Venerea ſaltem per contagium, & nullo alio modo fuerit diſſeminata; longè etiam alia ratio morbi illius, quam lues Venereæ curandæ fuerit. Audet tamen *Pineda* de Jobo affirmare potuiſſe hoc morbo laborare, nam Dæmonis arte potuit ad ejusmodi intemperiem adduci, ut in malignam illius morbi naturam humores degenerarent. Sed nimium audax eſt *Pineda*. Dæmon ea fuerit ſolertia, ut humores ad illam intemperiem flecteret, quam ejus naturæ & conſtitutioni congruam ſcibat. At malignitas hæc quæ ſpurcum contagium ſapit, prorſus aliena erat ab humoribus Jobi, à temperie Jobi caſtâ. Torquet ſe *Pineda* & præter hiſtoriæ omnis fidem aſſerit, (ut Jobo ægrè ſit,) nunquam non alicubi gentium eum morbum ſemper pervagatum fuiſſe. Manus victas dabimus, ſi id probaverit. Medicorum confeſſionem pro ſe adducit, ſtatuentium à contagio fieri: Nam vel abeundum in infinitum, ita ut nunquam incepiſſe deprehendatur; vel ſine contagio fieri poſſe, diſturbatis humoribus & ad inſignem intemperiem adductis. Cæterum intemperies iſta maligna non oritur, neque orta usquam obſervata ſine contagio à mulieris congreſſu. Fatetur ipſe incepiſſe luem in Valentia, quo tempore Carolus Franciæ Rex expeditionem

Italicam

Italicam parabat cum elephantioſus quidam nobilis miles ad nobile ſcortum accederet; quicunque igitur deinde ad mulierem ingreſſi ſunt, eo malo infectos fuiſſe, elephantioſi in illud degenerante. At nobilis ille miles Hiſpanus ex India Occidentali id malum ſecum cum *Columbo* aſportavit 1494. deinde in obſidione Neapolitana cum Hiſpani ob annonæ caritatem multitudinem inutilem urbe pellerent, Galli ſcorta eorum pulchritudine allecti, clam exceperunt, & ita eorum contagio infecti hunc morbum contraxerunt & per Europam diſſeminarunt. Ita narrat *Fallopius* de Tum. c. 34. ubi contra *Leonicenum* diſputat morbum hunc nec ab aſtris deductum, nec ab aëre illuvione Tiberis tum infecto, nec denique eſſe Epidemicum. Quanquam *Fioravantius* Empiricus lib. 1. Capric. Medicinal. c. 27. à mortuorum hominum carnibus, ciborum penuriâ tam ab obſeſſis quam obſidentibus Neapoli comeſtis, originem luis derivet: tamen ad eluendam vel excuſandam gentis ignominiam id finxiſſe credo. Quæ ſi vera origo, non miramur, quod Indis anthropophagis familiaris antea fuerit. Non id tamen credo. Sed unde apud Indos originem traxit, ut, quia contagium defendimus, Pinedæ ſatis faciamus? A DEO libidinis vindice immiſſum, dubitare non poſſumus. Id verò Jobi ævo factum, nemo idonea authoritate dixerit, poſterioribus ſeculis futurum Dæmon divinare non potuit, uti in Jobo affligendo præverteret novi morbi inductione divinam vindictam. Verius concludit *Pineda*, Jobi elephantiaſin in non longè

longè ab iſta lue abfuiſſe, ſed male jungit dæmonis ſævitiam in illa elephantiaſis mutatione procuranda. Rectius voluntatem dixiſſet, ſi morbi iſtius ullam præcognitionem habuiſſet. Cæterum elephantiaſin Jobo plerique affricant, etiam *Sennertus* l. 5. Part. 1. c. 40. cui ſimilem faciunt Lazarum Luc. 16. Negari non poteſt in Paleſtina familiarem illam ſcabiem fuiſſe. Etiam in Ægypto vicina. Ita enim *Lucret. l.* 6.

Eſt elephas morbus qui Nili flumina propter
Gignitur Ægypto in media, neque præterea uſquam
Atthide tentantur greſſus, oculique in Achæis
Finibus ———

Ea notæ Elephantiæ apprimè conveniunt, à *Celſo* recenſitæ lib. 3. c. 23: *Totum corpus afficitur, ita ut oſſa quoque vitiari dicantur: ſumma pars corporis crebras maculas crebroſque tumores habet: rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque, quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit, os, ſuræ, pedes intumeſcunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus, pedibuſque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem conſumit.* Paſſim de his ſymptomatibus conqueritur Jobus. Denigratam cutem deplorat c. 30, 30. cutis duritiem & aſperitatem c. 16, 10. & cætera quæ ſingulis paginis leguntur. Ad ſquamas & pruritum teſtâ utebatur, quia fictionem ungvibus

ungvibus perficere non potuit, quam in elephantia commendat *Celſus* l. c. Inepti enim erant ungves, quia digiti ſub tumore conduntur in iſta ſcabie. Difficultas tamen nos remoratur, quod *ulcus* vocetur Jobi morbus. At verè *Coccejus* in Comm. Job: certum genus ulceris hic definire, eſſe vaticinari ſcribit שחין eſt inter plagas Ægypti, quam & Iſraëlitis comminatur Deut. 28, 27. 35. At quo modo ulcera ſine inſigni & dolore & ſymptomatis malo teſtâ radi poſſint, non video. Sine dubio pro quovis tumore & ſcabie puſtuliſque ulcus hic accipiendum. Ita lata ſignificatione *vulnera* vocavit *Cyprianus* ſerm. De bono patient: *Accedit vulnerum vaſtitas & tabeſcentes ac defluentes artus vermium quoque edax pœna conſumit*. Niſi frequenti aſperoque teſtæ rudioris contactu in ulcus degeneraverit ſcabies iſta, quod ſæpe contingere obſervamus. Quid ſi de Ulcere Syriaco cogitemus? Ulcera tonſillarum maligna Ægyptiaca & Syriaca appellata deſcribit accuratè *Aretæus* lib. 1. de Cauſ. & ſign. Acut. morb. c. 9. cujus verba per interpretem *Junium Paulum Craſſum*, quem ſequitur *Heniſchius*, repetemus, ut conſpectior fiat ulceris hujus cum ulcere Jobi affinitas: *Dolor quidem acer, & calidus, qualis in carbunculo, ſpiritus vitiatus: Exhalant enim maximæ putredinis odorem, eundemque vehementer in pectus ſpirando adducunt. Immundi adeo ſunt ut neque ſuum ipſorum odorem ferre queant. Pallida bis ſeu livida facies, febres acutæ, ſitis, ut igne accenſi videantur, potum veriti dolores non admittunt. Triſtantur enim cum tonſillæ comprimuntur,*

muntur, aut potus in nares reſilit, qvumque decumbunt, ſurgunt ut ſedeant, decubitum non ferentes, quod ſi ſedeat, quiete earentes, iterum decumbere coguntur; plerumque autem recti ſtantes obambulant: Nam *quieſcere nequeunt. Solitudinem fugiunt, dolorem dolore tollere tentantes. Inſpiratio magna eſt, exſpiratio verò parva, num veluti igne exuſta ulcera cum ſint, à calido præterea ſpiritu incenduntur Raucitas adeſt: Vox nihil ſignificat. Atque hæc in pejus ruunt, qvum ſubito in terram collapſis anima deficit.* Singula ſymptomata accuratius conferenti patebit Jobi ulcus. Ægypti & Syriæ ulcera vocantur, quia ibi frequentia. Jobus Idumæus erat, teſte *B. Auguſtino* l. 13. de Civit. DEI c. 47. & Syriæ pars eſt Utz, ut R. *Salomon* autor eſt, in qua degebat Job. Synanchin habuiſſe ipſe querulus fidem fecit, cum quaſi laqueo, tumore faucium halitum intercludente, ſtrangularetur. Ita & cenſet *Philippus* & *Beda*, quos ſequitur *Pineda*. Febri torrebatur, qua omnia oſſa arefacta. Ulcus ipſum שחין à *Calore* dicitur monente *Marianæ*. Sahan enim Chaldæis calefacere 3. *Reg.* l. 1. Inquietus erat animo & corpore, ſicut apùd *Hippocratem* 5. Epid. Parmeniſcus, qui adeò ſui tædio tenebatur, ut cuperet è vita diſcedere, cui ſimilis alter cui progreſſu temporis advenit ῥιπτασμὸς ſeu jactatio corporis, quod chariti 7. *Epid.* accidit, quæ ſtragula rejiciebat. Dolorem autem ulceris, dolore teſtæ mulciebat Job. Ne verò credamus tonſillarum ſolum eſſe vitium, primo cerebri quoque regionem incuſat *M. Aur. Seve-*

rinus

rinus in Pædanchone. Cui ſuaſioni favet anatome complurium corporum vi morbi hujus, qui in Calabria & Sicilia graſſabatur Anno ſeculi currentis 18. enectorum in quorum capitibus exſectis reperti grumi ſangvinis lato ſchemate diffuſi ſub maximos ſinus membranæ craſſioris, unde hæmorrhagia narium in plurimis ſucceſſit. Nec cor immune eſt, venenoſis halitibus cum pulmone infectum, nec ventriculus labem effugit, qui excepta ſanie per œſophagum inquietatus, ut naturalibus actionibus defungi nequeat, hinc ad univerſum corpus ulceroſa diſpoſitio manat. Pulmonibus ulcera cacoethe infligi in Infirmiorum Hoſpitio per anatomicam ſectionem obſervavit Panormi *Marc. Anton. Alymus* in Conſult. de Ulc. ſyriaco pag. 59. Alios idem macie indies conſumptos vidit, quia appetere non poterant nec abſumptam ciborum parſimoniam digerere, qui in maximas ventriculi anguſtias incidentes, multos lumbricos evomebant, poſt quorum mortem ventriculi fundum ulceratum adinvenit. Tales ſanè vermes in Jobo quoque *Cyprianus* ſupra laudatus agnovit. Cerebrum igitur, gula, cor & ventriculus ulceribus malignis in Syria graſſantibus cum infecti fuerint, non mirum difficillima ſymptomata enata, quæ paſſim in morboſo Jobi ſtatu recenſentur. Illuſtrat argumentum hoc ipſa curatio per cinerem. Sedebat enim ulceroſus Vir in cinere, & medelæ gratia & humilitatis indicio. אפר *Epher* cinis, pulvis, locus nempe pœnitentiæ *Jon.* 3 ipſa Jobi confeſſione c. 42, 3. 6. *Inſipienter locutus ſum,*
idcirco

idcirco ago pœnitentiam in favilla & cinere. LXX. *Interpretes* κόπρια reddunt, quos ſequutus *Vulgatus* ſterquilinium vertit, & cum eo non pauci: Quanquam ulceribus non inconveniens ſterquilinium ſit, tamen majorem cinis antiquitatem habet. In luctu & pœnitentiam cineribus aſpergebantur veteres, præſentim Judæi. Huc trahunt *Matthæum* c. 6. 16. ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα, Velant faciem ſcilicet cineribus, quod *Joannes Lightfootius* Hor. Hebraic. ad Matth. ex Rabbinis confirmat. Nam *Taanith*. cap. 2. *In publicis jejuniis accipit unusquisque cineres, ac imponit capiti ſuo.* Conſuluit eadem opera ulceribus ſuis Vir ille patiens & fortunæ ludibrium. Cinis enim ulcera ſiccat, mundatque *Dioſcorides* l. 5. c. 135. eſcharoticis, ſive cruſtas obducentibus medicamentis, miſcet ſarmentorum cinerem. Cum tam ſolide curet, & magis ſtringat, *Galeno* monente, vel quisquis autor eſt libelli de ſimplicibus medicaminibus ad Paternianum. Qui ad rem noſtram ita porro loquitur: *Ipſe cinis in recentia vulnera in profundum poſitus ſangvinem ſtatuit à curſu. Ideoque omnibus pecoribus caſtratis cinis impoſitus prodeſt, omnibusque abſciſſis. De ſarmentis tamen olivæ cinis acerrimus eſt, & ex nucleo ſolo acrior eſt, & ex hoc lixiviæ, vulnerum cancerata auferri etiam acriore lixivia ſordida vulnera lavanda ſunt.* In ulcere Syriaco, ſeu maligno faucium ulcere Aretæus lib. 1. De Curat. acut. Morb. c. 9. ad exſiccationem, medicamenta arida inſpergit penna. Ingens ſcrupulus ſupereſt, qui amovendus omni ope Febris acuta ulceri Syriaco jungitur, cum Jobi morbus chro-

nicus fuerit. Nam LXX. *Interpretes* tempus multum vocant. *Chryſoſtomus* multos menſes numerat. *Origenes* tres annos cum dimidio, *Suidas* ſeptem definit. Nihil aſſerit *Pineda* qui dignus eſt ab omnibus eruditis legi, longum tamen tempus concedit, ſic enim exigere tentationis gravitatem, Viri probatam conſtantiam, & aliorum regum adventum, ad quos non ſubito nec omnino brevi tempore fama pervenit. Sed ad morbi hujus morem varium reſpiciens *Severinus*, Vir acuti ingenii & magnæ experientæ, duas formas ejus obſervavit, quarum altera eſt acuta & ferme furioſa: altera prope ſedata & lenta, quas fortaſſe determinat temperatura corporis, humor prævalens, habitus, ſenſus, mos, & hæc quidem in eadem urbe, oppido, pago: cæterum in longinquis & diſſitis locis binos hos duos morbi mores definivérunt quoque conſtitutio & tempus anni, aër, aqua, loci victus, & cæteræ quædam occaſiones aut cauſæ. In calidioribus igitur regionibus, in temperamento calido & bilioſo, ætate juvenili, breviora tempora conficit ulcus Syriacum, in frigidioribus tardiori pede tempora ſua emetitur. Jobi temperies temporata, cumulatis animi mœrore craſſioribus frigidioribusque humoribus, ætate confirmata & ad frigidam declinante, morbi acutas periodos tardavit, quo etiam operas ſuas Dæmon contulit, qui ad temperiem ejus morbum accommodavit, ut diutiùs eum in tormentis haberet. Parum enim abeſt quin Scorbutum acceſſiſſe credam à melancholicis humoribus excitatum in homine

tot ærumnis defatigato, quem velut pilam verſavit Dæmon. Tot enim pravis ſymptomatibus affliguntur ſcorbutici, ut Dæmonis inſtituto convenientiſſimus fuerit morbus Jobi tormentis augentis. Cauſæ præceſſerant; animi mœror ingens propter amiſſa bona, conjugem liberosque amiſſos, aëris conſtitutio ad littora Syriæ maritima victus pravus ex inopia rei familiaris. Hinc humores pravi & melancholici coacervati, & ſeqvutus effectus, nempe totius vitioſa conſtitutio, unde lancinationes, inquietudines, dolores, ulcera ſcorbutica, cutica, cutis denigratio, & mille alia mala quæ ſcorbuticos vexare ſolent, recenſita diligenter à *Severino Eugaleno* libro de ſcorbuto. Dentium mobilitas & gingivarum laxitas tanta in Jobo, ut cibum capere non potuerit, quanquam id ad oris labiorumque exulcerationes referat ex *Origene Sanctius*. Provocabat Satanas Scorbuticum malum, ad quod naturæ tum corruptæ vitio propenſus erat. Ita inevitabimus cætera incommoda quæ aliorum ulcerum difficulates inferunt. Chronicus enim eſt hic morbus & vitæ ærumnoſæ tædium affert incredibile. Non nomine quidem, ſed ſymtomatibus notus fuit olim Scorbutus ipſo *Hippocratis* ævo, qui lib. de Morb. intern. & l. 2. Prorhet magnos lienes vocat, ulceraque & puſtulas, & cætera ſcorbuticorum mala graphicè deſcribit. *Ægineta* & *Aretæus* per icterum nigrum exprimunt. *Strabo* & *Plinius* Stomacacen & Scelotyrben nominant, Romanisque innotuiſſe perhibent. De quo alii fuſius egerunt. Nos plura non addimus.

VIII.

VIII.

De Lepra Judæorum.

EXtra Urbem Jobum locant qui Elephantiaſin illi affingunt, quia lege Divina, ne inficerent alios ſeparari ab aliis jubebantur leproſi. Hinc ad lepram devolvimur, olim inter Hebræos familiarem. De qua tamen parci erimus, quia aliorum pennas libroſque ad ſatietatem implevit. De Elephantiaſi Medicos conſulat, cui volupe, in primis *Hollerium*. l. 1. c. 64. & ejus Enarrationes *Duretum*, *Valetium*, *Hautinum*, qui omnium votis ſatisfacient. Varia problemata jucunda ventilat *Mercurialis* multiſcius l. 3. Var. Lect. c. 20. Cur nempe caſtrati non fiant leproſi? & Cur Elephantici veneris magno appetitu ſtimulentur? Ubi etiam *Aetium* damnat, qui l. 13. c. 125. elephantiaſi correptos generandi gratia cum mulieribus aliquando conſvetudinem habere conſuluit: eſſe enim non modo malè affectos jugulare, ſed etiam reliquos peſte inficere, morboſumque genus humanum reddere velle. *Aetii* tamen ratio hæc eſt tetr. 4. ſerm. 1. c. 125. non in totum contagioſas ſucceſſiones ipſius affectionis in omnibus fieri, præſertim ſi quis optimè diſpoſitus ad venerem incitetur. Novi certè lue Venerea infectos ex uxoribus ſanis ſuos liberos ſuſcepiſſe, nullo contagio aut matrem aut liberos obnoxios. Cautè vero monet per rariora intervalla

Digitized by Google

coire poſſe, cum ante coitum affectioni infeſtiſſimum pronunciarit. In ſtatu igitur convaleſcentiæ coitum rarum concedit, ſi quis optimè diſpoſitus & ſemine jam in melius vergente, incitetur ad veneris amplexus. Addit ibidem *Aetius*, ſi non ſuccedat curatio, quam eo capite inſtituerat, procul à mari & urbibus, ſegregandos. Cur procul à mari? ſcilicet ne commoditas concedatur naviculâ habitata alia loca inviſere. Nam antea & natationes in mari conceſſit, & ex mari cibos. Niſi à mari idcirco arcendos jubeat, ne per natationem inficiatur aqua, aliorum uſibus inſervitura. Ab urbibus ſegregandi, ne conſuetudine ſua ſcabiem aliis affricent. Rectè alibi idem Aetius tetr. 4 ſ. 1. c. 120. ex Archigene. malum eſſe affirmant cum ipſis converſari; inquinatur enim aër quem inſpirando adtrahimus, ex ulcerum fœtore, & ex vitiata ſpiritus exhalatione. In Evangelio procul ſtabant leproſi & *Canone* 37. Concilii Aucyrani præcepit ſancta ſynodus, qui leproſi ſunt vel fuerunt, inter eos orare, qui ſpiritu periclitantur immundo. *Num.* 12. Maria ſoror Moyſis lepra percuſſa, ſeparata fuit extra caſtra ſeptem diebus. Hanc legem veterem myſticè interpretantur *Canones Pœnitentiales* Juri Canonico affixi pag. mihi 1255. *Mariam ſcilicet ſignificare pœnitentem.* *Interpretatur* (ſit venia verbo) *enim amarum mare. Hæc pœnituit ſeptem diebus, ſed nunc pœnitet ſeptem annis, quod ſignificatum eſt Ezech* 4 *diem pro anno dedi tibi.*

Cur nunc tam frequens non ſit apud Judæos, quàm apud Chriſtianos, rationem reddit *Buxtorſius*

torſius Pater Synag. Judaic. c. 33. partim quod pauci ſint cum Chriſtianis collati, partim quia temperant ſibi à multis cibis, aliiſque rebus, ex quibus hic moribus concipi poteſt. Cibos enim quod attinet, quam fieri poteſt, legem Moſis obſervant. In nullo tamen tam pervicaces ſunt, ac in carne ſuilla. Nihilominus tamen leproſi quidam inter illos exſtant, ut Antonius Margarita Pragæ ſuo tempore quosdam repertos eſſe teſtatur. Addo, liberiores jam eſſe, quia frequenti exercitio utuntur ad quærendum victum. Chriſtiani quoque non ita infecti eo morbo deprehenduntur, ob variolas frequentes. Olim certè familiaris erat lepra in Inſulis noſtris Borealibus Feroenſibus & Iſlandia, ſicut Noſocomia ibidem exſtructa teſtantur, quæ nunc vacua ruinam minantur. Ignorare me fateor, quia ſit Morbus Regius de quo prolixè diſputat *Zacharias* Papa I. Epiſt. 12. ad Bonifacium. Niſi valdè fallor, cum lepra confunditur. In primis Judæi morbum effugiunt abſtinentia à carne ſuilla, cujus caro inſalubris creditur & lepram generare. Quanquam enim *Celſo & Galeno* ſuilla caro inter domeſticas quadrupedes leviſſima putetur, *Mercuriali* tamen placet l. 3. Var. Lect. c. 8. Judæos ob ſanitatem potius non veſci carne ſuilla, quam ob ſuperſtitionem. *Plutarchi* autoritate ſe tuetur, qui 4. Symbol. Probl. rationem reddens cur Judæi carnibus ſuillis abſtinerent; omnem ſuem ait, ſub ventre, lepra ac efflorefcentiis refertam ferè eſſe ſemper, quæ nimirum ob malum quendam habitum, atque corruptionem

corpori ingenitam in corporibus ſummis efflo-reſcere videntur. Beſtiæ quoque hujuſcemet circa victum ſordities pravitate non caret. Cæterum malè caro ſuilla in ſanis damnatur, cum ex *Hippocrate* cæteriſque ad unum ferè omnibus Græcis, Latinis & Arabibus inter valentiſſima alimenta numeretur, quibus etiam athletæ & alii ad robur corpori acquirendum veſcebantur, validiſſimè enim nutrire ob glutinoſum ſuccum, qui partibus afflicti non facilè diſcutiatur, ſicut poſt *Galenum* l. 2. Meth. explicat *Petrus Caſtellanus* l. 2. de Carn. Eſ. c. 5. ſed requirit exercitium & ſtomachum idoneum *Hippocrates.* Judæis quidem noxia caro ſuilla eſſe non potuit, quia calidiori ventriculo & æſtuante præditi facilè ſuperabant noxas; ſi quas habeat. *Simeon Sethi* humidos ventres negat bene concoquere ſuillam. Nec deerat illis vinum, quod *Schola Salernitana* huic eſcæ adiungit. In Syria leges patrias carnem ſuillam prohibuiſſe Domininus Philoſophus apud *Suidam* teſtatur, ſanitatis tamen cauſa cum eſſet hæmoptoicus, ſomnio Æſculapii parens, ſuillas carnes comedit & iis ſemper veſcebatur. Glutinoſo enim humore ora venarum in pulmone potuerunt ſolidari. Non igitur Judæi ſuem averſantur, metu lepræ, à qua immunes per DEI gratiam ſunt patriæ incolæ, quibus cottidianus ferè eſt ejus. Memini *Burrhum* ejus fuiſſe ſententiæ, carnem ſuillam quidem lepram inducere, ſed corio inhiberi, quo minus vel ſues ipſi vel comedentes lepra conſumantur. Imò ad lepram curandam ex ſanguine ſuillo ſpiritum extraxit. Politicam

ratio-

rationem habuiſſe Judæos vero ſit ſimile, cur poſtea ſuem exoſum reddiderint, quæ deinde vim legis obtinuit vel ſuperſtitionis. Eſus lege divina prohibitus fuit. Sed ipſi Judæi porcos quoque alere vetuerunt, ne quidem ut ungantur iis pelles, quod ex Cod. 1. Ebr. c. 7. § 7. & ex *d. Aſcher* annot. ad Miſuam docet *Conſt. L' Empereur.* Scilicet nolebant porcos alere ne agros Paleſtinæ effoderent, & inquinarent fertile ſolum. Hinc maledictione prohibitum eſt Judæis canes alere & porcos apud *Maimonidem* aliosque. Canes quidem alere permiſſum, ſed catenâ ferreâ ligatos, ne nocerent morſu, quanquam etiam poſterioribus ſeculis pro dedecore habitum ſit portare canes, de qua Κυνοφορία eruditam edidit epiſtolam Cl. *Jo. Heinr. Meib.* Antiqua quoque veſtigia extant. *Homerus* Odyſſ. XI. de quodam apud inferos: Olim me huc miſit, ut canem ducerem! non enim aliud exiſtimabat hoc mihi gravius eſſe certamen. Prohibita quoque fuit inter Judæos mercatura cujusvis rei immundæ, quod ex Gloſſa in *Kama* illuſtrat, *Lightfootius* in Matth. 8, 30. unde vel Ethnicorum inter Judæos Gadarenos habitantium porci fuerunt, de quibus eodem capite Matthæi agitur, vel Judæorum, quibus dulcis odor lucri ex re qualibet. An verò lege ulla DEI, porcos alere Judæis prohibitum ſit, ipſi viderint, qui tam ſunt tenaces præceptorum divinorum, ſæpe tamen ipſis ſibi leges præſcripſerunt. Originem hujus interdicti tradit *Joſephus*, lib. 13. & 14. & ex eo *L' Empereur* l. de Legib. Hebr. ubi Germanorrum Doctorum ver-

ba afferuntur. Hodiè abſtinent à carne ſuilla propter longam conſvetudinem, ſicut fatentur ipſi In *Hiſtoria Judaica* edita à *Gentio*; Immunditiem enim non conſiderari, exemplo gallinarum demonſtrant, quæ in ſterquiliniis victum quærunt. Cur cibi alii, immundi Hebræis, alii mundi, cum omnia bona à Deo creata ſint, diſputat *Tertullianus* Epiſtola de cibis Judaicis.

IX.

Senis Davidis remedium.

I. Reg. I.

SEnex David aliter calefieri non poterat, quam accubitu virginis pulchræ. Senectutis hæc credebatur levamen & caloris penè extincti ſuſcitabulum. Juvenculæ enim calore ſive oſculo ſive corporis contractu excitatur debilis ſenum calor, ſicut lumen candelæ penè deficiens admoto alio lumine reviviſcit. Nihil hic turpe commiſſum à ſancto Rege, à qua culpa abſolvitur in progreſſu capitis. Nec aliter de pietate Regis judicat *Fl. Joſephus* L. VII. C. 1. Ex communi inquit Medicorum conſilio decretum de Abiſace: quæ cum Rege algioſo cubitans, nihil aliud quam recalfaciebat; jam enim præ ſenio ad venereas res elanguerat. Contactus ſufficiebat, quo per venas ſeniles juvenculæ blandus

dus fotus; ad cor per circulationem delatus, corpus frigidum refocillabat. Ita Barbaroſſa ætate extrema, conſilio Hebræi Medici, puerulos continuè ſtomacho & illis pro fomentis applicaſſe ſcribitur. Catellorum idem effectus, quos non malè abdomini ægrotorum inſternimus. *Rabbi Moyſes* Aphor. 30. ſive *Jo. Damaſcenus* editus cum eodem Moyſe, paralyticos multum juvare prodidit, ſi adoleſcens puella lateribus apponatur, caloris naturalis cauſa. *Ficinus* igitur ait[1], Davidem contubernio puellæ, alliàs ſalubriter, ſed nimis ſerò uſum fuiſſe. At *Verulamius* in Hiſt. Vit. & Mort. addit, quod puellam illam, more Virginum Perſiæ, oportuiſſet inungi Myrrha, & ſimilibus, non ad delicias, ſed ad augendam virtutem fomenti ex corpore vivo. Gratior verò eſt ſanæ pulcræque virginis calor & conſpectus, omnibus odoriferis. Patet corpus crebris foraminibus cutis magnis parvisque quæ poros cutis vocamus, per quæ communicatus à puella calor ad inter ora commeat viſcera, quanquam Transfuſione ipſius ſangvinis, quam nuper curioſa ingenia in Italia, Germania, Gallia & Anglia tentarunt, juveneſcere potuerit David, ſi ad noſtrum ſeculum fata illum ſervaſſent. Acceſſit ſolatio Davidis gaudium ex conſpectu & accubitu pulcricomæ Veneris, quo non parum incaleſcere potuit. Verè enim filius *Salomon* Prov. 17. 22. *Animus lætus bonam facit medicinam; ſpiritus autem fractus exſicat oſſa.* Et ad rem *Hippocrates* 2. Aph. 23. *in quovis morbo animo bene valere, ac rebus convenienter datis gaudere bonum.* Hinc Muſi-

ca pro morborum multorum curatione apud veteres advocata, ut etiam melancholiam Saulis lyrâ ſua David junior compoſuerit: de quo quia in *Paralytico Primo*, & *Quæſt. Nuptial.* 7. egimus, hîc actum agere nolumus.

X.

Ezechiæ curatio per ficum.

2. *Reg*. 20.

DE morbo ſerram controverſiarum ducunt eruditi. Pleuritidem fuiſſe cenſet *Petrus Hiſpanus*, poſtea Pontifex *Joannes* XXI. in Theſauro Pauperum c. 26. Peſtem alii, unde in bubonibus peſtilentialibus ſolas ficus coctas & piſtatas cum pauxillo butyri veteris & theriacæ miſtas feliciter in peſte Noviomagenſi applicabant, teſte *Diemerbroeck* l. 3. de Peſte c. 12. §. 12. Ego anginam ſubfuiſſe auſim affirmare, quæ, quia peracutus morbus, tertio die perimere ſolet, qua Ezechias DEI manuevaſit. In hac certè ita anguſtanter fauces ex inflammatione & tumore, ut vix per ſibilum verba exprimantur. Hinc pipire ſe dicit *Eſa*. 38. Maligna illa fuit & peſtifera, cui & leniendæ & maturandæ ficus conferunt. Durities diſcutiunt, parotidas & furunculos emolliunt, panos mutarant apud *Dioſcorid*. l. 1. c. 183. Movere pus & evocare ficum aridam decoctam *Celſus* quoque conſentit

l. 5.

l. 5. c. 12. quo cum facit *Levinus Lemnius* c. 19. de Herb. Bibl. Ad imflammationem potius ſedandam, quæ magis urgebat, quam ad ulcus, reſpiciendum judicat *Johannes de Mey* Comm. Phyſ. part. 2. c. 4. cui nulla ratione melius ſubveniri poterat, quam admoto cataplaſmate ex carne caricarum cum farina hordei, ſi reſolutionem admittebat inflammatio, ſin minus, cum farina tritici, ut facta ſuppuratione miteſcerent febres, & reliqua accidentia. Utrique igitur, malo, quia in ulcere faucium jungebantur, tumor nempe & inflammatio, ficus conveniebant. Inprimis abſceſſui periculoſo. Nam *Aetius* tetr. 1. ſerm. 3. c. 179. cataplaſma conficit abſceſſibus, qui non facile maturi fiunt, ex ficubus coctis cum hordeacea aut triticea farina. Curatio vero iſta per ficum ſupernaturalis fuit, & naturalis, ut recte differit *Hier. Bardus* in Med. Cath. Polit. §. 7. Art. 3. cum trium dierum ſpatium pro curatione, qua è lectulo ſurgere poterat, aſſignetur, cum ſtatim potuiſſet DEI virtute à morbo dicto citius convaleſcere. Tertio autem die, tanquam critico in peracutis, ſanari debebat.

XI.

De Aſæ Regis arthritide.

2. *Chron.* 16.

HIc cum ægrotaſſet anno 39. regni ſui dolore pedum vehementiſſimo, dum nimium

inium Medicis eorumque manibus defert, oblitus ipſius DEI, dormivit cum patribus ſuis. *Bardo* probabilius videtur ab ipſa podagra trucidatum fuiſſe, nullo alio intercedente morbo, adeoque naturali progreſſu ipſius morbi, dum tandem Regem occideret Dei permiſſione. Contrarium ſentit *Sebaſtianus Baldus*, cum haud videatur probabile ex podagra longo ſatis morbo Aſam potuiſſe mortem oppetere, ſed potius ab humorum recurſu ſeu diadochi, in aliquam principem partem novo emergente morbo quemadmodum pleuritico accidit, ſi in Empyema incidat; is enim non jam pleuriticus, ſed empyematicus obibit *Hippocrati* 5. Aph. 8. Uterque amicus probabilia affert. Nam & hic & ille verus eſſe poteſt. Noti mihi podagrici ſolo dolore tandem conſumti. Alios per metaſtaſin humorum ad viſcera nobilia, alio ſuperveniente morbo, occubuiſſe obſervavi.

XII.

Jorami morbus Inteſtinalis.

2. *Chron.* 21.

Biennio exacto, longa tabe conſumtus egeſſit inteſtina ſua, mortuusque eſt infirmitatibus malis. Quodnam morbi inteſtinalis genus fuerit, non ſatis liquet. Dyſenteria tormina quidem in inteſtinis provocat, ſed longus morbus

bus non eſt. Hernia inteſtinalis in longum tempus extenditur, ſed doloroſa ſemper non eſt. In umbilicali tamen, magno cruciatu effuſa ex abdomine inteſtina, vidimus vitæ filum abrupiſſe. Tenaſmum & fiſtulam *Hieronymus Jordanus* libro, de eo quod Divinum eſt in morbis, cap. 32. ſuſpicatur huc quadrare, quo mortis genere obiit optimus Titus Pomponius Atticus; ſed inteſtina in neutro affectu egeruntur, ibi vellicantur, hic perforantur, in ſede tamen manent. Et prognoſticum eſt *Celſi* l. 4. c. 18. Tenaſmum nunquam per ſe jugulare. Niſi Dyſenteriæ illæ ſit ſpecies, de qua *Gal.* 3. Cauſ. ſympt. c. 2. Divinitus immiſſa illi parricidæ hæc eſſe tormenta, ſacer textus aſſerit. Ita & *Joſephus* l. IX. Antiq. Jud. c. 3. per interpretem *Celenium*: Id malum in ventrem ejus ingruit, ut manifeſto iræ divinæ indicio, miſerabiliter periret, videns quotidie per ventrem inteſtina defluere. Magi ope dæmonis ſubinde creduntur maleficio ſuo inteſtina torquere, ut doloribus acutiſſimis, punctionibus, inflationibus & borborygmis intolerabilibus, quaſi duo aut plures gladii adverſi fuerint infixi, miſerandum in modum excruciari paſſim leguntur, quod defendit *Jordanus* laudatus. Major in impios Dei potentia, ut excruciet eos quos odit. Percuſſit Joramum in inteſtinis hac infirmitate, cui nullum remedium ſupererat, concitatis ex impuro impioque corpore aduſtis bilioſisque humoribus ad inteſtina, unde alvi fluxus diuturnus cum colica, ex cujus diuturnitate crebro & forti niſi inteſtina procidunt. Vellicata inteſtina, dolorem excitant, quod in colico

colico dolore, Dyſenteria, & Tenaſmo experimur, propter nervorum in meſenterio & inteſtinis concurſum à ſexto pari, plexumque hinc inde per hanc regionem ramos diſpergentem; quem nemo accuratius *Williſio* de Nerv. c. 27. deſcripſit, & nervoſam tunicarum ſubſtantiam. Expertus id eſt malo ſuo Eduardus Secundus Rex Angliæ, quem parricidæ immiſſo in anum candenti ferro, combuſtisque inteſtinis interfecerunt. Ipſa alvi ſolutione, quæ præter rationem accidit, in his diutius perſeverante perturbatione pernicies intenratur, *Hipp.* in Coacis. Coli dolores jugulare humines, non paucis exemplis inter noſtros didicimus, nec hic repetimus, ne amicorum dolore afficiamur. Accelerat fatum creber dejiciendi conatus, quo tandem laxatis vinculis anima ſimul cum inteſtinis ejicitur. Tali cataſtrophe hæreſiarcha Arius vitam hæreticam olim clauſit, repentino enim alvi motu coactus crepuit medius viſceribus effuſis, *Sozomeno* narrante Hiſt. Eccleſ. c. 29. 30.

XIII.

Nabucodonoſoris Mania, ſeu Melancholia.

Dan IV.

Data per monſtroſos ungves occaſione de Nabucodonoſore nonnulla commentati ſumus

ſumus in *Epiſtola* 100. *Centuriæ Secundæ*, ad quam Lectorem remittimus. Pauca hic libabimus quia ita exigit inſtituti ratio. Falli eos credimus qui metempſychoſin hic fingunt, ſomniantque quaſi humanum ejus corpus in beſtiale fuiſſet transmutatum, quo errore tenentur *Joſephus* & *Bodinus*: Plerique in bovem converſum exiſtimant. In porcum *Conſtantinus Manaſſes* in Annalibus; *In furorem extremum devolutus eſt, ſeipſum inſania quadam animi DEUM fecit. Sed horrendum in modum humiliatus eſt à DEO, de humana forma in porci figuram commutatus, ſupplicium hoc propter ſuperbiam ferens.* Sed ſacer textus *Dan.* 4. affirmat ejectum tantum fuiſſe ex hominum conſortio, ſive ſubditorum rebellione, ſive proprio & ſpontaneo exilio ad ſolitariam hanc vitam damnatum. Comediſſe fœnum, bovis in morem. Bovinos igitur mores induit, & negligentia cultus, in tantam longitudinem pili ungvesque excreverunt, quæ quadam ſimilitudine aves referebant. Quæ propria fuit Nebucadneſaris confeſſio ad ſe tandem, elapſo ſeptennio, reverſi; intellectum nempe ſibi rediiſſe, ſcilicet morbo laboravit, quem aliqui inſaniam vocant, & furorem, rectius *Valleſius* de ſacr. Philoſ. c 80. melancholiam, qua ſibi imaginabatur, ſe in beſtiam immutatum, ideoque herbis paſcendum, quod inſanæ imaginationis genus plurimos afflat, qui ſucco nigro melancholico abundantes fingunt ea quæ nusquam neque picta neque ſcripta, & timent quæ timere non debent, ideoque ſe plerunque ab hominum etiam amiciſſimorum conſortio ſecludunt.

eludunt. An illam inſanam melancholiam nativum temperamentum concitarit, an aliæ externæ cauſæ à DEO ſuperbiæ vindice illatæ, non æquè liquet. Nimis audacter *Jo. Vierus* l. 1. de Præſtig. dæm. c. 24. & lib. 4. c. 1. & cum eo alii, maleficio Diaboli inductam Nebucadnezari inſaniam aſſerit, quo nomine rectè vapulat à *Godelmanno* in Lam. *Bodinus*, quod alium ſenſum *Viero* affinxerit. Diaboli autem nulla in ſacio textu mentio, nec revera eo honore dignus eſt, quem à multis obtinuit, qui plurimorum cauſas & tormenta illi attribuunt. Veriſſimè enim cum *B. Auguſtino* l. 18 de Civit. DEI c. 18. credimus, Omnipotetem DEUM omnia poſſe facere, quæ voluerit, ſive vindicando, ſive præſtando; nec dæmones aliquid operari, ſecundum naturæ ſuæ potentiam, niſi quod ille permiſerit cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla. DEO ſoli hæc de Nebucadnezare vindicta ſumta tribuitur *Dan.* 4. v. 28. & 34. qui vel mentem ſuperbi Regis turbavit ipſe, vel cauſis ſecundis ſeu melancholiæ nativæ vim ſuam reliquit. Et certè ſanæ mentis ante non fuit Rex, alioqui tanto ſupercilio opera ſua ſupra Deum non extuliſſet. Unde continua rerum maximarum cogitatione accenſi humores & aduſti, ſeqvuturæ inſanæ melancholiæ occaſionem dederunt. Hanc inſaniam vocat lupinam aut caninam *Aetius* tetr. 2. ſerm. 2. c. 11. & melancholiæ ſpeciem eſſe rectè monet cum *Ægineta* l. 3. c. 16. ubi & quædam annotarunt, quæ Nebucadnezari conveniunt. Noctu menſe Februario exeunt. Quia homines

fu-

fugiunt. Menſe quoque Februario noctes ſunt longiores, quibus in hac ſolitudine pererrent, quanquam *Arculanus* de veris principio interpretetur, quo humores melancholici moventur. Reliqua ſigna, pallor in facie, oculi cavi, ſicci ſine lacrymis, imbecilles, lingua ſicca, calidi humoris atrique exceſſum notant, & vultum deformem. Tibiæ exulceratæ incurabiliter dicuntur propter aſſiduos caſus & canum morſus, vel potius quia naturæ beneficio atræ bilis ſuccus pravus ad exteriora cutis propellitur, ulceraque maligna & ægerrimè curabilia excitentur. Eodem naturæ auxilio & inſtituto, non tantum pilos in Nebucadnezare prolixos enatos legimus, ſed & ungues avium inſtar excretos. Qua critica quaſi expulſione corpus paulatim à ſuccis pravis liberatum fuit, donec critico anno ſeptimo prorſus ſanitati, Dei beneficio Rex P. reſtitueretur. irrigationes denique capitis uterque ante laudatus autor, in hoc caſu laudat, quas oportunè Nebucadnezar excepit à rore coeleſti. Ungues certè in melancholicis excreſcere ſolent & cornua. Utrumque vidimus. Cornua paſſim deſcripſimus l. *de Unicornu* & in *Hiſtoriis Anatomicis*. In vicino pago ruſticus adhuc ſupereſt, cui cornua creſcunt. Ungulas prolixas craſſasque in ſene depinximus *Cent* 2 *Epiſt. ult.* quas dono *D. Pouchi* poſſidemus, ſimilesque nuper in puero obſervavimus, qui oſtiatim exinde eleemoſynam colligit. Tales in leproſis deſcribit *Conſtantinus* Monachus & *Iſaaci* plagiarius in tr. de genere leprarum. Nebucadnezaris igitur ungues avibus ſimilantur, dubio procul quod vel negligenta hominis

minis inſani reſecti non fuerint, vel copia ſucci atri craſſique continuum incrementum ſumſerint, adeoque & in immenſam longitudinem & figuram incurvam excreverint, Incurvantur quoque in pulmonum ulcere, more ferarum, unde tale ulcus Θηϱίωμα appellat *Galenus* in 6. Epid. com. T. 24.

XIV.

De piſce, in quo ſepultus Jonas.

PIſcis delineatur in *Boſii* Roma ſubterranea l. 2. c. 8. p. 93. 103. edit Rom. maj. Plerique de balena explicant, quia piſcem magnum *Ionæ* textus vocat. Cete autem vulgati nominis non fuit, quia nec in mari Mediterraneo nec Perſico balenæ reperiuntur, & omnes balenæ quæ in Gronlandia noſtra & Iſlandia capiuntur, cujuscunque generis, etiam inuſitata corporis mole, vaſtoque capite, ex cujus lingua ſola XVIII. Tonnæ adipis exprimuntur, tam anguſtas tamen fauces habent, quæ vix brachium hominis capiant. Vero fit ſimilius canem Carcariam, ſeu Lamiam fuiſſe, quæ magnitudine cum minoribus balenis certat, vidique exuvias XX. pedes excedentes. In Muſæo ſervo junioris cutem aſperam, X. ferè pedes longam. Et, quod notandum, rictum habet Lamia ampliſſimum fauces que patentes & œſophagum viro deglutiendo capacem. In curia Bre-

menſi

menſi depictam vidi Lamiam, quæ Jonam ceperat. In mari Rubro prædæ hominum aſſuevit canis Carcarias. Ita *Plinius* l 13. c. 25. *caniculis referta* (ſc. maria, ſupplente *Pintiano*,) *ut vix proſpicere è navi tutum ſit, remos plerumque ipſos accidentibus.* Ante Plinium *Theophraſtus* l. 4. Hiſt. Plant. c. 8. *Mare hoc belluis refertum, plurimasque* Καρχαρίας *ſeu caniculas habet, in tantum ut mare tutum non ſit.* Ex utroque *Wottonus* l. 8. de diff. Animal. c. 164. ſimilia tradit. Ninus ſeu Ninive Aſſyriæ Metropolis, impoſita erat Tigri, teſte *Plinio* l. 6. c. 13. quæ ſe exonerat variis flexibus & nominum mutationibus in ſinum Perſicum, quo vero fit ſimile Jonam confugiſſe, ut ſe ſubduceret, Mare enim ingrediebatur. Hic autem citius invenias canem Carcariam, quam balenas. *Joſephus* l. IX. Ant. Jud. c. 11. Jonam à Cete devoratum, poſt triduum in Euxinum Pontum removitum ex aliorum relatione narrat. Fateor quintuplicem ordinem dentium, quo Maxilla canis armatur, lædere Jonam potuiſſe; ſed dicendum, Dei manum ingreſſum ejus & egreſſum cuſtodiviſſe.

XV.

Tobiæ cœcitas curata.

PErpauca ſuperſunt quæ de Tobiæ morbo & curatione ſcribantur, quia omnia ferè abſolvit *Hieronymus Bardus* in Med. Cathol. c.

4. §. 1. & 2. & ante illum *Valleſius* de ſacr. Philoſ. c. 42. De felle piſcis unum verbum addam. *Bardo* vitulus marinus placet, qui ad fluminum oras ſæpe ſæpius commoratur, & torva facie, & oculis irretortis terrorem incutit, & voraciſſimus eſt. Experimento in felle conjecturam fulcit. Hujus quippe fellis in oculis á ſordibus & maculis repurgandis maximam virtutem expertus eſt, ſi præſertim chymicè præparetur, & jecur ejus & cor ſuper prunas repoſita acutiſſimum ſuffitum olere, ex quo Dæmones forſan propulſi ſunt. Lamia, quam in Jonæ hiſtoria elegi, huc etiam quadrat. Illa quippe amplo rictu majorem terrorem juveni Tobiæ incutere potuit. Dicitur enim immanis piſcis in *Verſione vulgatâ* & in *Deodati* editione Italica, *un grand piſce*, quanquam LXX. abſoluté ἰχθὺν vocent. Præterea in India obſervavit *Iacobus Bontius* de Med. Ind. c. 16. in cœcitate ſpecificum ac crebro uſu comprobatum medicamentum eſſe, jecur Lamiæ piſcis, crudum cum ſale comeſtum quin & oleoſitatem ex eo in ſole inde diſtillantem ac oculis inunctam pro præſentaneo eſſe remedio, idque proprietate quadam ſubſtantiæ. Fel autem & hujus & aliorum animalium ad ſuffuſiones commendatur. Hyænæ laudat *Galenus* Introduct. c. 14. fel, lac, albumen ovi & urinam l. *de Ocul.* c. 4. ſed clarius l. 10. de ſimpl. Med. Facult. ubi oculis temperatiorem bilem accomodans, addit: *Animalium quorundam ſingulariter bilis à Medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & ſuffuſionem initia digerat, velut piſcis quem vocant* *cally-*

callyonymon, *hyænæ*, & *ſcorpii marini*. Callyonymi igitur, ſeu Uranoſcopi, ſi lamia non arridet, fel advocetur, quo Tobiæ oculi fuerunt curati. Ejus enim fel cicatrices ſanat, teſte *Plinio* l. 32. c. 7. & carnes oculorum ſupervacuas conſumit. Nulli hoc piſcium copioſius, ut exiſtimat Menander quoque in Comœdiis Cujus, ut & Anaxippi verſus ab *Æliano* citantur l. 13. Hiſt. Animal. c. 4. Reliqua facilé huic piſci accommodaveris, quæ in cœcitate Tobiæ annotantur. Ejus deſcriptionem habet ex *Rondeletio* & *Bellonio*, propriaque obſervatione *Geſnerus* l. Aquatil.

XVI.

De puerpero B. Mariæ.

Matth. I.

Virgo uterum geſtavit. Quod veró clauſis virginitatis clauſtris primogenitum ſuum in lucem ediderit capere non poſſunt, qui nihil niſi ordinarium in Servatoris Nativitate, per rationem, concedunt. Aperuit quidem matricem Chriſtus, quia vocatur primogenitus, ſc. quia primus aperuit vulvam ſeu matricem Exod. 34. 19. Num. 3. 12. ſed modo plané divino & ſingulari. Omnia hic naturæ conſvetum curſum ſuperant, conceptio ſine viro, nativitatis illæſa virginitate. Recté enim *Montacutius* Apparat.

IX. ad orig. Eccleſ. §. 59. neque novum illud in terris adeo novum fuiſſe, ſi non per omnes nativitatis & conceptionis partes illa Nativitas deſcendiſſet. *Suidas* certè refert membranam in B. Virgine ab obſtetricibus inventam fuiſſe, cum de ejus virginitate dubitaretur. Ut ſcrupulos amoveat *Jo. Bapt Mantuanus* Tr. de Loc. Concept. Chriſti, fingit aliunde prodiiſſe ex virgine Chriſtum quam naturali & communi via, ſed falſum illum eſſe, viamque naturalem ſervandam probavimus libro *de Inſolitis Partus Viis cap.* 7. Vulva enim aperta dicitur *Luc.* 2. & more aliarum puerperarum purgata eſt B. Virgo.

XVII.

Sangvinis profluvio laborans fœmina in Evangelio.

PEr quodecim annos mulier αἱμοῤῥοῦσα à Chriſto ſanatur. Fluxu ex utero continuo ſanguis manavit, & temporis diurnitate aſſueta illac ferri natura, fractiſque indies viribus, incurabile malum fecit. Non verò ex uteri venis, ſed iis quæ in collo uteri & cervicis aperiuntur, quas hæmorrhoides vocant, ſicut illas in ano, profluxit. Hac quippe via naturalis menſium fluxus procedit. Unde in gravidis, clauſo utero, nonnunquam menſes ſtatis vicibus, non-

nonnunquam continuo, quarum exempla memini, procedunt. Cauſam habet vel ſanguinis ſeorſi tenuitatem, vel viarum laxitatem cujus prognoſticum eſt, vel curationem nullam vel difficilem admittere. Franciæ Martellæ apud *Poterium* Cent. 3. Obſ. & Cur. cap. 49. continua hæmorrhagia ex utero ſupra duos annos patienti ſucceſſit leucophlegmatia cum febre lenta, ſiti inexplebili & mira in appetentia. Quid de obfirmato annorum duodecim malo dicemus? Ad rem Doctiſſimus *Mercurialis* l. 4. de Morb. Mul. c. 2. differit; ægritudines omnes quæ curatæ ſunt à Chriſto ſalvatore noſtro, incurabiles fuiſſe; hocque dixit, quia fluxus ille mulieris omninò erat incurabilis, ut timere debeamus ubi fluxus prorogantur, malum evadere incurabile, adhæc ubi fluxus immodici diutius durant, timendum ne mulier fiat hydropica, cachectica aut alia propria mala incurrat. Mirari neceſſe eſt, quod tot annorum inducias mulieri ad vitam conceſſerit pertinax & periculoſus fluxus. Sed reſervata fuit ut Chriſti miraculo ſanaretur. Quomodo à profluvio ſanguinis liberata ſit Sybilla quædam, non Cumana, ſed Lauſanenſis, *B. Hildegardis* l. 3. vitæ ſuæ his verbis deſcribit: Matronam Sybillam de civitate Lauſanenſi trans Alpes, quæ ejus adjutorium per nuncium expoſtulavit, miſſis ei literis, profluvio diuturno ſanguinis liberavit: Hæc verba inter pectus & umbilicum pones, in nomine ejus qui omnia rectè diſponit. In ſanguine Adæ orta eſt mors: in ſangvine Chriſti extincta eſt mors. In eodem ſanguine Chriſti, impero

pero Tibi, ô ſanguis, ut fluxum tuum contineas. Et matrona his ſcriptis verbis eſt ſanata. Refert hæc ex Hildegardi *Helmontius* pag. 672. quem credere quæ velit non inhibeo; modo mihi libertatem concedat credendi quæ debeam.

XVIII.

Epilepticus in Evangelio.

IN hiſtoria Evangelica fit mentino cujusdam σεληνιαζομένȣ. Σεληνιαζομένȣς h. e. lunaticos, Paraphraſtes *Syrus* tranſtulit דבר אברא *Tremellio* ad Verbum ſonat, *filium agrorum* i. e. hominem agreſtem, & qui à reliquorum conſvetudine abhorreat. Sed *Fullerus*, Vir Doctiſſimus l. 2 Miſcell. ſacr c. 17. ita reddendum cenſet: *Qui extra tecta* degunt. Græcè νάςεγȣς appelles. Qua voce LXX. utuntur, ad eos deſignandos, qui vitam miſerrimam trahunt in ſylvis, ſolitudinibus &c. Vide plura apud laudatum *Fullerum*. Epilepticum recte cenſet *Ungerus* l. 1. de Epil. c. 1. Dicitur enim hic morbus Lunaticus, vel quia ſecundum varios Lunæ motus & aſpectus, nonnullos invadit, vel quia interlunio concepti atque nati, huic morbo obnoxii exiſtimantur. Luna quippe humoribus præeſt, quam vitare eum vult *Celſus* l. 2. c. 4. cui caput infirmum eſt, maximeque ante ipſum lunæ ſolisque concurſum. *Aretæo* annotante l. 1. De Cauſ. & Not. Chron. aff. c. 4. nonulli

ulli flagitioſis hominibus à Luna immitti exiſtimant. Hinc credo in curando hoc affectu, ne Luna creaturam ſuam foveret, Lunæ ortum vitaſſe Medicos. Ita *Nicolaus Myrepſus* ſect. I. de Antid. c. 298. de Antidoto Cyphi: Lunaticos reſtituit, data cum ſpuma tauri fabæ magnitudine, ab ortu Solis ad ortum Lunæ diebus triginta. Adjungit ſacer Scriptor huic Lunatico Dæmonium, quod vel induxit morbum, vel auxit. *Serapio* à Dæmonibus imediate affectum producit. Divinationem potius alii finġunt, quia eo correpti nonnunquam vaticinari futura videntur, ſive ea vera ſint ſive falſa. Quod *Antonius Guajnerius* tr. 17. Prax. c. 3. fuſius explicat. Nam cum in Epilepſia ſit fortis quædam oppilatio, quæ omnes ſenſus exteriores ita ligantur, ut ab omnibus eorum operationibus ceſſent ac ferientur, & cum anima rationalis aliunde non ſit impedita, ſed maneat quaſi in ſimplici eſſe, fit ut Epilepticis quandoque in paroxyſmis futurorum mago quædam obverſetur, quibus poſtmodum ceſſantibus, ſæpe plurima futura prædicant. Negari non poteſt liberius animam agere corpore pene oppreſſo, quod in moribundis non raro videmus, at nec anima nec Dæmon futura ſciunt; ut verò dixerit *Guarnerius* imaginem eſſe futurorum, non veram prædictionem. Adſociat ſe malus Dæmon huic aliisque morbis, ut ægrius faciat. Hinc ſacer morbus quoque vocabatur, quod divinitus putetur immiſſus, *Cælio Aureliano* l. 1. Chron. c. 4. aut quoniam Dæmone correptus eſſe homo videatur, ut cenſet *Aretæus* l. 1. de

Cauſ. Chron. 4. Hinc, quia frequens is apud Judæos, imprecationem formulis lenitur, teſte *Buxtorfio* Patre c. 33. Synag. Judaic.

XIX.

Dæmonio obſeſſi in Evangelio & per anulos curandi ratio

DIſputat de eo *Jo. Langius* l. 2. Epiſt. 34. an Dæmones humana corpora morbis affligant, exorciſmo obtemperent, qua denique methodo tales morbi curentur? Laus DEO, quod inſolita ſit noſtro tempore iſta infelicitas, cum vix ſingulis ſeculis unus alterve à Dæmone obſeſſo affligatur. Me puero, Coagii celebri Selandiæ noſtræ urbe, quidam miros Satanæ experiebatur inſultus, ut etiam per aërem ſubinde raperetur, quem inviſere ex ſacerdotibus nemo audebat, niſi integram vitam traduxerat, exprobabat enim obſeſſus quicquid conſcientia occultavit. Inter Judæos numerus Dæmoniacorum inſolitus fuit, & ſæpe in ſacro Evangelio occurrit, ſive quod præter modum artibus magicis dediti Dæmonem advocaverint, ſive quod ſummæ impietatis hanc pœnam meruerint à vindice Jehova. *Joſephus* narrat, quo modo obſeſſi à Dæmone curarentur à Judæis. Vidit namque Eleazarum Judæum in exercitu Veſpaſiani, curantem Dæmoniacos hac methodo: Ingere-

Iŋgerebat naribus obſeſſi annulum ſub cujus ſymbolo radix à Salomone indicata continebatur, quo de naribus eductο ſimul Dæmonium obſeſſi emunxit, ac æger languore in terram concidit: & Eleazar carminibus Salomonis Dæmonem adjuravit, illique per ſacra edixit, ac vetuit, ne in priſtinum ſuum ergaſtulum rediret. Ac ut obſeſſum ſpiritu maligno liberatum teſtaretur, ponebat coram obſeſſis calicem aut pelvim aqua refertam, quam ut egreſſus ab homine ſubverteret, Dæmoni jam exauctorato imperabat. Hodie nonnunqam obſeſſi à Dæmone creduntur, qui vel Epilepſia correpti vel melancholico ſucco abundantes, ludos varios Satanæ mentiuntur. In Epilepſia ſimilia Dæmoniacorum viſuntur ſymptomata, variis motionibus miri ſpectaculi ſpeciem præbentia. Et quod in Evangelio legimus in flumina vel mare cadentes, ex altis locis præcipites dantur, ſicut prodidit *Cælius Aurelianus* l. 1. Chron. c. 4. Vidimus Patavii eos qui tanquam obſeſſi flagellabantur, curatos à *Jo. Dom. Sala* Medico Magno, pro Epilepticis vel melancholicis. Expurgandus enim in his ater humor, qui cerebri ideas turbat, & vellicantes cerebrum acres liquores educendi. Quanquam nec flagella damnentur, quæ calorem excitare valent, & mentem à deviis revocare, de quibus nos poſt *Meibomium* plura diximus Epiſt. *de Flagrorum uſu in Medicina.* De annulo naribus obſeſſi indito, quæ Eleazar apud *Joſephum* exhibuit præſtigæ meræ ſunt. Annulus quidem S. Eduardi Regis Angliæ comitiali morbo laborantibus ſalutaris fuit, de quo videndus

Kirch-

Kirchmannus de Annul. c. 21. ſed ſuſpicio eſſe poteſt, ex ungula alcis confectum vel aliis quæ ſingulari virtute Epilepſiam curant. Annulos alias naribus appendebant Judæi ornamenti cauſa vel memoriæ, quod in Schedio noſtro *de Armillis* expoſuimus. De hoc argumento conſultus *J. Buxtorfius* Junior, Baſileæ olim amicus noſter, Gl. *Rhodii* in gratiam, cum de fibula commentaretur, prolixum reſponſum dedit, quod meretur publice hic legi:

De Annulis Narium:

Et primò quidem Nomen Hebraicum, quo *Annuli Narium* deſignantur, de quibus quæris, vocatur illud נזם *Neſem*, in plurali נזמים *Neſamim*, & נזמה *Niſme*. Etymologia hujus nominis incerta: quia, cum communiter Nomina apud Hebræos à Radicibus certis ſeu verbis deſcendere ſoleant, nullum autem verbum apud Hebræos ſit in uſu, unde hoc nomen derivari, & ratio ſignificationis ejus cognoſci poſſit. Analogiæ ratione primitivum ejus deberet eſſe נזם *Naſam*: ſed nullibi extat. Sunt, qui per Methateſin literarum referant ad זנה *Sanah*, quod *ſcortari* ſignificat: quaſi ſit Monile, quod palam in fronte, naribus vel auribus proſtat ad emerendum gratiam. Sed coacta eſt hæc etymologia. Et cum ſanctiſſimas etiam foeminas legamus hoc ornamenti genere uſas, abſit, ut ab impudico illud verbo deducamus. Si conjecturis indulgere vellemus, commodius multo deduci

deduci poſſet à verbo affini סם *Sam*, vel סמם *Samam*, quod *Capiſtrare*, *Frænare*, *Refrænare* ſignificat: unde סמם *Semam* eſt *Capiſtrum*, *Frænum*. An ergo forte נזם *Neſem*, ornamenti illud genus ſic dictum, quod cum סמם *Semem* vel *Semam* Fræno vel capiſtro Equorum & jumentorum aliquam ſimilitudinem haberet. Sanè interpres Latinus Paraphraſeos Chaldaicæ Cantic. 1. v. 10. ubi legitur, *Verba legis eſſe Iſraëlitis ſicut* סממין Semamim (fræna) *in maxillis orum, ut non recedant à via recta*; ille, inquam, interpres vocem סממין Semamim (fræna reddidit; *Sicut in aures*; affinitatem originationis inter has duas voces agnoſcens.

Secundò, utile eſt & è re omnia Scripturæ loca inſpicere & conſiderare, in quibus vox hæc occurrit. Sunt autem ſeqq.

I. Geneſ. 24. 22. dicitur de ſervo Abrahæ: *Protulit Vir* Neſem auream, ſemiſſis pondus ejus: & v. 30. *Cum vidiſſet* Neſem *Laban*. Et v. 47. dicit ſervus ille in eadem Hiſtoria: *Et poſui* Neſem *ſuper nares ejus, & armillas ſuper manus ejus* (ſc. Rebeccæ.)

II. Geneſ. 35. 4. dicitur de familia Jocobi: *Dederint itaque ipſi (Jacob) omnes Deos alienos, qui erant in manu ſua, &* Neſamim, *quæ erant in auribus ipſorum.*

III. Exod. 32. v. 2. 3. de Aharone vitulo conflaturo: Et dixit illis (Iſraëlitis) Aharon: *Separate* Niſme *aureas, quæ ſunt in auribus uxorum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, atque afferte ad me. Separaverunt igitur omnis*

omnis populus נזמי Niſme *aureas, quæ erant in auribus eorum, & attulerunt ad Aharon.*

IV. Exod. 35. v. 22. de populo Iſraëlitico ſpontaneas oblationes ad opus tabernaculi offerente: *Venerunt viri cum mulieribus omnis ſpontaneus corde, & attulerunt fibulas, &* Neſamim *& annulos, & dextera alta*, &c.

V. Judic. 8. v. 24. 25. 26. Dixit præterea ad eos Gideon: *Poſtulabo à vobis poſtulationem, ut detis mihi quisque* neſem *ſpoliorum ſuorum: Nam* niſme *auri vel aureæ erant eis: quia Iſmaelitæ erant*, ſpoliati ſc. vel capti ab Iſraëlitis. Et dixerunt, dando dabimus. Et expandentes veſtimentum, projecerunt illuc quisque neſem ſpoliorum ſuorum. *Fuit autem pondus* niſme *auri vel aurearum* mille & ſeptingentorum aureorum &c.

VI. Jobi 42. 11. *Dederunt quoque* (amici agni) *ei* (Jobo) *quisque agnum ſuum* (vel nummum Jobi imagine ſignatum) *quisque* neſem *auream unam.*

VII. Proverb. 11. 22. *Sicut* neſem *auri in naribus porci: ita eſt mulier pulchra, & deficient conſilio.*

IIX. Proverb. 25. 12. *Ut* neſem *auri, & ornamentum obryzi eſt, qui arguit ſapientem, cui eſt auris obtemperans.*

IX. Jeſa 2. 21. inter ornamenta filiarum Hieroſolymitanarum recenſentur *Niſme* narium.

X. Ezech. 16. v. 12. *Dedi* neſem ſuper nares tuas, & inaures in auribus tuis, & coronam gloriæ in capite tuo.

XI.

XI. Hoſæ 2. 15. *Et viſitabo ſuper eam* (Eccleſiam Iſraëliticam apoſtaticam) *dies Baälim, quibus adolebat thus & ornabat ſe* niſmah *ſuâ*.

Ex conſideratione & collatione horum locorum Scripturæ ſequentia videntur colligi:

Primò. Neſem ornamenti genus fuiſſe, primariò quidem & propriè fæminarum, ſecundariò autem & quandoque etiam virorum, argumentò locorum Exod. 32. Exod. 35. Judic. 8. Jobi 42. 11.

Secundò, materiam fuiſſe *Aurum*.

Tertiò, Adhibitum vel applicatum fuiſſe *Naribus*, Geneſ. 24. 47. Proverb. 11. 22. Jeſa. 3. 21. Ezech. 16. 12. & *Auribus* Geneſ. 35. 4. Exod. 32. 2. 3.

Quartò, Iſraëlitis ſeu Arabibus in frequenti uſu fuiſſe, Judic. 8. 24. unde Vulgatus Latinus Interpres illic reddidit: Inaures enim aureas Iſmaelitæ habere conſveverant.

Sed & *Verſiones* & Expoſitiones Veterum præſertim Interpretum ſunt conſiderandæ & videndæ.

LXX. Græci in omnibus adductis locis tranſtulerunt Ἐνώτιον *Inaurem*: præterquam Jobi 42. 11. ubi verterunt; Καὶ τετράδραχμον χρυσοῦν ἄσημον ἕν. Symmachus interpres Græcus reddidit ἐπίῤῥιον, & ἐπιῤῥίνιον ornamentum naſi.

Vulgatus: *Inauris*. Sed Proverb. 11. 12. *Circulus aureus* & Eſa. 3. *Gemmas in fronte pendentes*. Ezech. 16. 12. *Et dedi inaurem ſuper os*

suum;

ſuum, Geneſ. 24. 47. *Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus*,

In his verſionibus obſervandum, abſurdum videri, quod Græci & Latinus *in aurem*, h. e. ornamentum aurium, tribuant vel naſo, vel fronti, vel ori. Factum eſt id ab eis non propriè ſumptâ voce, ſed καταχρηστικῶς, cum propria vox non eſſet in promptu ornamento iſti exprimendo. Hinc & recentiores per vocabulum generalius, *Monile* ſunt interpretati. Hinc eſt, quod *D Hieronymus* ſcribit Ezech. 16 *Verbum Hebraicum* Neſem, *excepto Symmacho, qui interpretatus eſt* ἐπιῤῥίνιον *omnes inaurem tranſtulerunt, non quod* Inaures *ponantur naribus, quæ ex eo, quod de Auribus pendeant,* Inaures *vocantur: ſed quod circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et usque hodie inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Itaque Ἐνώτιον. & *Inauris* non propriè vim & ſignificationem vocis Hebraicæ exhibent: ſed partim propter defectum vocis commodioris: partim propter ſimilitudinem cum Annulis aurium.

Lutherus Germanicè reddidit, Spangen: Ohren-Spangen: Stirnband (Judic 8. Prov. 25.) gulden Haarband / Proverv. 11. Jeſa. 3. Stirnſpang.

Ubi exiſtimo illum non benè reddidiſſe Stirnband/ Haarband: non enim fuerunt ipſæ *vittæ*, vel Stirnband / aut Haarband / ſed circuli vel Annuli ex illis dependentes, ut videtur: niſi forte ipſæ vittæ vel faſciæ una cum annulis fuerint. Judæi

Judæi in Verſionibus ſuis Germanis reddunt, Naſband.

Chaldæi interpretes קדשׁיא *Kodaſchája*. q. d. Monilia ſponſalitia, qualia Sponſus Sponſæ dare ſolet. In Talmud Hieroſolymitano Tractatu de Sabbatho cap. 6. fol. 8. col. 2. explicatur *Neſem* ex loco Jeſa. c. 3. per דברשהואנתין אלגבחוטם *Aliquid quod ponitur ſupra naſum.*

Rabbi Abraham Aben Ezra Hiſpanus ad Geneſeos XXIV, v. 22. ſcribit: באזן שנזם שהוא באף גם *Eſt* Neſem, *quod applicatur naribus, & quod applicatur auribus.*

Author libri qui vocatur *Chatkuni* ad eundem locum ſcribit: נזם שייך לאף ולאזן h. e. *Neſem.* convenit naribus & auribus.

Itaque ex his omnibus liquet vocem *Neſem*, quæ adhibetur etiam, ut viſum in loco Exod. 35. denotare tam *Ornamentum Narium*, quam *Aurium*; quamvis exiſtimem propriè ſignificare ornamentum narium; ratio, quia alibi ornamenta aurium in eodem loco ab illis diſtinguuntur, ubi utrorumque fit mentio.

Qualia autem illa ornamenta fuerint, quæritur? D. Hieronymus in loco ſupra allegato dicit eſſe *ornamenta mulierum, & quidem circulos,* (h. e. anulos) *inos ex fronte pendentes, & naribus imminentes.* Non eſt autem ejus authoritas contemnenda, ut qui in illis regionibus vixerit, & praxin earum viderit, uti ait: *Et usque hodie.* Sic teſtatur Auguſtinus Quæſtionibus in Geneſin: *Mos*, inquit, *Maurorum eſt, ut inaures etiam in naribus habeant feminæ.* Sic Vulgatus Inter-

pres Prov. 11. dicit, *Circulus aureus.* Eſa. 3. *Gemmas in fronte pendentes*, (auro ſc. incluſas & impactas.) Gen. 24. ſervire *ad ornandam faciem.*

Aben Ezra Hiſpanus loco modò citato ait: מעם פהיל קשור במצח שעל האף ירך Neſem *narium dependet à filo vel funiculo fronti alligato.*

Don Iſaac Abarbenoi, itidem Hiſpanus, ſcribit ad locum Jeſa. 3. 3. *Lechaſchim* ſunt monilia aurium, *Tabbaoth* ſunt ornamenta digitorum manuum; *Niſme* (quæ noſtra eſt vox) ſunt monilia ſive ornamenta, quæ applicabant naribus ſuis, aut pendebant in tiaris capitis à funiculo, & inde usque ad nares deſcendebant, vel dependebant. Hæc ille.

NB. Quod ergo Vulgatus Interpres reddidit, modò *circulum aureum in naribus*: modò *Gemmas in fronte pendentes*: modò *inaurem ſuper os*: modò *ad ornandam faciem*: hinc poteſt conciliari: *Gemmæ ſunt in fronte pendentes*: nempe in vitta frontem circumdante, & ab ea dependentes: *ſuper os*: quia ad os usque pendebant: *in naribus*, quia naribus imminebant: *Ad ornandam faciem*, quia hic generalis erat finis. Sed & ab ambiguitate vocis Hebraicæ אף *Af*, vel *Aph* varietas iſta proficiſci potuit: quæ *Faciem*, *Vultum* in genere, & Synecdochicè *Naſum* ſignificat.

XX.

XX.

Cœcus luto curatus.

Joh. IX.

CUr Chriſtus in ſanando cœco linimento & pulvere ſputo conſperſo uſus ſit, quærit *Jo. Beverovicius* Epiſt. Quæſt. 3. reſpondetque Nobilis Virgo *Schurmanna.* De pulvere vero quem κενεῶνα χθονὸς vocat *Nonnus* Paraphr. in Johannem eruditè diſſerit *Dan. Heinſius* Exercit. Sacr. c. 8. Idem cœcus ἀχάρακτος dicitur *Nonno.* Nam veterum non pauci oculos illius à Chriſto tum creatos tradiderunt, inter quos *Cyprianus*, *Chryſoſtomus*, *Theophilactus*, *Auguſtinus*, quorum verba afferre non vacat. Hos tamen à vero aberrare textus indicat. Nam verſ. 10. aperti dicuntur, non creati oculi. Et commate ſequenti fatetur cœcus oculos ſuos feciſſe luto inunctos; quanquam tam facilè fuerit Chriſto creare, quam aperire oculos. De hujus cœci curatione ita l. 7. Carm. 42. luſimus:

Prima luto debent noſtræ primordia vitæ,
Exque luto reficit languida membra DEUS;
Viderat hoc cæcus, cujus reſerantur ocelli,
Ut quoque diſcamus nos meminiſſe luti.

Fingebant & ſimilia miracula Pagani, ſed

Hh 2 aſtan-

aſtantibus ſuccum fecerunt. Quæ enim de Veſpaſiano Imperatore, cœcum curante narrat *Tacitus* l. 4. Hiſt. & *Suetonius* c. 7. adulationem ſapiunt, ut hoc, quaſi DEUS, ſigno æſtimaretur. Revera luſus erat, non miraculum quod Cyrolæ Arianorum Antiſtitum Principis exemplo edocemur. Is quippe cujusdam hominis Ariani ſuppoſititii, qui ſe coecum pretio accepto fingebat, aperire oculos volens, eundem antea quidem optimè videntem, ſimulac oculos tetigit, revera coecum reddidit, cui poſtea, fraudem coram univerſis detegenti, Eugenius orthodoxus viſum confeſtim ſigno crucis reddidit, quam hiſtoriam ex *G. Turonenſi* l. 2. hiſt. c. 3. *Baronius* recenſet.

XXI.

Lazari morbus.

Job. XI.

Ἀσθένεια. vocatur v.4. communi nomenclatura. *Suidæ* ἀσθένεια, ταλαιπωρία, νόσος ἀδύνατα ἀδυναμία. A *Nonno* in Paraphraſi πῦρ dicitur, ut febris indicari videatur. Nam Medicis Græcis, inprimis *Hippocrati* πῦρ de febri dicitur, à colore præternaturali, quo corpus velut igne uritur. A Syris & Chaldæis ortum putat Incomparabilis Heinſius Ariſtarch. Sacr. c. 24.

c. 24. quibus אשא, id eſt πῦρ, febris dicitur. Credo febrem ardentem ſignificari malignam, quæ citius ad mortem deproperabat, quam advenire poſſet Servator. Tertio enim die videtur jugulaſſe Lazarum. Primo enim die decubitus nunciatur Chriſto morbus. Biduo exacto diſcipulis ſuis abſens dicit, mortuum eſſe Lazarum, pluribus deinde conſumtis in itinere diebus adveniens Servator ſepultum invenit. Malignam verò febrem oſtendit fœtor & putredo quarti diei v. 39. & metus Thomæ ne una infectus occumberet v. 16. ſudore diffluens ante mortem reviviſcens calidum ſudorem habuit, *Nonno* interprete, qnod capere non poteſt Magnus *Heinſius* Ariſtarch. ſacr. c. 24. Non quidem mortui ſudant, ſed ſudorem ſudario velant, quem in agone expreſſit ſuccumbentis naturæ conatus. Is igitur ſudor in cadavere Lazari frigidus, incaluit ſub ſudario, cum vitam redderet corpori & calorem Jeſus. Hinc quoque malignæ febris capimus ſignum, monitu *Hippocratis* in Coacis: *οἱ ἐφιδρῶντες ἐν πυρετῷ, κακοήθεες.*

XXII.

De Hypochondriaci Judæ proditoris morbo.

Judæ proditoris nefarii morbum mortemque paucis expendimus in Concilo *de Cometa* pag. 110. ſeqq. Pergo Commentarium hunc

iisdem illuſtrare, quæ tum in mentem calamumque venerant. Sunt inter eruditos qui ſuſpicantur, hydrope ventris & cerebri ita intumuiſſe, ut caput ejus inſtar dolii eſſet, hocque morbo periiſſe. Simile quid apud *Theophylactum* legerunt, ſed non ſatis attentè. Ille enim in Scholio ad *Matth.* c. 27. præmiſſis aliorum de Judæ ſupplicio opinionibus, ſuam tandem ſententiam depromturus, aſſerit, quod poſuerit collum in laqueum, ſeque ab arbore ſuſpenderit, arbore autem ad terram inclinata ſupervixerit, Deo volente ipſum vel in poenitentiam conſervare vel in confuſionem: alios autem dicere, quod hydropico morbo correptus per meatum tranſire non poſſet, per quem poterat plauſtrum tranſire, deinde ceciderit pronus & medium crepuerit. Papiæ apud *Oecumenium* id fuit commentum, quod rejicit *Caſaubonus*. Laqueo vitam finiviſſe plerique aſſerunt, *Vulgata Verſio* & *B. Auguſtinus* l. 1. de Civ. Dei c. 17. ne plures advocem: At poſtea ſuperviviſſe arbore inclinata, quam ficum eſſe à Chriſto antea condemnatam, nonnulli fingunt, à *Montacutio* exploſi, nullius idonei teſtimonio evincitur. Fuiſſe ſtrangulatum credimus *Matth.* c 27. ſed à quo, non æquè liquet. Ἀπήγξατο enim ſuffocationem notat, voxque Medica eſt *Hippocrati* uſitata. cui 2 Aph. 43. ἀπαγχόμενος eſt qui ſtrangulatur. Verſio *Æthiopica* preſſè *Matthæum* ſequuta, ſtrangulatum ait & obiiſſe. Sive igitur ab interno animi mœrore, & anguſtia cordis interceptus illi ſit ſpiritus, quod hypochondriaci & hyſterici non

raro

rarò patiuntur, de quibus multa ex Magiſtris erudita congeſſit *Heinſius* Exercit. N. T. ſive ipſe melancholicus rebus ſuis deſperans, Satanæ auxilio fauces ſibi præcluſerit, penes me non dijudicabitur. Si illi alii apud Theophylactum, aqua inter cutem laboraſſe probaverint, facilè concipiemus: quod alibi *Actor.* 1. 18. legimus, eum medium crepuiſſe, idque cum ſonitu, quod verbum λακεῖν ſonat, quemadmodum ferè diſtentus in hydrope venter vel membrana veſica inflata diſrumpi poteſt. Quomodo autem pronus factus? Certè difficillime ſpiritum trahunt melancholici & hydropici ſuffocato corde copia aquarum; vel ab inferioribus preſſo, & nimius animi mœror facillimè hydropem advocat. Tali autem habitu prono in terram vultu, melancholicorum in morem fuiſſe Judam, ſuſpicari poſſem ex *Actor.* 1. quod πρηνὴς fuerit, quod *Æthiops* vertit, projectus fuit in terram ſuper faciem ſuam, *Syrus*, cecidit in faciem ſuam, *Arabs*, proſtratus in faciem cadens. Si igitur ab interno principio animæ commeatus Judæ melancholico obſtructus fuit, præceps in ſolum lapidoſum factus, tumidum aqua & atra bile ventrem diſrumpere potuit, ut viſcera interna effunderentur. Ita narrat *Mich. Jo. Paſchalius* l. 1. Meth. Cur. Morb. c. 44. De muliere Aſcitica, quæ ex caſu in lapidem vulnerata, per vulnus ventris ſubito omnem aquam evacuarit, & in animi deliquium inciderit, quod mirum non fuit ex Aph. 27. Sect. 6. Viſcera autem omnia exinde expulſa, iræ Divinæ adſcribendum, ſicut de Arrio hæretico ferunt adſedem

ſe contuliſſe atque ex templo pronum cecidiſſe ac medium crepuiſſe, effuſis viſceribus. Nulla tamen cauſa eſt, cur de mitiori ſupplicio cogitemus, quod maximum eſſe debuit, quo ſceleratæ illius traditionis commiſſum augeretur potius quam expiaretur. Et quanquam nos his fatigemus, hydrocephali tamen in *Theophylacto* nullum indicium reperimus. Νόσῳ enim ὑδερικῇ correptus dicitur, nulla parte determinata.

XXIII.

Herodes verminoſus.

Act. XII, 23.

PErcuſſas ab Angelo Tyrannus Herodes juſtas poenas dedit. Nam σκωληκόβρωτος à vermibus eroſus obiit, idque maximis obortis torminibus, *Joſepho* annotante. Alii phthiriaſin hic inferunt, verminationem alii. Poſterioribus calculum addimus. Nam σκώληξ vermem notat, non pediculum. Pedicularis morbi exempla paſſim extant. Non pauciora verminantis. Vermes quippe à putredine omnes corporis partes infeſtant, internas pariter & externas, ut obſervationum Libri teſtantur. In ipſo ſanguine putridarum febrium vermes obſervavit *Kircherus* de Peſte, in venæ ſectione quoque *Petr. Borellus* c. 3. Obſ. 4. nosque Hafniæ ſimilia vidimus. Hinc corrupto ſanguine & verminoſo

minoſo non mirum ſi totum corpus verminoſum fiat. Verminoſorum exempla recitat *Marcellus Donatus* de Med. Hiſt. Mirab. c. 5. l. 1. Herodi à vermibus eroſo, quia conveniunt, cum delectu pauca ex illis ad uſum noſtrum ſeligemus: Illuſtriſſimus quidam, cujus nomen conſultò reticere lubet, ita obœſo corporis habitu præditus fuit, ut in ingentem molem excreſcente pinguedine, carnis, pingvedinisque plexuræ circa collum & in abdomine quam maximæ conſpicerentur, in quorum medio cum æſtatis tempore dolore cœpiſſet, convocatis miniſtris, quidnam mali ſubtus latitaret, aſpicerent mandavit, quo facto primum exeſam cutim in venere, poſtmodum procedente tempore erumpentes vermiculos conſpiciunt perſimiles illis, quos in antiquiori corrupto caſeo occultari aliquando videmus, quod malum cum nullis præſidiis profligari potuiſſet, tandem ſtrenuum Heroem neci tradidit. Sic & Galerium Maximilianum, ſeu Maximinum Imperatorem vermibus ab inguinibus erumpentibus obiiſſe tradit *Pomponius Lætus* in Comp. Rom. Hiſt. Scribit in Melpomene *Herodotus* Pheretrinam ſeu Pheretinam Barcæorom Reginam immani crudelitate feminam Deorum ultione totam vermibus putruiſſe, eoque morbo miſeram evomuiſſe animam. Herodem hujus avum, alii vermibus exiguine prorumpentibus, alii pediculari morbo exceſſiſſe ferunt. *Joſephus* l. 1 de Bell. Jud. c. 21. de Herode, Patre Archelai, teſtatur, putredine virilis membri vermiculos generante interiiſſe. Σκώληκα vocat, vermiculos nempe, non pe-

 dicu-

diculos. Ex habitu corporis vermes, putrida carne muſculoſa, & ſanguine corrupto, magno dolore prodeunt. Ex inteſtinis quoque à lumbricis eroſis mors in propinquo eſt, quod exemplis infinitis docent ægri. Hinc torminum Herodis cauſam repetit *Joh. de Mey.* 3. Comm. Phyſ. c. 4. Magni certè in loco dolores, etiam ſine vermibus, excitantur à quavis materia acri & pungente; quæ vermes imitatur. Hinc vermina dicuntur *Feſto* dolores corporis cum quodam minuto motu, quaſi à vermibus ſcindatur, qui dolor dicitur Græcè στρόφος, Tales στρόφοι perpetui Tiſameni mulierem excruciabant apud *Hippocratem* 3. Epid. 26. quem illuſtrans in Selectis Medicis c. 8. *Joh. Ant. van der Linden* §. 43. diſtinguit dolorem torminoſum à verminoſo, illum utrique inteſtino eſſe communem, hunc colo proprium. Cæterum phthririaſin ſi quis Herodi aſſignaverit, non repugnarim. Neque enim meliora fata faſtus ejus merebatur, dignus tormentis Acridophagorum, de quibus *Diodorus Siculus* l. 4. Rer. Antiq. Nam propinquante ſenecta pediculi alati non ſolum viſu varii, ſed ſpecie horridi ac turpes in corporibus nati, ventrem primò, tum pectus, deinde totum corpus parvo tempore exedunt; qui morbum patitur primum veluti ſcabiei cujusdam pruritu allectus, corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis, deinde exeuntibus pediculis ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus unguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit aliis ſuper alios tanqam ex perforato vaſe

ſca-

ſcaturientibus, ut deleri nequeant. Illi quidem ciborum vitio, hic DEI quoque vindicta periit. De ſimili morbo Antiochi vide *Joſephum Gorionis*. Ferchardus Scotorum Rex morbo pediculari corpus exedente obiiſſe ob tyrannidem narratur à *Buchanano* l. V. Hiſt. Scot. Fama eſt *Philippus* II. Hiſpaniarum Regem ſimilia paſſum eſſe. De quo tamen inter ſe non conveniunt. Annales iſtius temporis. Quicquid ſit tam vermes in corpore, quàm pediculi ex proprio cujusque ſeminio in ſingulari putredine ſe exſerente generantur. Singula enim animalia ſuos habent vermes, imò ſingulæ arbores, adeo diverſos, ut hujus arboris vermes ad aliam translatæ ſupervivere non poſſint.

XXIV

De D. Pauli dolore pungente.

2. *Corinth.* 12.

PUgnis ſe coniundi queritur, ſeu digitorum condylis, ſicut κόλαφον ex Varino explicat *Matth. Martinius* in Etymologico. An hi dolores vagi fuerunt, qui caput variis rebus intentum inquietabant? An capitis dolores exinde orti? Singularis hic eſt *Haymon* Epiſcopus Halberſtadienſis quem ſub Ludovico pio Caroli Magni filio mortuum Anno Domini 1334 teſtatur *Johannes Tritheimius* Abbas Spanheimenſis.

menſis. Is in interpretatione hujus loci colaphum de ardore libidinis per Diabolum accenſo potius exponit, quam de dolore capitis. Quia paucorum manibus teritur, ipſum loquentem inducam: Ne in ſuperbiæ tumorem extolleretur, permiſſus eſt tentari à Diabolo de ardore libidinis, quem appellat ſtimulum carnis. Ut enim dicunt Doctores, ſtimulus propriè timoris & libidinis eſt, ipſumque ſtimulum carnis à quo pangebatur & accendebatur, vocat angelum Satanæ, id eſt, nuntium Diaboli, quia à Diabolo immittebatur ei illa talis ſtimulatio concupiſcentiæ. Et quandocunque Apoſtolus patiebatur illam ſtimulationem, ſciebat illam à Diabolo ſibi immitti. Sed Dominus, qui permittebat illum colaphizari, id eſt, affligi & tribulari à tentatione Diaboli, ne in ſuperbiam erigeretur, cognoſcendo ſuam fragilitatem, ipſe utique cuſtodiebat eum, ne in vitium libidinis caderet. Unde apparet, quia per venenum fugabat venenum. Venenum libidinis & tentatio carnis, fugabat ab illo venenum ſuperbiæ. *Syriaca* verſio vocat pruritum carnis, nuntium Satanæ. *Æthiopica*: pungit me corpore meo. *Chryſoſtomus* homil. 26. & *Theophilactus* Comm. in h. l. Cephalalgiam repudiantes, quia ipſe imperium in Satanam habebat, adverſariorum tribulationes, Alexandri ærarii, Hymenæi & Phileti eum expertum ſcribunt, ſiquidem Satan Ebræa lingua adverſarium ſonat. Inquietudinem & tormentum corporale plerique exponunt. Iliacam paſſionem à Satana concitatem *Nicolaus de Lira* in Comment. vel carnis concupiſcentiam.

XXV.

XXV.

Thimothei infirmitates vino ὀλίγῳ curandæ.

1. *Tim.* 5.

DYſpepſiam & cæteras infirmitates Timothei juvenis à frigiditate & humilitate ventriculi rectè deduxeris, quæ mala auxere aſſiduæ officii demandati lucubrationes; quibus vino ſuccurrit *D. Paulus*, ſed ὀλίγῳ. Quale illud fuerit, non ſatis convenit inter eruditos. *Henricus Smetius* lib. XI. Miſcell. Med. prolixus eſt in explicatione conſilii Apoſtolici, tandemque concludit, non ὀλιγοφόρον, quod non calefacit, ſed πολυφόρον fuiſſe, ſapore ſub auſtrum, quod laxum ſtomachum firmat, vel etiam ſubacre, quia potentius; ſubſtantia mediocri, perſpicua vel tenui, qui facilè penetrat, urinaſque movet, adeoque Ghio aut Leſbio, aut Epheſio, aut etiam Timolite vino ſed modico uſum Timotheum adverſus ventriculi imbellicitates. Ὀλίγων de quantitate, hujus quidem opinione, accipiendum, non de imbecilli, aut vino aquoſo. De colato, ſeu debili, emendat textum *D. Gregorii* Doctiſſimus *Mercurialis* l. 6. Var. Lect. c. 29. quaſi Vir beatiſſimus inſtar Timothei illius ob ſtomachi debilitatem, vina debilia & juſcula non ſuſtineret, ſed validioribus

bus indigeret, ob idque primum ſumeret Coum, deinde Gnidium Quantitatem hic dißinit Apoſtolus, ne generoſi vini copia caput invaderet. *Chryſoſtomi* eadem ſententia homil. 16. in h. l. *Licet* inquit, *ille & ſtomacho & aliis morbis eſſet obnoxius, non tamen ipſum vino permiſit implere, ſed ad ſanitatem non ad delicias præcipit bibere.* Ita quoque Italicè reddidit *Deodatus*, *un poco di vino*. Parum vini ſeu modicum. Ad robur ventriculi & aliarum partium requirebatur vinum generoſius, non aligophorum, nec dilutum, quod ex *Hippocratis* de Rat. Vict. Acut. pro reficiendis viribus inutile, ſtomachumque refrigerat potius quam calefacit. Dulcia vina ad anadoſin ventriculi confortandam & digeſtionem commendat *Galenus* l. 3. de Alim. Facult. Fulva quoque alba, ordora, ſubſtantia tenuia ad ſucci bonitatem conferre & πέψιν roborare, docet *idem* l. 4. de Sanit. Tuend. c. 6. Sed modum ſervare vult Apoſtolus. Ei enim, ut optimè ex *Ruffo Oribaſius* l. 6. Coll. &. Medicin. c. 7. qui moderatè bibit vinum, & voluptatem & humanitatem & bonam valetudinem affert. Coſultiſſimus *Ernſtius*, Amicus noſter dum vixit, honorandus, l. 2. Obſerv. c. 4. ὀλίγον οἶνον mavult de qualitate vini, quam de quantitate: ὀλίγον enim ſignificare apud probatos Scriptores, *parvum*, *exilem* & *tenuem*: juvare quoque magis ſtomachum vinum ὀλιγόφορον & exile, quam vinum generoſum, quod difficilioris ſit concoctionis. Difficile tamen trahor in iſtam explicationem, cum ὀλίγῳ ...

apud

apud Græcorum Principem; quem ipſe Vir Doctus affert, non qualitatem, ſed quantitatem notet. Nam ἄνθρωπος ὀλίγος *Iliad.* β. parvus homo eſt, & ὀλίγη τράπεζα Odyſſ. 5. parva menſa. Quantitas & hic & ibi hominis & menſæ determinatur, neutiquam qualitas, quæ in magnitudine vel exilitate non conſiſtit. Generoſum autem vinum, ſi ὀλίγον ſit, vel modicè ſumatur, ſtomacho oneroſum non eſt. Cæterum de vini qualitatibus conſulendi *Fr. Anton. Caſerta* Tr. de Nat. & Uſu Vinor. *Petr. Andr. Canonberius* de Adm. Vin. Virtut. *Phil. Jac. Sachs* in Ampelographia, ut alios prætercam. Singularis etiam hic eſt *Haymon*, ſed in modico vino conſentit. Ex cujus ſententia à vino non debuit abſtinere Timotheus, ne infirmaretur amplius, ſi aſſuetis abſtineret, adeoque non poſſet poſtmodum divino operi inſiſtere, ideo jubetur vino modico uti; quoniam ſi vinum cum temperantia & ſobrietate quis biberit, levamen corpori præſtat. Sed aberrat à linea rubricæ. Aquam enim ante bibiſſe indicatur v. 19. non vinum, quod tunc ſanitatis gratia concedebatur. Quærit denique *Haymon*, quare Patrem Publii dyſenteria laborantem ſolo verbo ſanat Apoſtolus, & diſcipulum ſuum Timotheum non ſanat niſi per vinum. Reſpondet, illum infidelem miraculo debuiſſe ſanari, hunc minimè. *Theophylactus* neſcio quid infert, ut homines eos eſſe credamus. Sequutus verò eſt Paulus Magiſtri ſui veſtigia, qui ſubinde ſolo verbo & contactu, ſubinde, additis remediis naturalibus coecos aliosque reſtituit. Magni enim artificiis eſt varia artis ſuæ

ſpeci-

mina oſtentare, & Medici, curandi rationem nonnunquam immutare.

XXVI.

De præputio adducendo.

1. Cor. VII, 18.

Circumciſus quis eſt, μὴ ἐπισπάσθω, ne adducat præputium. Vel id voluptatis gratia factum, vel elegantiæ. Voluptatem enim majorem Ebrææ feminæ hodieque deprædicant, ſi cum homine concubuerint, cui vel nunquam præputium defuit, vel arte reſarcitum eſt. *Rabbi* qui ſcripſit Librum *Aruch* ad locum Jerem. 9. Ecce prope adſunt dies, cum animadvertam in omnes qui circumciſi ſunt cum præputio: Ii ſunt, inquit, qui poſtquam circumciſi eſſent, præputium attraxere. Tales Ægyptii, qui circumciſi erant vivente Joſepho, ſed eo defuncto, odio gentis, adduxiſſe ſibi arte quadam præputia, ne quidquam commune haberent cum Iſraëlitis. Sed hunc refellit *Petr. Cunæus* l. 3. Rep. Ebr. c. 5. manſiſſe enim circumciſionis morem poſtea apud Ægyptios teſtatur *Herodotus*, *Strabo*, *B. Hieronymus*. Locum hunc *Dn. Paulli*, idem *B. Hieronymus*, eumque ſecutus *Haymon*, de cœlibatu explicat: non enim eſſe poteſtatis noſtræ præputium adducere poſt circumciſionem.

neſtas. Sed opponit *Cunæus* Medicorum conſenſum & hiſtoriarum fidem. Nam in Maccabæorum libris ſcriptum eſt, filios Tobiæ feciſſe ſibi præputia, uti Græcis eſſent ſimiles, cujus certus eſt author quoque *Fl. Joſephus*. Hinc abripuit *Hieronymum* & *Haymonem* cælibis vitæ amor nimius. Ex Medicis ſuppetias ego feram. Brevitas præputii quomodo corrigatur per membranam additam vel ſectione circa ſcrotum prolixè tradit *Fallopius* l. de Decorat. cap. 9. & ante illum *Ægineta* l. 6. R. M. c. 53. quam tamen operationem raram ait, quum neque functionis aliquam difficultatem hæc affectio inducat, neque ita decorem vitiet ut hujus chirurgiæ tormentum ſubire quis ſuſtineat. In eo qui circumciſus eſt tegendæ glandis modum deſcribens *Celſus* l. 7. c. 25. ſub circulo glandis ſcalpello diducit cutem ab interiore cole, reſolutam autem cutem rurſus extendit ultra glandem, tum multa aqua frigida fovet, emplaſtrumque circa dat, quod valentem inflammationem reprimat: Ubi jam ſine inflammatione eſt, deligat à pube uſque circulum, ſuper glandem autem adverſo emplaſtro impoſito inducit, ſic enim fit, ut inferior pars glutinetur, ſuperior ita ſaneſcat ne inhæreat. Non aliter *Galenus* l. 14. Meth. Med. c. 16. ſi chirurgia curetur. Alios tamen modos annotat & ſolam tenſionem addita membranula molli firmaque cum gummi agglutinata, & thapſia. Myſticum ſenſum approbat *Rhodius* noſter Diſſert. de Acia c. 6. contra quem quæ in Epiſtola quadam ad ſummum Medicum *Joh. Caſp. Bauhinum* diſputat ex Hebræorum antiqui-

tatibus harum rerum peritiſſimus *Johannes Buxtorffius* Filius, huc transſcribam, ne hac eruditione privetur Lector, pereatque inter blattas & tineas meas privata hæc ad amicum ſcriptio.

Pag. 72. & ſeqq. quædam habet de præputio. *Nam illud abſciſſum iterum recreſcere vel reduci queat?* & in Negativam ſententiam deſcendit. Hinc locum Pauli 1. ad Corinth. 7. 18. & 1. Machab. 1. 12. cum aliis myſticè exponit; & præterea hanc ſententiam Rabbinis illic à ſe conſultis probari ſcribit, qui negant, apud majores ſuos talis artificii memoriam deprehendi. Nolo Medicè quæſtionem illam diſputare: ſi tamen, quæ ex Hebræis ea de re à me obſervata ſunt, legere non pigebit, in dubium, ni fallor, vocari illa poterit; ſaltem liquebit, Rabbinos illos, quos D. Rhodius conſuluit, rerum ſuarum imperitiſſimos fuiſſe. Nam plurima paſſim & infinitis in locis leguntur apud Hebræos de ejusmodi Præputium attractum vel reductum habentibus.

Primò itaque vocant talem משוך Maſchuch, i. e. *Attractus*, *Attractum præputium habens*, *Repræputiatus*; cum ſcilicet hoc vocabulo deſignantes, qui vel per artem ſibi præputium reſtituit, vel, cui ex naturæ ſingulari vigore recrevit. Exempli gratia: In Tractatu Talmudico qui vocatur Jevammoth fol. 72. ſcribitur quod ex ſententia Rabbinorum *Maſchuch* i. e. attractum vel reductum præputium habens non poſſit comedere de honoraria oblatione, eò quod ſimilis habeatur præputiato ſeu nunquam circumciſo. Ibidem ſequitur, quod ex ſtatuto

Rabbinorum *Maſchuch* denuò ſit circumcidendus. Item, Gen. 17. 4. ultimis illis verbis: *Fœdus meum irritum reddidit*, comprehendi etiam משוך *Maſchuch* qui præputium ſibi reducit &c. In Talmud Hieroſolymitano Tractatu Jevammoth c. 8. vox *Maſchuch* ita explicatur, מאליה משך לואחר ערלה או שכמשכה h. e. *ſive alius quis attraxerit ipſi præputium* (ſc. per artem) *ſive attractum fuerit à ſeipſo* i. e. natura recreverit) Ex quibus verbis ſatis manifeſtè liquere videtur, in hac ſententia priſcos fuiſſe Hebræos, quod præputium tum per artem, tum naturaliter recreſcere & reduci queat. R. Moſes Ægyptius in Tractatu de Pœnitentia recenſet inter eos, qui nullam habent partem in ſeculo futuro, etiam eum, *qui attrahit præputium ſuum*.

Secundò varia producunt Hebræi exempla talium Repræputitorum; primo ſcribunt *Achanem*, de quo Joſuæ 7. fuiſſe משוך בערלתו *attracti præputii*, in Talmud Tractatu de Synedrio fol. 44. 1. *Secundò* in libro *Jalkut* fol. 62. col. 1. ſcribitur ad locum Jeremiæ: *Et viſitabo ſuper omnem circumciſum cum præputio*, cap. 9. 25. intelligi eos, qui circumciſi fuerunt, & præputium ſibi reduxerunt. Ibidem ſcribunt de Ægyptiis, quod fuerint circumciſi tempore Joſephi, ſed eo mortuo ſibi præputium reduxerint &c. Iterum in libro Jelammedem ſcribitur de Jehojakimo, quod ſibi retraxerit præputium, ad locum 2. Chron. 36. verſ. 8. *Tertiò*, tempore falſi Meſſiæ Ben Coſibæ, qui vixit 52. annis poſt excidium Templi, fuiſſe multos tales qui tunc denuò fuerint circumciſi, legitur in

tatibus harum rerum peritiſſimus *Johannes Buxtorffius* Filius, huc transſcribam, ne hac eruditione privetur Lector, pereatque inter blattas & tineas meas privata hæc ad amicum ſcriptio.

Pag. 72. & ſeqq. quædam habet de præputio. *Nam illud abſciſſum iterum recreſcere vel reduci queat?* & in Negativam ſententiam deſcendit. Hinc locum Pauli 1. ad Corinth. 7. 18. & 1. Machab. 1. 12. cum aliis myſtice exponit; & præterea hanc ſententiam Rabbinis illic à ſe conſultis probari ſcribit, qui negant, apud majores ſuos talis artificii memoriam deprehendi. Nolo Medicè quæſtionem illam diſputare: ſi tamen, quæ ex Hebræis ea de re à me obſervata ſunt, legere non pigebit, in dubium, ni fallor, vocari illa poterit; ſaltem liquebit, Rabbinos illos, quos D. Rhodius conſuluit, rerum ſuarum imperitiſſimos fuiſſe. Nam plurima paſſim & infinitis in locis leguntur apud Hebræos de ejusmodi Præputium attractum vel reductum habentibus.

Primò itaque vocant talem משוך Maſchuch, i. e. *Attractus, Attractum præputium habens, Repræputiatus*; cum ſcilicet hoc vocabulo deſignantes, qui vel per artem ſibi præputium reſtituit, vel, cui ex naturæ ſingulari vigore recrevit. Exempli gratia: In Tractatu Talmudico qui vocatur Jevammoth fol. 72. ſcribitur quod ex ſententia Rabbinorum *Maſchuch* i. e. attractum vel reductum præputium habens non poſſit comedere de honoraria oblatione, eò quod ſimilis habeatur præputiato ſeu nunquam circumciſo. Ibidem ſequitur; quod ex ſtatuto

Rabbinorum *Maſchuch* denuò ſit circumcidendus. Item, Gen. 17. 4. ultimis illis verbis: *Fœdus meum irritum reddidit*, comprehendi etiam משוך *Maſchuch* qui præputium ſibi reducit &c. In Talmud Hieroſolymitano Tractatu Jevammoth c. 8. vox *Maſchuch* ita explicatur, מאליה משך לואחר ערלה או שכמשכה h. e. *ſive alius quis attraxerit ipſi præputium* (ſc. per artem) *ſive attractum fuerit à ſeipſo* i. e. natura recreverit) Ex quibus verbis ſatis manifeſté liquere videtur, in hac ſententia priſcos fuiſſe Hebræos, quod præputium tum per artem, tum naturaliter recreſcere & reduci queat. R. Moſes Ægyptius in Tractatu de Pœnitentia recenſet inter eos, qui nullam habent partem in ſeculo futuro, etiam eum, *qui attrahit præputium ſuum*.

Secundò varia producunt Hebræi exempla talium Repræputitorum; primo ſcribunt *Achanem*, de quo Joſuæ 7. fuiſſe משוך בערלתו *attracti præputii*, in Talmud Tractatu de Synedrio fol. 44. 1. *Secundò* in libro *Jalkut* fol. 63. col. 1. ſcribitur ad locum Jeremiæ: *Et viſitabo ſuper omnem circumciſum cum præputio*, cap. 9. 25. intelligi eos, qui circumciſi fuerunt, & præputium ſibi reduxerunt. Ibidem ſcribunt de Ægyptiis, quod fuerint circumciſi tempore Joſephi, ſed eo mortuo ſibi præputium reduxerint &c. Iterum in libro Jelammedem ſcribitur de Jehojakimo, quod ſibi retraxerit præputium, ad locum 2. Chron. 36. verſ. 8. *Tertiò*, tempore falſi Meſſiæ Ben Coſibæ, qui vixit 52. annis poſt excidium Templi, fuiſſe multos tales qui tunc denuò fuerint circumciſi, legitur in

utroque Talmud, Babylonico & Hieroſolymitano, & inter cætera: *Multi cum attractio præputio fuerunt in diebus Ben Coſibæ, qui omnes fuerunt denuò circumciſi, & vixerunt, & genuerunt poſteæ filios & filias.*

De modo quo hæc præputii Retractio facta fuerit, fateor me pæne nihil reperire; niſi quod R. Salomon ordinarius gloſſator Talmudicus ad locum de Achane ſupra productum ſcribit his verbis: *Attraxit* (Achan) *pelliculam membri ſui jugiter, donec augeretur, id eſt recreſceret, obtegeretque caput membri, ut non appareret*(Achan) *circumciſus eſſe.*

Quod Epiphanius lib. de Menſuris & Ponderibus ſcribit; *Hanc autem traditionem Diabolici inventi, Eſau fratrem Jacobi reperiſſe ajunt* ad abnegationem DEI, & ad Delectionem characteris patrum ipſorum, de eò hactenus in Hebræorum libris nihil ego obſervavi.

Quam benè, aut quam verè ſingula, quæ ex Hebræis produxi, ab illis dicta ſint, non attingo. Saltem liquet hinc, 1. Artificii hujus memoriam apud antiquiſſimos Hebræos extare 2. eosdem ſtatuiſſe; tum arte, tum naturâ præputium redire poſſe. 3. non improbabile eſſe, Paulum 1. ad Corinth. 7. 18. dum ait: *Circumciſus aliquis vocatus eſt, ne reducat præputium*, ad has Hebræorum res & phraſes reſpexiſſe, adeòque literaliter non myſticé illa verba intelligenda eſſe; eò quod res tum inter Judæos & Phariſæos (quorum Sectæ etiam Paulus in Judaiſmo erat) ſatis nota erat, & à multis temporibus inter eos quidem uſurpata, ſed non approbata,

bata. Unde & Apoſtolus eam vetat iis qui ex Judaiſmo ad Chriſtianiſmum convertebantur, quaſi probroſa ipſis in Chriſtianiſmo futura eſſet circumciſio: Circumciſio enim nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei. 4. hoc ſenſu etiam accipiendum eſſe locum 1. Machab. 1. 12. & apud Joſephum Antiq. Judaicar. lib. 12. 6. quem locum nimis obiter & ſuperfunctoriè à D. Rhodio perſtringi arbitror: quia expreſſè dicitur; Quo impetrato, adduxerunt ſibi præputia, quæ eſt ipſiſſima phraſis Hebræa משכו להם ערלתם *Attraxerunt ſibi præputia.* Quod verò Hebræi intellexerint per *Attractionem præputii*, non occultationem circumciſionis, ſed pelliculæ reductionem, ex ſuperioribus patet. Nam dicunt expreſſe; Tales iterum circumcidendos eſſe: Eſſe eos, qui circumciſi fuerint; & præputium ſibi retraxerint, haberi pro præputiatis; eſſe ejuſmodi attractionem, qua membrum iterum obtegitur. An verò hæc omnia veré ab illis dicantur, in medio relinquo. Apud me certé extra dubium eſt, loca illa Pauli, Machabæorum, Joſephi, ex mente Hebræorum intelligenda eſſe; & inde valdé dubito, num loca illa apud Dioſcoridem & Cornelium Celſum aliter ſint accipienda.

Multa etiam apud Hebræos mentio eſt illorum, qui *naturâ ſunt recutiti*: Infantem ita natum vocant קטן שנולד משהוא מהול *Parvulum qui circumciſus natus eſt.* Tales ſcribunt fuiſſe Moſem & Davidem. Diſputant etiam, qua ratione tales ſint circumcidendi.

XXVII

Curatio Morborum per oleum apud veteres Chriſtianos.

JAcobi V. 14. ungi jubentur ægri oleo in nomine Domini. Remedii genus erat primis ſeculis, dicebaturque *oleum infirmorum*, quod ad ſanandos ægros uſitatum, poſteà ad Sacramentum quoque translatum eſt. Medicamentum fuiſſe, contra aliter ſentientes, ex *Concilio Niceno* Primo Canone 68. Arabico fit manifeſtum. Ita enim Patres ibidem Conſcripti, Transacto anno; debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non ſicut fit in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma, ſed ſicut *oleum infirmorum*, & ſicut aqua ad mundationem immunditiei eorum, qui comederunt morticinium. Junguntur in *Canone* aqua & oleum, quia etiam aqua conſecrata ad ſanandos morbos utebantur. Per Ansgarium, Epiſcopum Hamburgenſem, plures, ut aqua Baptiſmi loti ſunt, ab omni corporis infirmitate liberatos ſcribit *Adamus* Bremenſis l. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. Nec mirum ſanandi facultate oleum illud benedictum pollere, cum ſalem etiam miſcerent veteres, quod paſſim liquet. Non quidem ſal Sacerdotale huc ſpectat, quo utebantur antiqui Sacerdotes, in diebus Eliæ Prophetæ in variis morbis. Novitium quippe eſt, nomen mentiens. Tale tamen in antiquis membranis Mantuanis legitur

A.C.

A. C. 1448. ſcriptis: R. Salis communis Unc. 16. Cinam Drach. 4. Sinz. pip. amom. pyrethr. cimin. aneth. ſiler. mont. ſatur. hyſſop. origan. Puleg. æq. pond. Unc. 1. redigantur in pulverem, & ſerventur uſui, ſed olei infirmorum Chriſtiani Patres alii paſſim meminerunt. In primo ſeculo *Clemens Romanus* lib. 8. Conſtit. Apoſt. c. 29. ſi Epiſcopus non adeſt, benedicat Presbyter præſente Diacono. Dicat autem in hunc modum Domine Sabbaoth, Deus virtutum qui dediſti aquam ad bibendum & oleum ad exhilarandam faciem in exultationem lætitiæ, ipſe etiam nunc ſanctifica per Chriſtum hanc aquam & oleum, ex nomine ejus qui obtulit, & tribue ei *vim ſanandi* & depellendi morbum, fugandi Dæmones, expellendi inſidias per Chriſtum ſpem noſtram. *Ephrem* Syrus, qui vixit tertio ſeculo ſub Valente, de Vit. Spirit. punct. 75. ſi charitatis officio perfungens, *oleo ægrotantem inungis*, fac oculos, manus, linguasque cuſtodias. *Hieronymus* quarti ſeculi Doctor in vita Hilarionis narrat Conſtantiæ Sanctæ feminæ generum & filiam Hilarionis unctione olei à morte fuiſſe liberatam, univerſosque agricolas & paſtores à venenatis animalibus & ſerpentibus percuſſos ad Hilarionem confugiſſe, quo benedicto oleo vulnera tangente, certam ſalutem reſumtam eſſe. Interea tamen etiam ab hæreticis adhibitus ille ungendi ægrotos ritus, ſed depravatus. Nam Valentiniani hoc nomine damnantur ab *Irenæo* ſeculi ſecundi Patre. l. 1. adv. hæretic. c. 18 quod mittant ſuper caput oleum & aquam eorum qui ſacrantur; ungere

verò balſamo, ſive, ut interpretes Latini omnes reddunt, opobalſamo. Alios etiam damnat, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, invocationibus vocum peregrinarum. Ad quem locum annotat *Fr. Feu-Ardentius*, non damnari ungendi ritum, ſed quia verbis, quibus non decebat, uterentur. Solo nomine Domini conſecravit prima Eccleſia *Iacob.* 5. 4. Eodemque modo ordinariam medicinam ungendo faciebant Apoſtoli *Marc.* 6. 13. Quo nomine ſancto hodieque Medici Chriſtiani ſuas curationis auſpicantur & perficiunt. Inter Judæos uſitatam olim unctionem medicatam *Lightfootius* ad cap. 6. Matth. ex Rabbinis probat. Nam in *Bap. Joma.* fol. 77. 2. Traditio eſt Rabbinorum: Prohibitum eſt (in jejuniis) lavare partem corporis, æque ac totum corpus: ſi verò ſit luto aut ſtercore fœdatus, lavet pro more, & ne ſit ſollicitus. Prohibitum enim eſt ungere partem corporis, æque ac totum corpus: at verò ſi ægrotet, aut ſi capite exoriatur ſcabies, ungat pro more. Credo ego unctionem iſtam à Medicis primo ad Theolgos manaſſe. Antiquiſſimis enim temporibus Athlethæ oleo ante exercitationes ungebantur, ad exſolvendam laſſitudinem, *Galeno* judice l. 6. de Tuenda Val. c. ult. vel ad membra flexilia reddenda. Poſt balneá quoque ſanitatis gratia oleum impediebat frigidi aëris ingreſſum; & ne ſiccarentur partes quas balneum emolliverat. De univerſa hac ungendi in exercitationibus ratione dato ſtudio egit *Mercurialis* lib. 1. Art. Gymn. c. 8. In morbis quid unctiones præſtent, ex Herodoto

docet *Oribaſius* lib. 10. Collect. Medic. c. 27. Cum ſale & oleo affrictus inſitum calorem auget, & quod præter naturam eſt, diſcutit, recrementaque conſumit, & affecta membra robuſtiora facit, ac adverſus affectionem firmat, ut præclarè *Aetius* tetr. 3. ſerm. 4. c. 21. De unctione capitis in ejusdem affectibus cautiones neceſſarias *Celſus* tradit l. 2. c. 4. ante balneum & poſt ſudorem obſervandas. Qui cap. 14. diſtinguit frictionem ab unctione; ungi enim leviterque pertractari corpus, etiam in acutis & recentibus morbis oportet, in remiſſione tamen & ante cibum. Ante omnes *Hippocrates* antiquus Divinusque Magiſter artis libr. 2. de Vict. Rat. de unctione calefaciente humectante & emolliente verba fecit. *Galenus* licet poſterior, unctionem paſſim commendat in ventriculo roborando, in febribus, & in aliis, quæ apud illum legi poſſunt. Baptiſſimi unctionem ex Paganiſmo quoque traductam conſentit *Jonas Porreus* in Tr. Gallico de Cerem. Antiq. ad athletarum imitationem, ut contra mundum luctarentur baptizari. Præivit *Chryſoſtomus* Hom. 6. c. ad Coloſſ. Ungitur baptizandus more Athletarum, qui ſtadium jam ingreſſuri ſunt. Et *Ambroſius* l. 1. de Sacram. c. 2. Unctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen hujus ſeculi luctaturus, profeſſus es luctaminis tui certamina. Cæterum de unctione in baptiſmo diſſerere, noſtri non eſt inſtituti. Ritum iſtum fuſius deſcribit *Dionyſius Areopagita* cap. 2. Eccleſ. Hierarch. quod unguenti myſterium, ſeu μύρȣ τελετὴν poſtea cap. 4. perſequitur. De his aliisque unctionibus vi-

dendus *Seachius* in Libris Eleochriſmaton, quanquam valdè parcus ſit lib. 2. c. 22. in oleo ſanitatis. Plura congeſſit *Jo. Bapt. Caſalius* de Vet. Sacr. Chriſt. Ritibus cap. 32. Coronidis loco afferre lubet de C riſmatis & olei ſancti duratione Statutum *Lagonis Urne* Epiſcopi Roeskildenſis, Stat. ſynod. A. C. 1517. editis, quia à paucis viſum & lectum: *Præcipimus*, inquit, *quod ſinguli ſacerdotes Parochiales, in die paraſceves ſingulis annis vetus chriſma & oleum ſanctum, quibus ultra annum uti non liceat in ſuis Eccleſiis concremabunt. Et tunc ſive proximis diebus paſchalibus, ſi ab Eccleſia noſtra Cathedrali remoti fuerint Ipſi vel eorum unus ex ſingulis Provinciis deputandus, novum chariſma à ſacriſtano ejusdem, Eccleſiæ noſtræ Roſchildenſis humiliter petant & in vaſis mundis & decentibus cuſtodiendum reverenter ſuſcipiant, ſub pœna 4 Florenorum ſicut antiquitus eſt obſervatum.* Ratio edicti hæc ſine dubio fuit, quod oleum rancidum fiat nec ita ad uſus commodum, ſi vetuſtatem habeat. *Saladinus* olea cum incipiunt rancida fieri, nullius uſus pronunciat. *Petri Caſtelli* tamen ſententia l. de durat. Medicam. pag. 40. oleum roſatum diligenter compoſitum duos annos fert. Et *Dioſcorides* lib. 1. cap. 30. vetuſtius ad medicamentorum uſum accommodum cenſet. Sed de oleo candido cap. 32. profitetur anniculo vetuſtius eſſe non debere. Vetuſtius plerumque in ſeptentrionem affertur. Et in chriſmate ſuo Patres noſtri non tam ad uſum medicum quam ad ſvavitatem attenderunt, quæ vetuſto oleo rarius ineſſe ſolet.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

INDEX

INDEX

Miſcellaneorum De Morbis Biblicis.

I.	*De Somno Adami, an Ecſtaſis vel Lethargus.*	pag. 425.
II.	*De Jacobo claudicante.*	427
III.	*Uxor Lothi in ſalem converſa.*	428
IV.	*Manus Moyſis arida.*	431
V.	*De facie Moyſis immutata.*	432
VI.	*De morſu ſerpentum venenato ejusque medicina.*	443
VII.	*Jobi morbus excutitur.*	450
VIII.	*De Lepra Judæorum.*	461
IX.	*Senis Davidis remedium.*	466
X.	*Ezechiæ curatio per ficum.*	468
XI.	*De Regis Aſæ arthritide.*	489
XII.	*Jorami morbus inteſtinalis.*	470
XIII.	*Nabucodonoſoris Mania ſeu melancholia.*	472
XIV.	De *piſce in quo Jonas ſepultus.*	476
XV.	*Tobiæ cæcitas curata.*	477
XVI.	De *Puerperio B. Mariæ.*	479
XVII.	*Sanguinis profluvio laborans fœmina in Evangelio.*	480
XVIII.	*Epilepticus in Evangelio.*	482
XIX.	*Dæmonio obſeſſi in Evangelio.*	*Ubi de*

Annu-

Annulis narium apud Ebræos. 484
XX. *Cœcus luto curatus.* 493
XXI. *Lazari morbus.* 494
XXII. De *Hypochondriaci Judæ morbo* 495
XXIII. *Herodes verminoſus.* 495
XXIV. *De pungente Divi Pauli dolore.* 498
XXV. *Timothei infirmitates vino ὀλίγῳ curatæ.* 501
XXVI. *De præputio adducendo.* 503
XXVII. *De curatione per oleum.* 512

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

Abbreviare an ſit vox ſatis Latina. *Pag.* 109
Abimelech Rex Cananæorum an ſit nomen pure Hebraicum. 79
. . . quid proprie ſignificet. 79
. . . Abraham an de nomine Jehova aliquid neſciverit. 37
. . . ejus ſinus & Paradiſus an ſint diverſa in Scriptura. 353
Accumbere quomodo ſolebant convivæ apud Veteres. 352
Adonai an ſit pronuntiandum pro nomine Jehova. 18
. . . an ſic pro Jehova legerint veteres Græci & Latini. 25
Adonibezek an non ſit nomen pure Hebraicum. 81
Ægyptii quid olim per ſceptrum ſignificare ſolebant. 215
Ægyptiaca ulcera qualia ſic fuerint dicta. 455
Ægri ante octavam horam ex inſtituto Adriani in balneis lavabantur æſtate. 416
. . . hieme ante nonam. 416
Ægritudines a Chriſto curatæ an omnes fuerint alias incurabiles. 481

Aëre an nutriatur cerebrum. 383
Africa cui in ditionem ceſſerit poſt diluvium. 70
Agrippa Tetrarcha ab Actuana aufert Pontificatum. 260
. . . etiam a Synedrio maximam autoritatem. 260
Albinus quo tempore Judæam adminiſtrare cœperit. 263
Alexandro Magno quare appingantur cornua. 436
Anannus Pontifex Jacobum fratrem Domini damnavit. 259
. . . an hac occaſione perdiderint Judæi jus vitæ & necis. 259
. . . Junior Pontifex Judæorum ſecta erat Sadducæus. 261
Anatomici an cerebro an vero cordi adſcribant cogitationes. 379
. . . an Scriptura contrarium faciat. 379
. . . quare id fiat. 379
Angelum id facere dicunt Judæi quidquid præter naturam fit. 396
. . . ejus nomine venit virtus Dei & ipſe Deus ſecundum Judæos. 396
. . . ita an vocentur naturalia media quibus Deus utitur. 397
Anima rationalis cui parti corporis primum infuſa. 383
Animi paſſiones in Scriptura quomodo capiti imputentur. 381
Animus perturbatus an verbis poſſit ſedari & quibus. 386
Annulum indere naribus Dæmoniacorum quo loco ſit habendum. 485
. . . na-

naribus appendebant Judæi ornamenti cauſa. 486

Ανθρωπος quisnam tantum Græcis recentioribus vocetur. 327

Antrum ſulphureum puteolis ejuſque effecta. 429

Apodyterium in thermis an idem ſit cum Frigidario. 318

Apoplexia & paralyſis quomodo inter ſe differant. 415

Aqua quieta an vero turbata ſanitati magis proſit. 318

Aran vide Meſopotamia.

Archaiſmi an etiam inveniantur in S. codice. 17

Arius quo genere mortis fuerit extinctus. 473

Armeniæ ſacerdotes, quales capillos geſtare ſolebant. 433

Aſa rex an a podagra fuerit trucidatus. 469

Aſclerias Phreneticos cantu ſanavit. 332

Aſia cui in ditionem ceſſerit poſt diluvium. 70

Ασθένεια qualem ſignificat morbum apud Græcos.

Atropia an ultimus gradus inveteratæ paralyſeos. 326

B.

BAlnea Ciceronis in Campania quoties de die ſcaturiant. 316

Baptiſteria undenam apud Antiquos fuerint confecta. 319

Barbariſmi an inveniantur in vulgata verſione. 187

Bethel a quo nomen iſtud illi loco primum inditum. 46
Betheſda quare piſcina Hieroſolumitana fuerit vocata. 314
Bethlehem nomen an a Cananæis incolis iſti urbi fuerit inditum. 76
Bilis aliquorum animalium aciem oculorum acuit. 478
בית דין an unquam ſignificet Synedrium magnum. 284
Blaſphemiæ crimen ad quodnam forum ſpectabat apud Judæos. 253
Bruta eandem cum nobis quare habeant cordis fabricam. 380
. . . cerebri vero diverſam. 380
בטל quales ſignificationes habeat apud Hebræos. 290
Bud verbum ore prolatum ictum ſcorpionis quomodo cohibere volunt. 386

C.

CÆſarem Dominum appellare Judæi quare noluerunt. 270
. . . ideo maximis tormentis a Judæis cruciati. 270
Canes alere quare Judæis fuerit vetitum. 465
. . . carcariæ poſſunt homines deglutire. 475
Canina inſania qualis ſic dicitur. 474
Cantu an morbi naturaliter ſanari poſſint. 332
Capernaum fuit Galileæ metropolis. 344
. . . quare morborum fuerit admodum ferax. 358
Ca-

Caput quare Hebræi pulvere conſpergebant in ſummo luctu 381
. . . ejus in Scriptura quare ſit mentio inter præcipuas corporis partes. 381
. . . munire in quovis balneo expedit. 394
Carthago unde nominis iſtius prior pars fuerit derivata. 80
. . . a quibus primum fuerit condita. 81
. . . quod nomen habuit in principio. ib.
Caſtrati quare non fiant leproſi. 401
Cete non fuit piſcis, qui Jonam deglutivit. 476
. . . quibus medici eos adſcribere ſoleant. 379
. . . qua de cauſa. ib.
Chamo poſt diluvium an ceſſerit Africa. 70
Chaſmonæi v. Macabæi.
Chirurgi quare fuerint conducti in ludis Romanorum. 428
Chriſtiani veteres an etiam potuerint ſervos alios. 412
Cinis apud veteres Orientales fuit locus pænitentiæ. 457
. . . ulcera ſiccat. 458
. . . in recentia vulnera ſanguinis curſum ſiſtit. 458
Circumforanei an tolerari debeant in Republica. 369
Claudis quare balnea perquam commoda dicantur. 405
Claudius Imperator Herodi dat poteſtatem in templum Hieroſolumitanum. 259
. . . etiam eligendorum Pontificum. ib.
Coaccumbes una Amaſios quando Zelotes occidere poterant. 225
. . . quando non. ib.

Codices Hebræi inter ſe alicubi an variarint. 212
. . . an unquam & quomodo aliquid in iis poſſit immutari. 212
Cœcus a Chriſto luto curatus. 493
Cœleſte gaudium v. gaudium.
Cœmentorum uſus non erat apud Germanos veteres. . . .
Cogitationes quare cerebro & non cordi aſſignavere veteres. 379
. . . omnes an in quiete reponantur. 384
. . . cordi quomodo adſcribat ſcriptura. 383
Concipere an mulier poſſit ſola vi imaginationis. 355
Conringii laus. 299
Conſulum Romanorum ornatus qualis nunc ſit. 281
. . . eorum differentia a veteribus. ib.
Contubernia nominabantur ſervorum conjugia apud Romanos. 328
Convulſionem a Tarantulæ veneno inductam, quomodo ſanabant veteres. 332
Cordi cogitationes bonæ & malæ in ſacris & non cerebro adſcribuntur. 378
. . . ejus paralyſis repentinam mortem adfert. 240
Cornu uſuale crinium artificium ſolebant appellare veteres. 434
. . . an naturaliter creſcere poſſit in homine. 475
Cornuta an fuerit facies Moyſis cum e monte deſcenderet. 433
Corona quidnam in ædibus appellatur apud veteres. 366
. . . qua-

. . . qualis dari ſolebat a Romanis ob cives ſervatos. 322
. . . radiantia quare ſanctorum capita cingebant veteres. 439
. . . quinam inter ſanctos ita fuerint depicti. ib.
. . . etiam inter Romanos aliqui ita depingebantur. ib.
Crimina (in) exterorum Synedrium Judæorum tempore Romanorum animadvertere non potuit. 252
Crimen paralyſis an detur. 339
Crucis lignum an in morbis curandis aliquam habuerit efficaciam. 322
. . . e quo genere ligni fuerit compoſita. ib.
. . . an fuerit inventum tempore Imperatricis Helenæ. 323
Curatio morborum per oleum apud veteres Chriſtianos. 512
Curatio naturalis ægrorum an etiam per voces & carmina fieri poſſit. 333

D.

ד & ר ſimilitudine ſua ſæpe decepit 70 interpretes. 298
David Abiſaag in lectum aſſumens an quid turpe egerit. 466
דבר quomodo ſæpe pro ſubjecto ponatur apud Hebræos. 130
Deus qualia nomina Gentilium Deorum paſſus eſt ſibi tribui. 11
. . . ei aliquando tribuuntur immediate, quæ medi-

mediantibus cauſis ſecundis fiunt. 396
. . . omnia poteſt facere, quæ vult. 474
Diligenda non ſunt omnia quibus quidem utendum eſt. 102
Diſcipuli apud Judæos ſedebant ad pedes Magiſtrorum. 226
Dæmonis potentia quo uſque ſe extendat. 474
. . . ei an morbis humana corpora affligere poſſint. 484
. . . an exorciſmo obtemperent. ib.
Dæmoniaci quare tam multi apud Judæos tempore Chriſti. 484
. . . quomodo illos curare ſolebant Judæi. ib.
. . . quales hodie ita obſeſſi creduntur & quare. 485
Dolor an etiam in paralyticis dari poſſit. 342
Domus fores extra aperire ſolebant veteres Græci. 361
. . . is maximus habebatur honor apud Romanos. ib.
. . . eam vi irrumpere quale crimen apud veteres. 362
Δȣλεια tribus modis quomodo dicebatur apud veteres. 411
Dracunculi quomodo ex corporibus hominum exagitantur. 446
Duces alii an fuerint apud Judæos inter Zorobabelem, Ezram & Nehemiam. 236
Dyſenteria an poteſt eſſe longus morbus. 470

Eccle-

E.

Eccleſiæ miniſtri olim Theologiam cum Medicina conjungebant. 332
. . . adid expediat. 472
Eleazarus princeps latronum inter Judæos a Felice Præſide capitis damnatur. 272
Elephantiaſis an fuerit Jobi morbus. 454
. . . ejus ſigna narrantur. ib.
Elohim nomen Dei an etiam Philiſtæis fuerit cognitum. 10
. . . quale numen illi per hoc nomen ſignificarunt. 11
. . . quomodo differat a Jehova. 13
Empiricorum remedia quo loco ſint habenda. 368
Enuntiationes univerſalis negativæ apud Hebræos quomodo explicandæ. 112
. . . quomodo Hebræi eas formare ſoleant. 113
Ephrata quid proprie ſignificat apud Hebræos. 76
Epileptici quare futura prædicant. 483
Epilepticus in Euangelio. 482
. . . quomodo id faciant. ib.
. . . quare talis morbus vocetur ſacer, ib.
. . . quare aliquoties creduntur obſeſſi a Dæmone. 485
Εὐχαριστεῖν quid ſignificet apud veteres Græcos. 97
Euchariſtiam ſemper habere paratam quare jubeat Concilium Wormatienſe. 377

G.

GAudium cæleſte perconviviorum ſolemnitatem ſolet exprimere Scriptura. 351
Gemaricorum autoritas an minor quam Joſephi. 279
Geſſius Florus ultimus præſidum Romanorum Hieroſolumis. 265
. . . ejus acta inter Judæos fuerunt quam maxime mala. 275
Gladii pæna quam magna cenſebatur apud Judæos. 263
Geneſeos liber ſcriptus antequam Paleſtina occuparetur ab Iſraelitis. 76
Genuum paralyſis quomodo generetur. 339
Græci univerſales negativas quomodo formare ſoleant. 119
. . . in Novo Teſtamento quomodo id ad imitationem linguæ Hebrææ fiat. ib.
Genuum paralyſis quomodo generetur. 339
Græci de ſtatis vicibus quomodo menſes habere poſſint. 480
Grotius de veritate Religionis quare & quomodo conſcriptus. 206

H.

HÆmorrhoides in utero quidnam vocetur. 480
Halitus cadaveroſus ex tumulis diu clauſis expirantes noxii membris viventium. 432
Hebræi & Philiſtæi an eadem vel cognata lingua fue-

rint uſi. 11
. . . abſolute ponunt verbum tertiæ perſonæ ſingularis numeri, quod in aliis linguis in plurali eſt vertendum. 55
. . . nummi quinam ſtricte ſic dicantur. 303
Hebræa lingua an fuerit Abrahamo vernacula, an vero Cananæis. 69
. . . an hi illam ab Abrahamo non didicerint. 69
. . . nomina urbium in Palæſtina a quibus eis fuerint impertita. 82
Hernia aliqua an ſit doloroſa. 471
Herodis morbus fœdus. 498
Hieroſoluma undenam hoc nomen acceperit. 46
. . . quando id ei primum fuerit impoſitum. 47
. . . quale nomen antea habuerit. 47
Hildegardis, quomodo uteri profluxum ſanaverit. 481
Hircanus e Maccabæis an fuerit Rex Judæorum. 258
Hoſtis ſanitatem an promovere debemus. 349
הקים quales leges proprie denotare ſoleant. 221

I.

JAcobus frater Domini quomodo & quando a Synedrio judicatus. 259
Jah quando ex eo nomina propria formantur quomodo ſcribatur. 62
. . . an ſit nomen Dei ex Jehova contractum. 69
Jao Græcorum an non fuerit idem cum Judæorum Jehova. 30
. . . qualem inde Deum formabant veteres Græ-

Græci. 63

Janua vide porta.

Japetho poſt diluvium an ceſſerit Europa. 70

Jehojada ex quibus verbis ea vox ſit compoſita. 57

Jehojakim quid ſignificet apud Hebræos. 62

Jehoſaphat undenam hoc nomen ſit derivatum. 65

Jehova nomen ejuſque proprietates apud Judæos. 12

. . . quare id Deus alteri dare noluerit. 12

. . . quomodo id differat ab Elohim. 13

. . . unde derivetur. 13

. . . in eo ſunt tres differentiæ temporum. 15

. . . Jahave ſive Jave an ſit vera ejus pronuntiatio. 15

. . . de punctis quibus pronuntiari debet. 16

. . . an puncta quæ jam habet ei ſemper fuerint propria. 17

. . . an habeat puncta nominis Adonai. 22

. . . an habeat aliquando puncta nominis Elohim. 23

. . . ἀνεκφώνητον a Græcis dicitur, & quare. 26

. . . Hebræi ab iſta pronuntiatione, quare abſtinuerint. 26

. . . an veteres etiam legerint olim Jehoveh. 33

. . . an certum tempus determinari poſſit, quo Deus id poſuerit ſibi. 25

. . . hoc nomine quando Deus alicui manifeſtari dicitur. 37

. . . etiam ab antiquis temporibus in lectione Scripturæ non fuit pronuntiatum. 40

. . . quare a pronuntiatione abſtinuerint veteres Hebræi. 40

. . . no-

. . . nomen iſtud Gentibus, quæ Hebræis vicinæ erant, non fuit incognitum. 63
Ignoſcere de victis hoſtibus quando Romani dicebantur. 271
Imaginatione ægrotantium multi morbi ſuperari poſſunt.
Immunitate ſacrorum etiam ſub Romanis uſi ſunt Judæi. 241
Inſcripti ſervi quinam dicebantur apud veteres Romanos. 359
Interpretes ſeptuaginta an ſæpius in verſione errarunt. 197
. . . unde id factum vult Hieronymus. 197
Inteſtina an Magi torquere poſſint. 471
Inſuſurratus in aures an aliquid naturaliter poteſt ad pellendos morbos. 385
Joakas rex quiſnam fuerit, & undenam ſic fuerit dictus. 64
Joannes undenam Græci id primum derivarunt. 58
Jobo morbus a Deo inflictus, qualis fuerit. 450
. . . an lue Venerea laboraverit. 450
. . . an fuerit Idumæus. 456
Jochebed Moyſis mater, undenam ſic fuerit dicta. 65
Jojakim undenam hoc nomen acceperit, & quid ſignificet. 60
Jonas in quo piſce ſepultus. 476
Jonathan ex quibus verbis ea vox ſit compoſita. 57
Iris quomodo Poëtis dicatur Angelus. 398
Joſeph quid illud nomen proprie ſignificet, & undenam ſit derivatum. 68
Joſephi auctoritas an ſit major quam Talmudiſtarum.

ſtarum. 279
. . . ei an tutius credatur quam omnibus Græcis & Romanis. 294
Joſua undenam ſit derivatum & quid ſignificet. 67
Jovis vetuſtiſſimus Latinorum nominativus, an ſit a Jehovi. 33
Iſrael in prophetiis ſæpe ſignificat Eccleſiam Novi Teſtamenti. 88
Judæ morbus hypochondriacus. 495
Judæa in provinciæ formam quo tempore a Romanis redacta. 238, 270
Judæi quinam ſic proprie audire ſoleant in Scriptura. 226
Judicia quæ Romanam diſciplinam non concernebant, quo tempore Romani ſibi vendicarunt. 268
. . . minora, quamdiu apud Judæos habuerunt capitalia ſupplicia. 278
. . . Chriſtianorum quare Judæi ſubterfugiant. 280
. . . his exortis an Deus unquam Judæis locum proprium demonſtraverit. 280
Jupiter nomen an ex nomine veri Dei ſit expreſſum. 63
Jus vitæ & necis quamdiu Judæi habuerint.
Juvenes calidi & ſic ſunt ſemper nunquam an humidi. 344

K.

Κέρας varias habet ſignificationes in Scriptura. 383

Kir-

Kirjath-Arba quale nomen inter Cananæos. 77
. . . multæ urbes quare habuerint nomen Kirjath 78
Κλινὴ qualis lectus ſic fuerit dictus apud Veteres. 387
Κραββάτος lectus ſic dictus in Novo Teſtamento. 325
Κύριος Græcorum an reſpondeat Adonai Hebræorum. 25

L.

לבב varias habet ſignificationes in Scriptura. 383
Lacedæmoniorum Reges qualem habuerint autoritatem. 219
Lacus Pilati haut procul Lucerna multa mira producit.
Lamia an fuerit, quæ Jonam degluriverit. 476
Lapidationis pœna fuit graviſſima apud Judæos. 263
Latinum quale nos hodie ſcribimus & loquimur. 156
Lazari morbus. 494
Lecti ægrotantium quadruplicis fuerunt generis apud Veteres. 389
Lecticarios quot ſolebant habere divites apud Veteres. 350
. . . quot mortui. 350
. . . erant certo numero omnes definiti. 359
Lenica quidnam dicebatur in architectura apud Veteres. 366
Lepra quomodo fuerit inter Judæos adeo familiaris. 461
. . . qua-

. . . quare nunc non tam frequens inter ipſos. 462
Lethargus difficulter ad ſalutem priſtinam regreditur. 426
Liberum Patrem Jao vocarunt veteres Græci. 31
Libertate plena poſt captivitatem Babylonicam nunquam amplius uſi ſunt Judæi. 234
Linguis (in) multa fluentibus ſeculis immutantur. 105
Lipmanni Meſachon quare verſibus conſcriptus. 205
Liskat hagazit an fuerit propria ſedes Synedrii Judæorum. 277
. . . an extra illud Synedri capitalia judicia exercere non poterant. 284
Lues venerea univerſam corporis ſubſtantiam pervertit. 451
. . . quando apud veteres cæperit innoteſcere. ib.
. . . ubinam primum. 452
. . . quibus de cauſis hoc malum fuerit natum. ib.
. . . hoc morbo infecti an ſanos poſſunt procreare liberos. 461
Lunatici in Novo Teſtamento quale genus morbi fuerit. 482
. . . an a Dæmone totaliter fuerint affecti. 483
Lupina inſania qualis ſic dicatur. 474
Luz os in ſpina dorſi, de quo multa mira confingunt Rabbini. 126
Lyddæ an unquam Synedrium magnum conſederit. 284

M.

MAccabæi quando, & qua forma apud Judæos regnare inceperint. 236
Magica vi quomodo veteres ægros ſanare ſolebant. 331
Magi, qui 161
. . . unde ad Chriſtum venerint. 164
Majeſtatis divinæ decem ſtationes conſtituunt Judæi. 285
Maji menſis bona & mala omnia. 420
Manuum paralyſis an detur. 339
Mardochæo quare cum cæteris ornamentis regiis Sceptrum non fuerit datum. 216
Μηδεὶς an non ſit ſignum negationis univerſalis. 117
. . . quomodo reſolvatur. ib.
Medici an olium Romæ fuerint ſervi. 327
. . . abſentes an recte curare poſſint. 346
. . . inter ipſos Pontifices Romanos fuere. 371
. . . an ad Clericatum & Sacerdotium poſſint promoveri. ib.
. . . an illis tum ad huc liceat Medicinam exercere. 372
. . . quibus rationibus ad ſacrum ſtudium ſint obſtricti. 375
. . . in Italia ægrorum ſaluti non proſpicit antequam S. Cœnæ communio præceſſerit. 377
. . . cerebro non cordi cogitationes adſcribunt. 379
. . . quare fuerint conducti in ludis Romanorum. 428

Me-

Medicina univerſalis an poſſit dari in rerum natura. 319
Melancholia vocibus rithmicis an melius ſanetur. 386
Melancholici multi ſolo imaginationis beficio ſanati. 354
. . . quare ſæpius pro Dæmoniacis habentur. 485
Melchiſedek an fuerit Filius Dei. 72
. . . an non fuerit ſemus Noachi filius. ib.
. . . an ſit nomen prorſus Hebraicum. 73
Mercurius quare vocetur nuntius Deorum. 398
Merere de aliquo quando aliquis recte dicatur. 89
. . . quid ſignificaverit in ſæculis Tullianam ætatem ſecutis. 101
. . . quid apud Scriptores tertii & quarti ſæculi ſignificaverit. ib.
Meſſias quo tempore venire debuerit ſecundum Prophetas. 240
Meſopotamia an ſub nomine Aram etiam cognita a prophanis ſcriptoribus. 71
Metempſychoſin an ſubiit Nabuchodonozor. 472
Metonymia effecti pro cauſa ſæpius in Scriptura uſurpatur. 51
תרג׳קן an pro duce bellico ſumi poſſit. 221
Milites ægrotantes quam maxime curabant Romani duces. 235
Minare quid in vulgata verſione ſignificat. 108
Miniſtri Eccleſiæ an adire debeant peſtilentia laborantes. 350
Mizraim, & ejus nominis veſtigia. 151
Morbi an naturali virtute per aliqua verba pelli poſ-

poſſunt. 385
Monſtra qualia a muliere prognata ex ſenſu hominum excludenda. 380
Moriah mons undenam hoc nomen acceperit. 43
. . . multa notatu digna, quæ in hoc monte acciderunt. ib.
. . . an is in quo templum ædificatum, idem cum illo, in quo Abraham juſſus eſt immolare filium. 44
. . . an illud nomen habuerit ante tentationem Abrahami. 45
Mori cum methodo præſtat quam ſine illa vivere. 368
Mortui Romæ a quatuor tantum ſervis portabantur. 358
Mulier aliqua an fuerit Chriſti ſocia in paſſionibus. 129

N.

NAbuchodonozor an in beſtiam fuerit transformatus. 473
. . . in qualem. ib.
Narviæ aquas quare refugiunt ſerpentes. 323
Nervus an luxari dicatur. 427
Nimbus qualis corona fuerit apud veteres Latinos. 440
Ninus ſive Ninive ubinam fuerit ſita. 477
Nomina quibus Gentiles Numen, quod colerent appellarent. 10
. . . propria apud Hebræos integras enuntiationes conſtituunt. 42
... qui

. . . qui eorum vicem ſuſtinent in verſionibus non temere ſunt vertenda. ib.
. . . in iis fabricandis varia fit mutatio in Scriptura. 44
. . . multa per prolepſin in S. Scriptura videntur. 45
. . . in iis fabricandis quam mira ſibi indulſerunt Iſraelitæ. 48
. . . quæ integram propoſitionem continent ſæpius rebus imponuntur. 49
. . . quomodo alicui rei vel perſonæ indita in Scriptura ſæpius dicantur. 53
. . . locorum ex Jehova compoſita quomodo intelligenda. 56
. . . propria quare in verſionibus non ſunt vertenda. 76
. . . apud Hebræos communiter a certis verbis deſcendunt. 486
Nullus an non ſit ſignum negationis univerſalis. 116
. . . quomodo reſolvatur. 117
Nummi Hebræi v. Hebræi.
Nummariæ rei ignorantia nos graviter exercet. 304
Numen exiſtere quale omnibus gentibus innatum. 9
נזם quale fuerit ornamentum apud Judæos. 486
. . . an ſolummodo fuerit apud viros in uſu vel etiam apud fæminas. 488

O.

Ο' cum participiis additur vim demonſtrativam habet. 29
Oculorum doloribus balnea per quam commoda dicantur. 404
Oraculum pectorale quando ſecundum Talmudicos ceſſaverit. 291
Oſiriin quare veteres Ægyptii oculo & ſceptro pingant. 236

P.

PActum Magicorum cum Dæmone erat vel expreſſum vel occultum. 331
Παῖς eſt filius cujuſcunque ætatis apud Græcos Scriptores. 334
. . . eſt etiam miles apud Scriptores antiquos. 335
. . . quando de Chriſto uſurpatur, quid ſignificet. 411
Palæſtina quamdiu terra Canaan dici potuit. 96
Panaceæ varii generis ſimplices. 319
. . . compoſitæ. 320
Paradiſus & Abrahami ſinus an ſint diverſa in ſcriptura. 343
Paralyſis manus inducta à madido pallio. 325
. . . duplex eſt juxta Medicorum filios. 338
. . . an ſit inſanabilis. 338
. . . particularis in quibus membris viſitur. 339

. . . ex quibus cauſis vulgo oriatur. 343
Parentes qua de cauſa liberos alunt & curant. 100
Paſtor cum grege quomodo in petram converſus. 429
Pauli dolor Pungens. 501
Pax in Scriptura ſæpius ſignificat pacis ſeu felicitatis auctorem. 57
Pedes apud pleraſque gentes ſignificat in quaque re ultimum. 230
. . . eorum paralyſis an detur. 339
Peregrini non erant ſub Synedrio Judæorum tempore Romanorum. 252
Perjuri in Sardiana vel occæcantur vel clarius cernunt. 324
Perſæ quid per Sceptrum ſignificaverint. 216
Præputium adducere. 506
Petro quale nomen datum a Chriſto. 173
Peſtilentia laborantibus quinam iis ad eſſe ſunt obligati. 349
Phantaſia an multi morbi curari poſſint. 355
Philiſtæi & Hebræi eadem vel cognata lingua fuerunt uſi. 10
Philo Judæus an fuerit auctor libri Sapientiæ. 445
Pilato qua de cauſa Chriſtum tradiderunt Judæi. 254
. . . an is unquam meri Imperii jure inter Judæos uſus fuerit. 280
Piſana balnea quomodo aliquando reddantur noxia. 395
Piſcina Probatica in Euangelio an habuerit vim naturalem curandi morbos. 390
. . . Betheſdæ quo tempore deſierit Sanare ægros.

gros. 408
. . . an ejus veſtigia an adhuc ullibi reperiantur. ib.
Podagra an nullo intercedente morbo aliquem occidat. 470
Pœnarum lingua in Africa Hebrææ valde cognata fuit. 91
. . . a quibus hi populi ſuam habeant originem. ib.
Politicam aliquam poteſtatem etiam ſub Romanis habuere Judæi. 241
Pontifices quando inter Judæos regimen acceperunt. 236
. . . an is in Synedrio colligeret ſuffragia. 253
Porcos alere quare Judæis fuerit vetitum. 465
Portæ templi an ſponte apertæ quadrageſimo anno ante excidium Hieroſolumitanum. 262
. . . portarum fabrica qualis fuerit apud veteres. 260
. . . quare eam pulſare ſolebant veteres exeuntes. ib.
. . . eas in publicum rejicere maximus erat honor apud Romanos. ib.
. . . clauſæ quid ſignificabant apud veteres Romanos. 361
. . . apertæ quid ſignificabant. ib.
Portenta ante exciſionem Hieroſolumis uſa juxta Talmudicos. 293
. . . an hæc pro fide dignis ſint habenda. ib.
Præſides Provinciarum quale jus habebant apud Romanos.
. . . Romani v. Romani.
Probatica Piſcina v. Piſcina.
Procuratores quando Judæa primum acceperit a Ro-

Romanis. 238
Profeſſorum nomine veniunt Medici in jure civili. 350
Profluvium ſanguinis in muliere Euang. 480
Prolepſin (per) multa in S. Scriptura inveniuntur præſertim nomina propria. 45
Promereri quid ſignificaverit in ſeculis Tullianam ætatem ſecutis. 101
. . . cum quo caſu perſonæ conſtrui debeat. 105
Prophetiæ quæ aliquid brevi eventurum pronuntiant, quomodo explicandæ. 223
Πρωτος quid apud Sacros & profanos Scriptores ſignificet. 400
Provinciam (in) redigere quales ſolebant Romani. 270
. . . quid tum illis populis imponere ſolebant. ib.
Pſyche Apulejana precibus a Cerere quidvis impetrare dicebatur. 332
Puer quotuplicem ſignificationem habeat apud Græcos auctores. 334
Puerperium B. Mariæ. 479
Pulvis Sympatheticus an vim naturalem ſanandi habeat. 347
. . . apud veteres fuit locus pœnitentiæ. 457
Puncta Hebræorum a Græcis & Latinis in eorum linguis mire transformata. 19
Punici Chriſtiani. 174

Q.

QUadragenarius an ſanitatis ſit hieroglyphicum. 326

R.

ר & ד ſimilitudo ſæpius deceperunt ſeptuaginta interpretes. 298
Radios quot ſoli dare ſolebant veteres Romani. 442
Raphaël angelus an ſit Medicorum Præſes. 315
Recutiti naturâ. 511
Regi in leges peccanti apud Judæos an inflicta fuerint verbera. 220
. . . a quo id factum fuiſſe volunt. 220
. . an ipſe determinaret quot vellet accipere. 220
Regiam formam poſt captivitatem Babylonicam non habuerunt Judæi. 234
Remedia illegitima an uſurpanda ſpe recuperandæ ſanitatis. 367
. . . diabolica quotuplicia ſunt. 368
Rivus ſabbaticus apud Judæos quare ſic dictus. 391
Romanis ſervire a quo tempore Judæi inceperint. 235
. . . an hi judicia capitalia Judæis unquam ſtante templo ademerint. 266
. . . quomodo hi cum devictis hoſtibus agere ſolebant. 271
. . . eorum Præſides an capitalia judicia in Judæa extra cauſas ſacras exercuerint. 271
Romuli caſa ſtramentis erat ſecta. 364

S.

SAcerdoti an liceat exercere medicinam. 371
Sacra appellare nominibus è Gentiliſmo ſumtis, quare permiſerit Deus. 12

Sad-

Sadducæi in judicando erant ſeveriſſimi. 261
Salis varia genera. 430
Salomo Jarchi Rabbinus ita vulgo vocatus, an non ſit proprie Salomo Iſacides. 228
Samaritani an diligentius ſervarunt pronuntiationem nominis Jehova quam Judæi. 57
Samaritanus codex in quo pretio habendus. 295
Sapientiæ liber ab Hieronymo inter Canonicos non numeratur. 444
Sceptrum cujus rei apud veteres fuerit ſymbolum. 214
. . . habebant etiam imperatores militares apud veteres Græcos. 215
. . . an etiam in pace uſurpatum. 215
. . . quid Ægyptiis ſignificabat. 215
. . . quare tale Oſirim veteres Ægyptii pingant. 216
. . . quare hoc Mardochæo non fuerit datum. 216
Schedulis devoratis an morbi curari poſſint. 354
Scholas etiam Medici an Romæ olim habuerint. 328
Scorbutum an non fuerit inter morbos Jobi. 460
. . . an Hippocratis ævo fuerit notum. 460
Scriptura quando cogitationes cordi adſcribit an tunc loquatur ex vulgi opinione. 383
Sennaar regio an Nimrodem protulerit. 145
Semiramis Babylonem non condidit. 157
Seductor apud Hebræos an ilico poterat occidi. 243
. . . teſtimonia populi contra eos quomodo ſole-

ſolebant expiſcari Judæi. 283
. . . ad quod forum tale crimen ſpectabat apud Judæos. 253
Semo poſt diluvium an in proprium ceſſerit Aſia. 70
Seraphim quales fuerint ſecundum Rabbinos. 446
Serpentes in deſerto Iſraëli inſidiantes an fuerint flagrantes. 444
Servi nomen militi dare apud Romanos erat capitale. 335
. . . quo in loco ſervi apud illos habebantur. 335
. . . eorum conditio melior an fuerit inter Judæos, quam inter alias gentes. 412
. . . an tales etiam veteres Chriſtiani alere potuerint. 412
Siclus Hebræorum quando fuerit ſignatus. 302
. . . Sanctuarii quantum valuerit apud Judæos. 303
. . . ejus inſcriptio. 303
. . . de ſiclis cum charactere Aſſyriaco quid judicandum. 304
Sidonii an fuerint ex Cananæis. 91
Signa militaria Romanorum quare Judæi nolebant Hieroſolumis. 248
Σκιμποδιον qualis lectus fuerit apud veteres. 388
שרף qualis ſerpens fuerit apud veteres Hebræos. 446
Solem Jao quare vocarunt aliqui Græci. 31
. . . quare eum pingere ſolebant radiatis lineis. 440
Somnus Adami an lethargus dici poſſit. 426
Spiritualiter quomodo Novum Teſtamentum ha-

habet, quæ in veteri naturaliter dicuntur. 400
Stare ſolebant diſcipuli in pedibus apud Judæos docente Magiſtro. 210
Statua uxoris Lothi tempore Tertulliani adhuc conſpecta. 429
Stephanus à ſynedrio juridice fuit condemnatus. 242
Stomacho cogitationes an recte adſcribantur. 380
Strangulatio erat leviſſima capitalis pœna apud Judæos. 263
Suilla caro an recte lepram generare dici poſſit. 463
... ab aliis è contrario ſaluberrimus cibus judicatur. 464
Supplicia quatuor capitalia Judæorum an cum templo perierint. 276
Sibyllarum oracula de Chriſto ægros ſanante. 384
Sibylla quædam à Sancta Hildegarde quomodo fuerit à profluvio ſanguinis liberata. 481
... an id naturaliter ſic potuerit fieri. 481
Symphoricæ voces per accidens multis fuerunt ſalutares. 386
Synachis an fuerit inter morbos Jobi. 456
Synedrii magni oſtenſum an Reges apud Judæos pro bello gerendo requiſiverint. 219
... poteſtas poſt tempora Chriſti qualis fuerit in ſacris. 209
... qualis autem in civilibus criminibus. 252
... poteſtatem capitalium judiciorum quo tempore vere amiſerint Judæi. 259
... quando penitus perierit inter illos. 266

. . . quomodo & qua occaſione id acciderit. 266
. . . an unquam Jaſne Hieroſolymas redierit in feſtis. 267
. . . an habuerit adhuc judicia capitalia, eo tempore, quo Judæa in Provinciam erat redacta. 267
. . . an etiam extra Liskath Hagazith judicia capitalia exercuerit. 284
. . . quare id non fuerit factum. 284
. . . quoties ſecundum Judæos in exilium actum ſit. 286
. . . an ſederit in Liskath Hagazith cum de capite ſervatoris inquireret. 290
Syri quomodo formare ſoleant univerſalia negativa. 130
Syriaca ulcera qualia ſic fuerint dicta apud veteres. 455

T.

TAbernæ quales, in quibus Synedrium è Liskath hagazith migravit. 278
Talmudici volunt vita æterna excidere eum, qui nomen Jehova pronuntiaverit. 40
. . . eorum dicta pleraque ſunt ſecundum poſtrema Reipublicæ Judaicæ tempora dijudicanda. 219
. . . eorum auctoritas quanti apud nos ſit habenda. 279
Ταραττειν quid Medicorum filiis ſignificare ſoleat. 316
Tectorum ſtructura apud veteres qualis fuerit. 363
Tecta plana olim fuerunt frugalitatis documenta. 365
. . . pro tentoriis militaribus ſignificandis olim uſurpabant. 366
Tegularum uſus an fuerit apud Germanos veteres. 365
Templi profanatio ad Synedrium magnum ſpectabat apud Judæos 253
Tepidarium in Thermis an Græcis fuerit ignotum. 319

Textum ſacrum ex conjectura variarum lectionum emendare an facile liceat. 295
. . . quando & quouſque id tamen fieri poſſit. ib.
Thales quomodo Cretenſem peſtem cautu expiavit.
Thea Chinenſium ejuſque vires deſcribuntur. 320
. . . an non melius panacea dici poſſit quam herba Nicotiana illud meretur. ib.
Thermales aquæ ejuſque magnus uſus in Medicina. 393
. . . quotuplici modo ea moventur æſtate. ib.
. . . hieme quare vim nullam vulgo habeant. ib.
Timothei infirmitas, vino curanda. 503
Tholæmeus latronum princeps apud Judæos a Fado principe capitis damnatur. 272
. . . quomodo Romanus in Judæum jus exercere poterat. ib.
Tobiæ ſenioris cæcitas, quo piſce fuerit ſanata. 477
Tutores an Eccleſiaſtici eſſe poſſint. 477
. . . quare illud onus ipſis injungi non poſſit. ib.
. . . qua occaſione tamen liceat. ib.
Tyrii an ex Cananæis fuerint oriundi. 91

V

VAu apud Hebræos non ſemper eſt conjunctio, ſed aliquando etiam disjungit. 219
Velato capite quare ſacra faciebant veteres Romani. 438
Verba humana ore prolata an naturaliter quidquam conferant ad morborum levamen. 385
. . . qualia hi homines ordinarie uſurpare ſoleant. 386
Veteribus non facile objiciendum eſt de barbariſmo. 107
Ulcera Ægyptiaca maligna, qualia veteres ſic appellare ſoleant. 455
Ventres humidi quare non bene concoquunt ſuillam. 464
Vocabula habent omnes totius orbis terrarum gentes quibus numen ſuum exprimant. 9
. . . quid illa expreſſione ordinarie ſignificare ſoleant ib.
Vo-

Voces quædam inveniuntur apud Hebræos, quæ puncta habent aliarum vocum. 22
... qua de cauſa id a Maſoretis excogitatum videtur. ib.
Urbes Cananæorum quare habeant terminationes Hebraicas. 78
... an iis ab Iſraelitis cum illos occuparent nova nomina fuerint impoſita. 85
Urinis ſolis miſſis an ex iis Medicus de morbo recte & vere judicare poſſit. 396
... an etiam tuto ægrum ita ſanare. ib.
Utero clauſo an vero aperto Maria mater Domini noſtri filium ſuum pepererit. 396
... quid veteres hac de re judicaverint. ib.
Utz Jobi patria an fuerit pars Syriæ. 456
Vulgata verſio an quamplurimos habeat nævos. 94
... quibus cauſis hi errores præcipue aſſignandi. 95
... non ab uno eodemque interprete profecta eſt. ib.
... quædam tamen in ea reprehenſionem non merentur. 96
... quo ſæculo hæc verſio videtur fuiſſe conſcripta. 107
... qua Latinitate. ib.
... multa in ea ſuſpecta barbariſmi quomodo explicanda, 108

X.

Xenocrates Lymphaticos cantu expiavit. 332

Z.

Zacharias filius Barachiæ in Novo Teſtamento quiſnam fuerit. 59
Zeli judicium quale olim fuerit apud Hebræos. 241
... quouſque id ſe extendere volunt Judæorum magiſtri. 244

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

1-7-3

Digitized by Google